UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Pauli Manutii Epistolarum Libri XII

Manuzio, Paolo

Lipsiæ, Anno 1698

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-875

Visual Library

Happich.

Schmitt

PAULI MANUTII
EPISTOLARUM
LIBRI XII.

Ejusdem

PRÆFATIONES,

Cum Summariis ac Notis

JOANNIS KIRCHMANNI,

& Indicibus Consvetis.

Accesserunt

huic tertiæ Editioni,

M. JACOBI THOMASII,

ad Lectorem præloquium: Elogia Eloquentiæ Manutianæ: Præfatio una Manutii, ante hac desiderata: & Epistolarum ad Manutium appendix.

Cum Privil. S. Maj. Pol. & Elect. Saxon.

LIPSIÆ,

Apud JOHANN. HEREBORD. KLOSIUM,

Anno 1698.

PAULI MANUTII

EPISTOLARUM

LIBRI XII.

Cum

PRÆFATIONES,

Cum Summariis ac Notis

JOANNIS KINCHMANNI,

& Judicibus Controversiis,

huic novæ Editioni,

M. JACOBI THOMASII,

ad Lectorem præloquium: Elogia Elo-

M. JAC. THOMASIUS

Lectori Benevolo S.

QVemadmodùm variæ sunt scribendi facies, sic ambigi non potest, qvin peculiaria singulis præcepta debeantur atqve obsservationes. Licet enim universas qvædam moderentur communes regulæ: tamen, ubi ad ea, qvæ cuiqve sunt generi propria, perventum est, alia profectò sunt, qvæ (ut pedestris modò sermonis vulgatissimas partes attingam,) deceant epistolam, alia, qvæ orationem, alia qvæ historiam, alia qvæ disputationem. Cùmque olim & consvetudo viguerit, gravissimarum rerum argumenta dialogis convestiendi, (qvod è græcis fecit Plato, è latinis Cicero, qvem imitati superiore seculo Bembus, Sadoletus, Alcyonius, alii desitam tot seculis illam scribendi rationem revocare sunt conati,) habent artificium suum qvoqve Dialogi, qvod peculiari complexus libro Carolus Sigonius, præfatione ad Joannem Moronum Cardinalem, non dubitavit rem difficilem ac multis partibus impeditam pronunciare. Ut necesse sit eos maximoperè falli, qvi existi-

mant, unâ fideliâ dealbari posse non duos, sed qvatuor aut qvinqve parietes, h. e. generalium aliqvot præceptionum notitiâ & usu comparari posse qvidvis scribendi facultatem, sive mediteris epistolam, sive orationem, sive historiam, sive disputationem, sive etiam dialogum. Qvod ita de præceptis dictum est, ad autores qvoqve trahi debet, qvos in uno qvoqve genere imitandos proponere consultum est. Neqve enim epistolæ Ciceronis historicum tibi stilum formabunt, neqve te Cornelius Nepos docebit, quemadmodum scribere oporteat Epistolam. Suus cuique generi qværendus est autor, siqvidem pervidere velis ea, qve speciem qvamvis constituunt, à cæterisqve discriminant. Jam cùm, quæ discimus, in usum nostrorum temporum discamus, non eorum, qvæ jam diu præterierunt atqve abolita sunt: circumspiciendum est, qvænam latinè scribendi ratio præ cæteris ævo sit nostro accommodata. Ea verò maximè disputationum est, & epistolarum atqve orationum. Nam historias pauciſſimi scribunt; dialogos, ad eam qvidem figuram, de qvâ paulò ante dicebamus, etiam pauciores. Ad nemo facile est eruditorum, cui non aliquando scribenda veniat disputatio, aut exaranda epistola, aut habenda etiam ad concionem oratio. Ac disputationes qvidem & controversiæ literariæ, ut quas magis commendet nuda veritas, qvàm ex Rhetorum

rum lecythis petiti colores, affectuum autem alliti quidam succi etiam dedecorent, non solent magnoperè censeri mellitis, ut Petronius vocat, verborum globulis, illoqve dictorum sesamo & papavere. Ex qvo relinqvitur, ut in usum Epistolarum præcipuè & Orationum adeundi sint juvenibus facundiæ magistri. Porrò, qvod ad orationes attinet, si præsentis ævi opportunitates, Rerumque publicarum formas hodiernas respicimus, in novas etiam hîc limitum anguſtias contractum est eloqventiæ regnum. Cùm enim rariſſimæ sint apud nos, ac verius nullæ Democratiæ: cessant videlicet Orationum illarum genera, quæ apud Græcos olim & Romanos, qvam diu dicendorum in judiciis ac deliberationibus publicis suffragiorum jus penes populum fuit, frequentisſimæ numerabantur. Sic foro expulsa eloqventia Oratoria qualemcunqve receptum sibi quæsivit in Aulis ferè ac Scholis, ubi duobus causarum orbata generibus, deliberativo ac judiciali, qvò solitudinem demonstrativi (nam hoc unum ex illâ clade reliqvum erat ipsi,) aliqvâ ex parte vindicaret, didascalicum, ut vocant, illi sociavit, ita distributis operis, ut Aulas inprimis demonstrativum occuparet, Scholas ac Templa didascalicum. Temperare mihi non possum, qvin firmandis iis, qvæ disserui, sententiam qvoque summi hâc in arte doctoris ad-

scribam Mureti a): *Hodiè*, inquit, *si verum amamus, omnis propè usus eloquentiæ, præterquam in scribendis epistolis, ita de medio sublatus est, ut nec vola, nec vestigium appareat. Dominabatur olim in judiciis, regnabat in consultationibus: vincebat ferè ea causa, quæ eloquentiorem Patronum nacta erat.*

Sed hæc priùs fuére, nunc recondita
(*ut de Phaselo ait Catullus*,)
Senet quiete.

Judicia, Romæ saltem, ita exercentur, ut in his nullus planè locus eloquentiæ sit. In Deliberationibus de magnis & seriis rebus, quid quisque dicat, non quàm ornatè dicat, attenditur. Rectè omninò neque enim negari potest: sed tamen isto modo magna disertis hominibus subtracta materia est. Eloquentia quasi ætatis beneficio immunitatem consecuta, jussa est oblectare se in his nostris scholasticis ac pulverulentis disputationibus, in sacris concionibus, quæ ad populum habentur, & interdum in gratulationibus, quæ fiunt ad principes, aut in eorum funeribus exornandis. Ita ex illis tribus Aristotelis dicendi generibus solum epidicticon, quod olim minimi pretii habebatur, in usu relictum est. Mansit tamen illud, ut qui benè, id est tum disertè, tum prudenter & ad res ad personas, ad tempora accommodatè epistolam scribunt, facillimè ad intimam Principum familiaritatem perveniant, & ad maxi-

a) è Volum. II. Orat. 16. p. m. 131. 132.

maximarum rerum tractationem adhibeantur, maximis plerunque honoribus augeantur. Ex his Mureti verbis ultimis simul intelligas, Epistolæ, quàm Orationis usum esse magis illustrem. Ut haud dubiè potior esse cura debeat Epistolarum. Addo etiam prior, cùm haud paulò faciliùs sit epistolam effundere, quàm Orationem; à facilioribus autem ordiri quamcumque disciplinam svadeat ratio. De familiari loquor Epistolâ, quæ cùm speciem quandam qvotidiani præ se ferat ac domestici & extemporanei colloquii, certè ad gravitatem atque altitudinem orationis publicæ non assurgit. Et licebit tamen ipsis scribendis Epistolis paulatim, qvasique aliud agendo proficere ad facultatem haud mediocrem meditandarum orationum. Est enim quoddam Epistolæ genus familiari sublimiùs incedens, qvod qvia & argumento, & inventione, ipsoque dicendi filo quàm proximè distat, à justâ oratione, non peccabit, qui λογοειδὲς appellaverit. Atque in hoc ordine illud valere concesserim, quod nimis inconsideratè ad omnem cujusquemodi Epistolam absque omni discrimine rapiunt nonnulli, ut Epistolas tales ex causarum vulgatis generibus, quæ alioqui solent orationibus assignari, distingvas. Ergò eloqventiæ studiosus à familiari Epistolâ ad alteram illam sublimioris habitûs, ab hâc ad orationem

tionem sciat sibi promovendos esse pedes. Jam cùm omninò sit ab Epistolâ ducendum initium, cujusnam autoris exemplum primô proponemus tironi nostro, prisci an recentioris? Locum quæstioni fecit his in literis eruditio præsentis ac superioris ævi. Nam illâ ætate, cujus barbariem ac stribligînem in Epistolis obscurorum virorum facetè expressit amœnissimi Eqves ingenii Ulricus Huttenus, (hunc enim autorem esse ridiculi operis certâ fide exploratum habemus,) ambigi non potuit, qvin ad veterum felicia vestigia unicè respiciendum fuerit infantiam seculi exuere cogitantibus. Illicò autem eorum, qui rectè saperent, oculos in se convertit nepotum Romuli disertissimus Cicero. Sed qui hunc ita intuerentur, ut nec temporum suorum, nec mutatæ in meliùs religionis rationem haberent, nimio componendi se ad ejus exemplum studio sunt eò abrepti, ut illa quoque facerent sua, quæ certum est Ciceronem ipsum, si in aliam Reip. faciem, melioresque sacrorum ritûs incidisset, pro suâ prudentiâ fuisse abjecturum. Nempe solent agnasci virtutibus vitia, patetque errori non modò in defectum locus, sed in excessum quoque. Ergô quasi Roma superioris seculi per tot ætatum intervalla retinuisset eandem faciem, quam Consule habuisset Cicerone, Patres conscripti in Orationibus appellati sunt, Senatûs, Populique autoritas incla-

inclamata, Prætorum jus, Tribunorum intercessio somniata. Ubi verò ad explicandas res Christianæ religioni proprias foret perventum, pro fide persvasio, pro Angelo Genius, pro Spiritu Sancto divinæ mentis aura, pro baptismo lavacrum, pro excommunicatione aquæ & ignis interdicti pœna, & sexcenta id genus dici cœpta sunt: non aliam ob causam, qvàm quia vel Ecclesiasticæ voces in scriptis Tullii non legerentur, vel priscis vocabulis ignotum Ciceroni, cui videlicet res ipsa fuerit inaudita, sensum intulisset religio Christiana. Neque hoc satis: tùm demùm Ciceronianæ dictionis puritas elucere credita fuit, si quis Herculem jurare aut Deum Fidium, pro Deo Deos immortales testari, pro Patre cœlesti Jovem, pro Christo Apollinem forte, pro Spiritu Sancto Mercurium invocare per manifestam sanctæ fidei maculam didicisset. Hæc talia cùm sibi Christophorus permisisset Longolius, ac prætereà centonum è Cicerone consuendorum peritissimus esset artifex, pro germano Ciceronis fœtu à nonnullis habitus est. Qui justam imitandi rationem acutiùs inspexissent, similem quidem eum Ciceroni sunt fassi, sed ut simiam homini, non ut filium parenti. Atque hi Ciceronis in exemplum trahendi haud paulò meliorem viam reperierunt, quæ videlicet eloquentissimi hominis imaginem ita repræsentaret, ut illæ, de quibus

dictum est, reprehensiones abessent. Sic evenit, ut eorum, qui se Ciceronianos poni vellent, duplex emergeret natio: altera, in quâ Longolium velut principem collocavimus, altera, quæ à nævis Longolianis stilum subduceret. Atque hoc scribentium genus non dubitem præipso etiam Cicerone commendare cupidæ latini sermonis juventuti, à quo scilicet legendi ducatur initium: cùm & difficilior ætati sit imperitæ Cicero, & à nostris moribus remotior.

Est autem in hoc ordine præclarus Paulo Manutio locus, cujus Epistolarum editionem hanc integerrimo viro, deque re librariâ meritissimo Bibliopolæ Christiano Kirchnero, Lector humanissime, debes. Certè quàm à Longolio dissentiat, qvamqve Ciceronis imitandi rationem prætulerit, ipse scriptâ ad Stephanum Saulium Epistolâ *b)* exponit. Quanquam autem ejus hoc de Longolio judicium vituperat Rogerius Aschamus *c)*: tamen Longolium facile sit, si hoc agatur, pluribus nec ratione gravi carentibus eruditorùm calculis condemnare, dedimusque hanc in rem inter elogia eloquentiæ Manutianæ testimonium Andreæ Schotti, in veterum pariter ac juniorum scriptis versatissimi viri, qui haud obscurè Manutium docet Longolio anteferri.

Quam-

b) Lib. I. Epist. 4. *c)* lib. I. Epist. 1. p. 19.

Quamobrem nec magnoperè nos movet Caſparis Scioppii, hominis maledicentiâ quàm probitate, ſupercilio pædagogico quàm ſolidâ ſapientiâ celebrioris cenſura, quâ reprehendit *d)* inter alia, quòd *damnum pati*, quòd *ingratitudinis* vocabulum apud noſtrum legatur, & hoc oſcitantiæ ejus & dormitationi tribuit. Quamobrem obſecro? *Quoniam*, inquit *e)*, *genus hoc idiomati latino adverſatur, & ex idiomati latino adverſatur, & ex idiomate Hetruſcæ ſive Italicæ lingvæ, quæ hodiè in uſu eſt petitum videtur. Cæterùm Latinorum idioma, ut veteres Grammatici vocant, ſive propria conſvetudo*, facere, capere, *vel* accipere damnum, *aut* affici *ſive* augeri damno *poſtulat*. Ingratitudinis autem vocabulum æquè ut gratitudinis nunquam è Ciceronis calamo effluxiſſe, paſſim obſervant eruditi, cùm ipſi magis placeret *gratum* & *ingratum animum* dici, aut græco verbo ἀχαριστίαν *f)*. Quid nos ad hanc accuſationem Criticam reſpondebimus pro Manutio? Nempe triſtiſſimos eſſe Orbilios, qui ubi audierint inuſitatã aliquam Ciceroni aut dictionem, aut vocum duarum plurimumve junctarum, temperare ſibi non poſſunt, quin ſtatim ferulam expediant. Itane Ciceroni dicere licuit pati dolorem, injuriam, ſervitutem: nobis ad hanc ſimilitudinem non licebit dicere, pati damnum?

d) judic. de ſtil. hiſtor. p. 70. *e)* ibid. p. 85.
f) Vid. Voſſ. de vit. ſerm. p. 68.

damnum magnitudinem in ore habemus & amplitudinem, à magno & amplo deducta substantiva: cur non & gratitudinem atque ingratitudinem à grato & ingrato? nisi fortasse, ut jocum Scaligeri g) huc afferamus, à gratitudinis vocabulo ideò est abstinendum, quia res ipsa non reperitur in animis mortalium. Transeat lepor. Per hos Ludimagistros vapulabit, quisquis *passionem* Christi dixerit. Nec injuriâ. Passionem enim nullibi dixit Cicero, semel iterumque *perpessionem*. Quid istis hominibus facias, qui de imitatione veterum sic sentiunt, nullam ut probent, nisi abjectissimè sit servilis? Nos verò pluris illud facimus Manutii consilium ingenuum, quod sic ad faciem se Ciceronianæ locutionis instruit, ut nec aliorum voces aut formulas planè refugiat. Neque hoc oscitantiæ cum Scioppio damus, sed judicio. Quod utinam vir doctissimus adhibuisset quoque in eliminandâ penitus illa per Herculem jurandi formulâ, quæ paginas ejus alicubi commaculat. Sed nimirum abripuit eum quasi torrens quidam pervagatæ malo exemplo à gentilibus ad Christianos consvetudinis. Id quod nec dissimulare fuit nostrum, & semel hîc monuisse satis esse Lectori debet ad cautionem. Cætera planè sunt ejusmodi, ut nostris juvenibus, quos ad eloquentiam exercemus, proponi vix putem posse

g) Exerc. 317, sect. 2. p. 972.

se scriptorem, quem lectitent, Manutio magis idoneum, in eo quidem scribendi genere, quod ubertatem sapiat Tullianam, & à quo initium duci svadeat facilitas. Nam ad illam compositionem alteram, quæ argutâ quadam brevitate Plinianas commendat epistolas, alii sunt è recentioribus, qui ducant, circumspiciendi. Quos nominare si jubear, qui non sint, citiùs dicam, quàm qui sint. Nullos certè minùs nominabo, quàm Lipsios, Puteanos, Pantheros, Canutos, Crucios. Horum enim histrionica dictio virum gravem, æquè deceat, ac scissa vestis aut versicolor. Quos dum cogito post Manutios, Riccios, Brutos, aliosque horum similes, quibus in deliciis Cicero potiùs esset, quàm Plautus, emersisse, vertiginem quandam seculi ad pristina redeuntis contemplari videor mihi. Nam & ante beatam horum, quos dixi, copiam fuit quoddam Lipsianis mimis absimile Scriptorum genus, de quibus malo Mureti narrationem audiri, quàm à me novam institui. Sic ille *h*): *Patrum & avorum nostrorum memoriâ, qui se eruditos perhiberi volebant, optimis quibusque scriptoribus tanquam pervulgatis & abditum ac retrusum constituentibus valere jussis, in aliis quibusdam obscurioribus, minusque tritis suam omnem industriam collocabant. Itaque eorum plerisque sæpius in manibus erat Appulejus aut Sidonius*

h) Vol. II, orat. 12, p. 93.

nius Apollinaris, quàm Cicero, Persium quàm Horatium, Lucanum aut Claudianum, quàm Virgilium libentiùs & majore cum studio pervolutabant. Atque utinam, ut insequentem ætatem animadverso errore, commotam Bembi, Sadoleti ac similium exemplo & auctoritate, ad vetustiorum lectionem imitationemque revocatam ibidem commemorat Muretus: ita nova hæc Epistolarum Manutii divulgatio nostra manibus eloquentiæ studiosorum excutiat histriones epistolographos, & ab horum furfuribus reducat illos ad siliginem. Sed hunc eventum Deo committamus: de Manutii verò epistolis quæ dici porrò queant, hîc subjiciamus.

Primam harum editionem, id quod Autoris præfatio dubitari non sinit, anno seculi superioris octavo & quinquagesimo adornavit ipse Paulus Manutius. Eam cur putem non nisi quinque librorum fuisse, ad sextum certè non processisse, (ut annorum, qui sunt quibusdam adscripti epistolis, indicia omittam,) hæc me ratio movet, quia codex Coloniæ anno 1569. impressus, cùm haud plures octo libris complectatur, tres nuper additos diserte profitetur in frontispicio, qui nimirum sunt, sextus, septimus & octavus. Altera igitur editio fuerit octo librorum. Tertiam puto decem feciſse, quandoquidem Veneta anni 1573. quam ita quartam pono, undecim libros exhi-

exhibens, unum nuper additum esse monet. Quarta, quam dixi, ultima fuit earum, quæ vivo exierunt Paulo. Ipsum enim proximè sequens annus 1574. rebus humanis exemit. Unde conficiam, duodecimum librum, qui novissimarum editionum postremus est, ab Aldo filio, qui volumen universum Jacobo Boncompagno dedicavit, fuisse adjectum. Ordo Epistolarum minimè alligatus est ad seriem temporum: ne ad personas quidem semper, cùm, quæ ad eandem sunt missæ, divulsæ hîc interdum legantur. Videlicet cùm paucis admodùm annus ac mensis legatur adscriptus, revocari accuratè ad calculos temporum non potuere. Sed hæc perturbatio adeò invaluit in edendis hominum doctorum epistolis, ut penè prodigii sit instar, si aliter fiat: quanquam negari non potest, oppidò juvari lectores, eos inprimis, qui his in amicorum colloquiis venantur historias, ordine literarum chronologico. Sed ferri hæc negligentiæ in Manutianis tantò æquiùs potest, quòd eæ perquam rarò ea misceant, quæ requirat historicus. Porrò ab editione, quæ omnium fuit prima, sequentes quibusdam in locis ex ipsius Autoris consilio discessisse, duobus inprimis testimoniis docere luculenter possumus. Alterum petere licebit ex ipsis libri IX. Epistolis 2. & 3. quæ clarè demonstrant, sustulisse nonnihil de Maximiliano Imperatore Manutium ex Epistola quâdam ad Sambucum, quam non dubito esse libri quarti trigesimam quintam. Alterum suggerit appendix disputationum Caroli Si-

gonii Patavinarum adversùs Robortellum, ubi hæc lego *i*): *Audivi, qui affirmarent, Paulum Manutium virum integerrimum de virtute & moribus Robortelli intellexisse, cùm in quarto k) epistolarum ad Muretum in primâ editione scribit his verbis:* cum illo, qui Galateam amavit invitam *l*), si quid adversùs me, suscipe, ut ego in tuis injuriis soleo, & sustine prælia: nervos enim habes: ille nostram vicem ulciscetur sua malefacta, nam invidiâ rumpitur, & habet, quod intimis eum sensibus dies noctesque excruciet. Nos laudabilia cogitemus, & ad præclara illa studia incumbamus. De isto ne meminerimus quidem, qui bonos omnes, hoc est sui dissimiles, odit iniquissimè. *Quibus verbis aut hic, aut certè Polyphemus alius quidam exprimitur, qui Galateam amavit invitam.* Enimverò intercessisse quondam Robortello cum Paulo quoque Manutio simultatem Hieronymi Seripandi Cardinalis opere posteà sublatam, prodit hoc in opere nostro epistola 27. libri V. suntque in medio adversus Manutium reprehensiones Robortelli *m*). Cæterum indicio Sigoniani loci videmur & interpretari posse obscura quædam verba in Epistolis Mureti *n*): *Si nihil est aliud præter occultam quandam coitionem, factam à duobus civibus amicis nostris ad dejiciendum eum, qui successit in Polyphemi locum*

caus-

i) f. m. 619. *k*) tu tertium rescribe librum, & in ea quære epistolam quintam. *l*) pro his hodiè legitur: *Cum illo, qui mihi nunquam placuit, impuro homine.* *m*) Disp. de arte corrig. antiq. libros: item II. Emend. 8. & alibi apud Gruter. Tom. II. Lamp. p. 24. seqq. & 71. Plura dabit Index illius Tomi prior lit. P. *n*) Vol. I. lib. I. Ep. 13.

causa nulla est, cur id tantopere celatum velis. Nam & hîc Polyphemi nomine vix alium arbitrer significari, quàm Robortellum. Sanè vastæ molis hominem vocat Johannes Imperialis *o*), onerosamque totius corporis molem illi tribuit *p*): ut hinc facilè subnasci potuerit occasio cum Polyphemo illum comparare volentibus. Admonet nos mentio Mureti, ut ea quoque hunc in locum feramus, quæ de Epistolis Manutii ad Muretum habemus dicere. Harum sibi exemplum servasse Manutium haud reor: atque factum hinc esse, ut eas emittere cupiens in publicum, rogaret Muretum, qui descriptas ipsi remitteret. Sic enim Muretus Vol. II. Ep. 6. *q*) *Quatuor illas, quas petis, prepediem habiturus es: ad eas enim describendas operam mihi suam Molinus r*) *noster ultrò detulit. Quod autem videris subdubitare, ecquid ego eas asservaverim, obsecro te, usque eò tu me aut negligentem, aut barbarum, aut inhumanum putasti, ut eas perire sinerem?* Et Epist. seq. *s*) *Epistolas tuas, ut diligenter custodiam, admonendus non sum; sed & describendas curabo.* Sed cùm his duabus Epistolis respondeat Muretus ad Manutii 19. & 20. libri III. quid est, quòd ibi nihil eo de negotio scribentem legimus Manutium? Scilicet hoc argumento sit nobis, cùm ederentur Epistolæ, quædam ex iis fuisse resecta, quod ab ipso putem esse Manutio factum. Sic vicissim credam illa verba, quæ ex epistolâ Mureti Manutius lib. III. Epist. 10. prodit nobis: *Vellem hîc paulò ἐντιμώτερον vivere licet,*

o) in Museo p. 58. *p*) ibid. p. 61. *q*) p. m. 237. *r*) hâc de re consule & Muretum Vol. I. lib. I. Ep. 5. & 12. & Manut. lib. III. Ep. 14. in fine. *s*) p. 813.

ret, à Mureto inducta, iisque Vol. I. lib. I. Epist. 134 t) hæc substituta fuisse: *Omninò cuperem aliquam μεταβολὴν: non quin placeat index Patavium, sed quid intelligam, scio te quoque intelligere.* Quid conjecturis opus est? Satis loquuntur asteriscì non penitus infrequentes, in his Epistolis fuisse quædam, quæ digna Manutius habuerit silentio. Neque novi hodiè res hæc exempli est. Imò integris Manutii ad Muretum Epistolis carendum fuit nobis, ne arcanorum, quæ pro illâ penè fraternâ, ut Manutius loquitur u), necessitudine, alter alteri denudaverat, conscii fieremus. *Epistolæ tuæ*, inquit alicubi Muretus x), *nullæ præterea sunt, quas quidem edi oporteat. Sunt enim in aliis pleraque omnia τῶν ἀποῤῥήτων. Iterum vale. Hodierna elegantissima est, sed ut videtur, non divulganda.* Supersunt tamen & in editis quædam, velut in aurem dicta, sed αἰνιγματώδη, quale illud est, quod de amante Galatea invitam Polyphemo paulò superiùs afferabamus.

Supereſt, ut rationem totius editionis noſtræ tibi, Lector benevole, reddamus. Expreſſa ea typis eſt ad exemplar editionis Lubecenſis anno 1646. vulgatæ. Nam hæc & recentiſſima habebatur, & Clariſſimi Viri Joannis Kirchmanni ſummariis erat ac notis aucta, non quidem opinor ab ipſo vivo præbitis, ſed poſt ejus obitum ſuggeſtis fortaſſe ab aliquo Auditorum. Hoc auſim certo affirmare, à quocunque potius, quàm à Kirchmanno editionis illius titulum eſſe, cùm pro libris Epiſtolarum

XII.

t) p. 268. u) lib. III. Epist. 8. x) Vol. I. libr. I. Epist. 4. pag. 270.

XII. (nunquam enim plures fuêre,) polliceatur XIV. præfationes autem penitus obticescat. Aut vehementer ego fallor, aut ineptus aliquis, cui Lipsiensis editio anni 1615. præ manibus esset, à titulo, quem pravâ interpunctione laborantem non intellexit, deceptus, cùm pro vetere novum dare vellet, in istam inscribendi rationem insulsam est prolapsus. Sic enim habet Lipsiensis Codex: *Epistolarum Pauli Manutii libri XII. duobus nuper additis ejusdem, quæ præfationes appellantur.* Putavit ergò bellus homo, duodecim libris accessisse duos Epistolarum, quæ præfationes appellentur, alios, ut ita quatuordecim liceret universim numerare. Verùm nulla quod sciam, est editio, ne quidem ipsa Lubecensis, quæ in voluminis cursu præfationes vel in epistolarum numeros conjiciat, vel duobus libris circumscribat. Si tituli novi artifex ille sapuisset, exputare poterat, sic fuisse interpungendum: *Epistolarum Pauli Manutii libri XII. duobus nuper additis. Ejusdem quæ præfationes appellantur:* sensum autem esse, non è duodecim libris esse quatuordecim factos,) res enim ipsa hoc refellit,) sed qui aliquando fuissent decem, accessu duorum crevisse in duodenarium. Similiter editio Colonienſis A. 1569. octo libros profitetur, tribus additis, (cum scil. aliàs tantùm essent quinque:) & Veneta A. 1573. undecim, uno addito, (puta, qui antè forent decem. Sed omittamus somnium hominis, & ad Kirchmannum revertamur. Cujus quæ nomen præferunt summaria, & notas retinere, quales accepimus, visum est. Pro

paginarum tamen, ad quas eæ subinde mittebant Lectorem, indiciis alphabeti literas, ipsi quoque textui convenientibus locis inserendas, adhibere, maluimus. Quod mutandi negotium imponi sibi libenter passus est præstans eruditione Juvenis Johannes Georgius Schammelius Luccavienſis. Qui & laboris uno alterovè adscito socio exemplar Lubecense cum tribus aliis, uno Veneto A. 1573. altero Morgiensi A. 1581. tertio Lipsiensi A. 1615. contulit, ad eorumq; fidem haud indiligenter, ut spero, exegit, cum priùs Manutianis ad Muretum epistolis plerisque appositissemus monita, è quibus cognoscere liceret, quæ Manutiana quam Mureti epistolam provocasset, cuive responderet. Quo loco subit recordari, Manutii Epistolam, quæ legitur decima septima libri III. cuique respondet Muretus epistolâ secundi Voluminis quartâ, cujusmodi esse, ut suspicari queas, quædam ex eâ Manutium, quod insolens illi non esse suprà docebamus, sustulisse. Utique nihil in eâ de filio, nihil de Tirone & Alexide, de quibus tamen referibit Muretus. Dici interim forte possit, non ad unas ibi literas, sed binas, respondere Muretum. Vita utriusque Manutii, quam è Lubecensi editione servare placuit, quem autorem agnoscat, edere non habeo, nisi quod conjicere licet, ejusdem esse, cujus sunt summaria cum notis. Ac Pauli quidem vitam ex ipsis Epistolis operâ non ignavâ congestam esse apparet. Illud conciliare non possum aut exputare, quomodo si natus est Paulus, ut ille βιογράφος opinatur, anno 1512. septuagenario major obierit, cùm

cùm è vivis eum excessisse anno 1574. liquidò possit è Thuano y) & Guil. Budæo z) demonstrari. Sed hoc facilè condones ei, qui fatalem Manutio annum ignoravit. Poteramus è Musco Historico Joannis Imperialis describere, quicquid ille de Manutio nostro suggerit, sed maluimus esse contenti tùm effigie disertissimi Autoris, quatuor senariolis nostris auctâ, tùm excerptis pauculis, quibus inter elogia Manutiana locum invenimus. Elogia ipsa solas eloquentiæ laudes complectuntur: cæterarum enim virtutum encomia cumulare propositum nobis non fuit. Scioppium inter laudatores Manutii omisimus de industriâ, indignum hominem, cujus testimonio stet cadatve nostri Autoris existimatio. Quanquam enim præclara valdè dixeris, quæ de eo scribit in hæc verba *a*): *Huic nemo, qui sanus sit, ad puritatis & elegantiæ latinæ summam quicquam b) defuisse dixerit:* mox tamen *c*) colaphum ipsi non levem ex re nihili, quam suprà discussimus, infligit, alibi etiam *d*) solis è rumusculis graviorem intentat, cùm de Maffeio & Manutio hæc effundit: *Ii, ut accepi, cùm quid scriberent, versûs consequentes à præcedentibus quatuor digitorum intervallo separabant, ut reponendis, quæ in Calepiniano vel Nizoliano verborum indice subinde meliora reperissent, satis spacii haberent. Sæpe etiam epistolæ primo vere ad amicũ scribi cœptæ adulto demùm de præcipite jam auctumno extremam manũ imponebant. Quâ ex refactum*

y) lib. LIX. f. 108. z) θανατολ. p. 124.

a) p. 69. judic. de stilo histor. b) excusum erat *quicquid*, c) p. seq. d) p. 73. 74.

esse minimè miror, ut in Manutii Epistolis, quamvis elegantissimis ac velut sesamo & papavere sparsis nequaquam ea sit gratia, quæ hominem, nisi valdè otiosum, ad iteratam lectionem invitet. Cui profectò obtrectationi, quoniam ipsa sea rguit mendacii, & emotæ mentis apertissima signa legentibus ingerit, nihil est respondendum. Manutio verò contrà unius rabidi hominis inanem latratum provocare licebit ad egregia tot virorum illustrium de se judicia. Quæ de cætero editioni præsenti accesserunt, hæc sunt: Præfationibus Manutianis unam addidimus, quæ nescio quomodo eos, qui operi toties recuso, toties aucto præfuerunt, effugerat. Eam verò præscripserat Manutius Commentario Eustratii aliorumque Græcorum in Aristotelis Nicomachea. Etiam epistolas decem, quæ ab aliis viris doctis ad Manutium scriptæ cum certis Manutianis cohærerent, non in uno, ut ita loquar, nemore indagatas, adjecimus, tùm quia invitabat ipsius Manutii exemplum, qui suis unam à Cratone scriptam *e)* inseruerat, (quanquam peculiaris hîc interveniisse ratio videtur,) tùm quia certò confidimus, non parùm hoc prodesse ad eloquentiam epistolicam adspirantibus, si super eodem argumento, non modò quid scribi soleat, sed & quid rescribi, ipsâ fide oculorum possint arbitrari. Quamobrem nec indiculum illum quinque Catenarum epistolicarum, quem collatio cum epistolis Mureti peperit nobis, negligendum sumus arbitrati. Vale Lector, & festinatæ scriptioni, (urgebat enim chalcographus,) ignosce. Lipsiæ initio nundinarum Vernalium A. 1669.

e) lib. IX. Epist. 2.

PRIN-

PRINCIPI ILLUSTRISS.
ET EXCELLENTISS.

JACOBO BONCOMPAGNO, LITERATORUM MÆCENATI AMPLISSIMO

ALDUS MANUTIUS
PAULI F. ALDI N. STUDII,
GRATITUDINI OBSERVANTIÆ ERGO

HOC PAULI PATRIS
EPISTOLARUM PRÆFATIONUMQUE
VOLUMEN
NUNCUPAT DICATQ.

AD ILLUSTRISS.

ALBERICUM CIBO MALASPINAM.

MASSÆ ET CARRARIÆ PRINCIPEM.

EX iis artibus, quæ meritò liberales appellantur, excellere duas in primis, Literarum scientiam, & Rei militaris præstantiam, in omni ætate omnium consensu judicatum est: utra verò ex his ipsis illustrior, utra magis expetenda sit, & quæsitum aliquando est à magnis viris, & minimè tamen adhuc planè videtur explicata deliberatio. Nam ut otium & pax, sine quibus literæ non consistunt, armis comparentur: tamen nec ipsa feliciter satis arma tractantur, nisi adsint illa, quæ magna ex parte à literis petuntur, consilium, ordo, prudentia, animi præterea ratione temperata magnitudo, ut sicubi periculum occurrat, metus pariter ac temeritas absint. Itaque constat, quæ nationes bellica gloria claruerunt, in iisdem viguisse studia doctrinæ, ut in Græcia, quæ Persarum innumerabiles exercitus

non

non modò sustinuit, verùm etiam fregit atque profligavit, ipsa verò nunquam vinci, nisi à seipsa potuit. Domesticis enim & divisa discordiis & infirmata bellis non tàm Philippi, Macedonum Regis virtute, quam propriis perculsa viribus, afflictaque corruit; Romana verò gente, quæ fuit ulla unquam gens, aut belli gerendi scientia, ac fortitudine præstantior, autiis præcipuè literis, quæ rudes animos humanitate informant, exculta diligentius? Hinc illa manus Ducum excellentium, quæ Romani terminos imperii quam longissimè protulit; Catones, Æmiliani, Sullæ, Luculli, Cæsares, quos historiæ mirabiliter laudant, nec tamen ita, ut eorum merita laudes ullæ satis adæquare videantur. Age, Macedonum tot victoriæ, tot militaria decora unde fluxerint, si quis interroget, quid respondebimus? hoc primum, ut opinor, ab Alexandro duce: is enim Asiam perdomuit universam, & ad intimos etiam Oceani recessus penetrasse fertur: deinde illud, à Phalange, quæ fuit acies in exercitu firmissima. Quod utrumque si spectetur ac perpendatur accuratè, non exiguam fortasse bellicæ laudis partem literæ sibi vindicant.

cant. Nam Alexandrum à primis annis disciplina erudiit Aristoteles, & ad eam tum animi tum ingenii præstantiam, quâ postea res illas, omnium opinione majores, & aggressus est & confecit, præceptis philosophiæ pulcherrimis extulit. Phalangem verò, ejusque artem struendæ ab uno primum Homeri Poëtæ versu manasse, doctissimi homines memoriæ prodiderunt. Ergo vicissim & à literis adjuvantur arma, & ab armis literæ sustinentur. Quod si, ubi quæsitum armis imperium est, ibi artes illæ vigerent, quæ literarum usu cognoscuntur: conservarentur facilè studia civium ac populorum: & communi omnium concordia, nullus unquam externis viribus ad labefactandam publicam rem locus esse posset. Quod contra & in Græcia, & apud Romanos, & ubivis gentium accidisse, atque accidere quotidie videmus. Neque solùm in una civitate, aut in una etiam gente multos, sed vix in singulis familiis singulos, qui utramque laudem adamaverint, & in utraque pariter excelluerint, reperire difficillimum est: unum quidem non modò nostra tempestate, sed multorum seculorum memoria, historiæ celebrant,

quem

quem verè phœnicem inter omnes Europæ universæ Principes licet appellare, Laurentium Medicem, proavum tuum: cujus nescio, plusne virtus in bellis, an in pace sapientia ac moderatio enituerit. Nam rem Florentinam, sæpe adversa fortuna nutantem, confirmavit, interdum malis propè extinctam unus ipse non modò restituit, verùm etiam vehementer auxit. Tranquillis verò rebus, ornavit patriam, munivit legibus optimis atque institutis; justitiam præter cæteros, ac temperantiam publicè, privatimque coluit: liberalitate, si quis unquam, delectatus est; cujus fama longinquas regiones pervagata, barbaras etiam gentes, & religione diversas, illi conciliavit, multosque aliqua modò virtute, nobilive arte insignes, in urbem Florentiam perduxit. Et, ut alia vel in patriam, vel in singulos non vulgaria merita omittantur, quis miseram Græciam, suis sedibus Othomanorum injuria pulsam, supplicem atque egentem hospitio excepit, benignitate sublevavit, perpetuo studio fovit, ac tutatus est? unus eam laudem sibi vindicat, unus in Italia Græcas literas, & præclara doctrinarum studia Laurentius

tius Medices excitavit, cum & ipse pro ea, quâ excelluit, eruditione acerrimus esset ingeniorum æstimator, & naturæ quodam impulsu ad beneficentiam magnopere propenderet: ut mirandum minimè videatur, si, tanto patre genitus, domestico tam illustri exemplo commotus, Leo decimus, Pontifex maximus, omnes liberales disciplinas præmiis extulit atque ornavit amplissimis, effecitque, ut aliquando ROMAM in urbe ROMA liceret agnoscere. In tua verò paterna gente Cibo, & in materna Malaspina, mirabilis omnium virtutum in omni ætate fuit exercitatio &, ne illa nimis vetera ex annalibus fide dignis repetamus, jam inde ab eo tempore, cum Græcorum Imperatorum ætate, oppidum Pera, quod proximè Byzantium situm est, Genuenses obtinebant, quo tempore summis honoribus, & copiis majores tuos floruisse constat; aut cum Mucius ille Cibo, planè alter Mucius in tuenda patriæ salute, triremibus privato sumtu comparatis atque instructis, Pisanos, Genuensium rebus acriter infensos, in Sardinia profligavit: sexcenta præterea in Genuensium Rempubl. merita, in qua etiam Gulielmus Cibo Cru-

ce

ce rubea, publico insigni, virtutis ergo decoratus est: hæc ut omittam, & illa, quæ avorum nostrorum memoria gesta sunt, attingam, Aranus, Aaron in historiis nominatus, equestri dignitate ornatus, Romani Senatoris titulo insignis, antiqua illæ quidem suæ gentis nobilitate clarus, multo tamen suis laudibus illustrior, qui nihil unquam in vita non egregium, non amplum, non ingenuo nobilique viro dignum aut cogitavit, aut fecit. Is, qua tempestate Renatus Andegavensis Alfonso Neapolitanorum Regi bellum intulit, in eo bello, quæcunque à summo duce munera postulantur, ea fortissimè præstitit, usque eo, ut Renatus, Neapoli potitus, eum pro Rege, jure summo, ac potestate amplissima constituerit, quo in imperio ita se gessit abstinenter, ita justitiam est complexus, ut, cum ad Alfonsum rursus victoria inclinasset, afflictis Renati partibus, exceptus ab illo sit honorificè inprimis, ac splendidè; quemque apud Renatum antea, eundem apud eum, quem sæpe armis læserat, sæpe in discrimen vitæ adduxerat, & dignitatis & gratiæ locum obtinuerit. Et ex hac tantarum virtutum præstantia filius ejus ad optimam

ptimam naturam optima voluntate adjuncta, documenta sumsit ad vitam laudabiliter instituendam, & iis artibus excolendam, quibus postea maximam adeptus & virtutis & probitatis opinionem, Pontifex, approbante DEO, faventibus atque incumbentibus hominibus, creatus est. Nec se postea, ut multi, sui dissimilem præbuit: sed, quantum antea contenderat, ut in studio virtutibus omnes anteiret, tantum, ut se ipse in omni laude vinceret, & studuit & consecutus est. Itaque quemadmodum ei non modò ad obtinendam Cardinalis dignitatem, verum etiam ad Pontificatum, antiqua majorum existimatio, & clarissima patris memoria quasi viam ex aliqua parte muniit, aditumque patefecit; sic patris deinde tui fratrem, multis illum quidem animi bonis ornatum, multo tamen facilius ad Cardinalatum egregia Pontificatus Innocentii fama perduxit. Hæc est in tua gente, magne Princeps, non opum ac divitiarum, quibus etiam minime digni sæpe affluunt, sed virtutis & gloriæ, perpetua multorum seculorum serie quasi per manus tradita & ad te ipsum usque conservata hæreditas. Nec verò paternum

tibi

tibi quidem genus prædicandum, maternum autem dissimulandum videtur. Utroq; licet, si vetera spectas, æquè glorieris. Nam Malaspinarum nobilitas simul & antiquitas Etrusci Poëtæ doctissimi, ac sapientissimi Dantis testimonio cognoscitur: nobilitas in eo, quòd illam Italiæ partem, quæ hodie Lunejana communi vocabulo nuncupatur, Malaspinis olim universam paruisse tradit: antiquitas autem, quòd cum ipse annis ante nos ducentis quinquaginta floruerit, Corradum tamẽ Malaspinam, non ut ætati suæ proximum, sed ut multis ante seculis natum, honorificè appellat. Vides à quibus viris originem ducas, Alberice clarissime. Neq; vera vides tu quidem, sed non imitaris, aut imitaris quidem, sed non assequeris. Versantur enim in animo tuo cogitationes egregiæ: inde emergunt præclara facta tuis majoribus, teq; ipso digna. Et, quanquam tibi maximè propositum est militare decus, unde primùm tuæ gentis nobilitas fluxit: magni tamen facis earum doctrinarum studia, quæ si absint ab hominum vita, simul absit omnis humanitas, neque satis diu, quæ merces virtutis est, rectè factorum memoria conservetur. Faves in-

geniis, ut audio : nihil deesse literatis hominibus, nullum commodum, nullum ornamentum, pateris: cupis virorum illustrium res gestas æternis mandari monumentis literarum. Et vidi jam de Laurentii Medices vita libros tres, à Nicolao Crotto luculenter conscriptos, qui cùm superioribus diebus Venetias venisset, mira quædam de animi, ingenii, consilii tui præstantia, de studio erga nobiles disciplinas, præterea de humanitate, ac morum elegantia prædicabat, quæ cùm in te ipso bona sint, longè pluris intelligentium judicio, quàm ea, quæ petuntur extrinsecus, æstimantur. Nam argenti atque auri magnam vim, possidere, imperare populis, oppida tenere munitissima, clarum esse à majoribus, omnes pænè Italiæ Principes, summos etiam Reges, necessitudine attingere, magna quidem hæc sunt, nec tibi communia cum multis, ejusmodi tamen, ut inter fortunæ munera referantur, quæ scis etiam ad tuis dissimillimos pervenire. Vitam autem sic instituere, ut omnia consilia, omnes actiones ratio moderetur, virtutem in se ipso expetere, in aliis diligere ac ornare, velle inter homines eminere beneficentiâ potius, quàm potestate:

ſtate: hæc quia partim ſequeris, partim adeptus jam es, idcircò te verè divitem, qui æterna bona tibi compares, verè nobilem, qui nobilitatem à te ipſo haurias, exiſtimamus. Atque etiam illa ipſa, quæ dixi à fortuna pendere, quia cum virtute conjungis, firmiora fiunt: quandoquidem neque tuas urbes, tuamque ditionem mœnia potiùs & aggeres, & flumina, quàm populorum benevolentia tuebitur, neque faciliùs ullâ re, quàm rectè factis, benevolentia comparatur. Quæ ſit autem eorum, qui propè adſunt, qui te quotidie intuentur, ad te diligendum propenſio, nos, qui longinqui ſumus, ex noſtro in te ſingulari ſtudio facilè judicamus. Nam me quidem, jam aliquot abhinc annis, ea, quæ de adoleſcentulo, rerum laudabilium infinita cupiditas, & magnarum indoles virtutum ferebatur, in tui amorem atque obſervantiam cœpit allicere: poſtea, tuis laudibus cum ætate auctis incenſus ita ſum, ut ſtatuerim, tibi quidem primùm, deinde etiam aliis, aut meum in te celebrando ingenium, aut certe voluntatem aliquando oſtendere. Quare, cùm hæc jam increbuerit conſuetudo, ut de quibus optimè ſentimus, iis

dicata esse, & eorum nomine insigniri nostra scripta cupiamus: mittendum putavi ad te, dum aliquid interim fortasse præstantius adornatur, volumen Epistolarum & Præfationum mearum. Quas ego nequaquam edere animum induxissem, nisi me suadentis atque etiam petentis Venetæ nobilitatis movisset auctoritas. Quibus enim pro summis erga me meritis omnia debere mihi videor, iis cur aliquid à me negari æquum putem? cur non obsequar ampliſſimis viris, non credam sapientissimis, non gratificer amicissimis? Tuo verò nomini liber inscriptus ut exiret, fecerunt illa superiora: quæ ne te offendant, (quandoquidem sunt à me, non ut gratiam tuam fictâ laudatione colligerem, sed ut omnibus mei erga te studii causam verissimam exponerem, commemorata) cupio impetrare à modestia tua, & debeo scilicet, cum etiam in iis non tàm ad laudandum, quàm ad cohortandum nonnulla pertineant: & currentibus ad metam, atque etiam appropinquantibus, minimè molestas esse cohortantium voces, minimè plausum displicere constat. Venetiis. M.D.LIIX.

VITA

VITA
PAULI MANUTII
ALDI F.
EX EJUS POTISSIMUM
scriptis collecta.

PAulus Manutius, Aldo parente Docto Doctior Filius anno natus ut opinor 1512. non accurata modò Latinæ linguæ cognitione instructus, sed & imitationem Ciceronis potissimum, ut Eloquentiæ principis adhibuit, (lib.1.Epist.3. & 4.) Cumque è M. Tullii Oratore didicisset, vertendo, commentando, stylumque exercendo parari augerique bene dicendi facultatem, sapientiamque Eloquentiæ esse conjungendam, ita se comparavit, ut paratâ è cæteris antiquis scriptoribus rerum cognitione, ad Ciceronem posteritatis commodo illustrandum, totum se converterit, ut legi melius atque intelligi deinceps posset. Igitur emendatiorem longe, frequentiùs dedit, post Epistolas, atque Orationes (lib.11.Epist.9.) Commentariis illustravit.

Doctis, Jupiter, & laboriosis.

tum verò diſertiſſimè eas, quæ ad familiares (l. 6. Epiſt. 16. & l. 7. Ep. 10.) ſcriptæ ſunt, & ad Pompejum Atticum illuſtravit: ut cum parente filium Aldum, totum adornaſſe Ciceronem videas, prætereà neminem. Et certè propria ea Manutianæ familiæ laus, ſi verum fateri volumus, neminem unum plura in Oratorum principe aut præſtitiſſe aut accuratiùs adnotaſſe.

Græcarum quoq; literarum in paucis peritus Paulus, Philippicas Demoſthenis diſertè Latinâ civitate donavit. Antiquitatis quoq; doctiſſimus de legibus (lib. 2. Ep. 13.) de Civitate Romana, deq; Senatu breviter, ſed venuſte conſcripſit. Romam hic Venetiis honoris gratiâ à Pio IV. Pontif. Maxim. (l. 8. Ep. 1.) ut ſacros libros atque Eccleſiaſticos pari cum profanis, aut majore diligentiâ evulgaret, evocatus, ſtipendio ad id quinq; millium ſcutatorum accepto, (l. 10. Ep. 12.) At laboribus ille in tot tantisque moleſtiis non frangebatur, homo ſtudiis imprimis addictus, contracta macie ac pallore quod & indicat effigies: oculorumq; & ſtomachi dolore, (l. 11. Ep. 5. 22. l. 4. Ep. 45. l. 5. Ep. 15.) ut lucubrando olei plus quàm vini (quod de Atheni-

thenienſi olim Oratore jactatum) conſumſiſſe videatur. (l.9.Ep.5.) Roma poſt decem annorum labores Venetias rediit An. 1570. ut valetudini conſuleret, & ad ſtudia, quæ magnam tum jacturam fecerant, rediret. Poſt biennium rurſus jam ſexagenarius Romam profectus, filiam, quam unicã habebat, honeſto (l.11.Ep.15.) juveni Jurisconſulto deſpondit (l.12.Ep.4.) ſed Cardinalium & amicorum ſuaſu, juſſu Gregorii XIII. Pontif. Maxim. ſedem ibi figere (l.11.Ep.15.) denuò coactus eſt. In Epiſtolis ſcribendis, atque adeò latino ſermone ſic regnat, ut ad veterum gloriam propiùs acceſſiſſe credatur nemo. Senex admodum & exhauſtus, ſeptuagenario, credo, major Romæ vitâ functus eſt, conditusque in æde ſacra Deiparæ Virginis ſupra Minervam, nullo tamen, quod equidem miror, addito titulo, ab Aldo F. qui ſolus paterni nominis hæres (alter enim filius in pueritia obierat libr. 4. 37.) ſepulchri honorem, in libris potiùs coacervandis, quàm ſcribendo occupatus neglexiſſe putatur.

Pauli autem hæc ſcripta propriis typis edita feruntur.

Scholia & adoram notæ in Epistolas ad familiares, & in Officiorum libellos.

Commentarios in Epistolas ad familiares & ad Atticum, Brutum & Q. Fratrem.

Scholia in Ciceronis Philosophicos libros, & in Asconium Pedianum.

Additamentum ad Ambrosium Calepinum.

Commentaria in omnes Ciceronis Orationes; copiosiùs verò in eam pro Sextio, & pro Archia Poëta.

Antiquitatum libros. de Legibus, de Senatu, de civitate Romana, & hos quidem nondum in germania excusos.

Demosthenis Philippicas quatuor Latinas fecit.

Beatum Cyprianum à se emendatum notis illustravit.

Apophthegmata & Adagia Chiliastis Batavi Patrum Tridentinæ Synodi jussu sordibus expurgavit.

Epistolarum ejus libri XII. & Præfationum unus.

AL-

ALDUS MANUTIUS
PAULI F. ALDIN.

STYLO quoque, patre domestico exemplo incitante, valuit, & conditione, ingenioque non mediocri, ut, ut rarum id, & inusitatum posteris fore existimem, in una eademque Manutiana familia tres continenter, Filium, Patrem, & avum doctos homines repertos & eloquentes: quandoquidem & binos si reperias, obstupescas, & prodigii simile videatur; quòd ferè (ut vetere verbo dicitur) heroum filii noxæ sint, & magnorum virorum liberi à paternis plerumque vestigiis degenerent, ut, ne longiùs abeam, de M. Tullii Ciceronis Filio poculis dedito memoriæ proditum à Seneca Rhetore, & C. Plinio accepimus: qui cum acerrimo patris hoste ac percussore M. Antonio potando certans, paternam spem omnem relictæ gloriæ exspectationemque decoxit.

Aldus verò formulas seu Phrases adolescens, rectèque scribendi rationem, quam orthographiam Græci nominant, patre præeunte posteris utiliter reliquit: illas quidem è Cicerone & Cæsare, hanc verò marmoribus, nummis, Grammaticis, & Græcâ scribendi consuetudine concinnatam. Ciceronis quoque Philosophica, quam partem leniter attactam pater reliquerat, Commentario hinc inde illustravit, ediditque Venetiis: ubi ductâ uxore discessit, & Bononiæ primùm Caroli Sigonii (bone DEUS qualis viri!) locum professionemque

non diu tenuit: mox Pisas commigravit, & magni Etruriæ Duci res domi forisque gestas vernaculè conscripsit. Romam inde Xisto V. Pontif. migravit, & in Sapientiæ gymnasio professus sub Clemente VIII. doctoris personam sustinuit, sed ut

Spectares raros nantes in gurgite vasto.

Nec enim disertus erat, memoria perexigua, ut de scripto ferè dictaret. Tandem ab eodem Clementi Pontif. in aulam Vaticanam accitus typographicis operis corrigendis præfuit, obiitque anno, opinor, cIↃ. IↃ. XCVII. relicta Pisanæ Academiæ Bibliotheca octoginta millium librorum, ut gloriabatur, numeratis etiam minimis. Scripsit nonnulla quæ referre operæ pretium fuerit.

Phrases linguæ Latinæ, ad stylum formandum perutiles.

De Orthographia opus ingens cum veterum inscriptionibus, ejusque Epitomen sæpius instauravit.

In Ciceronis Officiorum libros, cæterosque libellos Commentarios.

Item in Philosophicos libros omnes, in Academicas & Tusculanas quæstiones, de Legibus, & de universitate è Timæo Platonis.

In Cæsaris Commentariorum libros omnes Notæ.

In Salustium Scholia, & fragmenta.

In Vellejum Paterculum, & Censorinum de die natali Notæ.

In Horatii artem Poëticam, Annotationes & in Odam lib. quæ de laudibus est rei rusticæ.

De quæsitis per epistolam argumenta varia.

ELO-

ELOGIA
Eloquentiæ Manutianæ.

Julius Pogianus in Epistolâ quadam ad Octavianum Magium. p. 226. 227. Epist. Clar. Viror.)

FElicem igitur te esse statuo Magi, qui Manutium & Venetiis, & tui tàm studiosum habeas. De quo quidem sic existimo, istius viri tùm doctrinâ, tùm latinæ linguæ elegantiâ penè admirabiliores esse Venetias, quàm situ, quàm navalibus, quàm singulari istâ pulchritudine, & magnificentiâ Urbis. Quare urge occasionem, & exple aliquando sitim eloquentiæ tuam purissimis ejus & uberrimis fontibus. Unum ex novis latinitatis autoribus intuere & contemplare Manutium: uno illo utere veterum imitationis Magistro. In quo uno ferè mihi videor agnoscere reliquam imaginem latinæ orationis, quam mirari licet omnibus, imitari paucis.

Similia leges in Appendicis Epistolà tertiâ. Cui & quartam, si libet, junge.

M. A. Muretus Volum. II. Orat. 16. p. m. 126.

Vir in scribendis epistolis latinis singulari lepore ac venustate præditus, Paulus Manutius.

Idem Vol. II. I. Ep. 12. quæ est ad Manutium, p. 267.

Vel illa (*epistola*) quam hodiè accepi, quàm festiva est, quàm hilaris, quàm tua. Itaque Molinus exultat quotidiè addi aliquid ad laborem suum *a*): soletq; mihi sæpè in sermonibus dicere, ingenium tuum sibi agrorum Siculorum simile videri, è quibus

Æstivâ quantum decerpunt luce capellæ
Tantum fœcundus gelidâ ros nocte reponit,

a) de-

a) *describendi videlicet epistolas, quas ad Muretum scripserat Manutius, cui labori operam suam ultrò detulerat Molinus, Vid. Muret. Vol. II. Epist. 6. p. 237.*

Idem lib. I Var. Lect. c. 6. p. 16.

Manutius, de quo viro meritò dubitari potest, plusne ipse Ciceroni, an ipsi Cicero debeat. Nam & ipse tractandis assiduè Ciceronis scriptis eam assecutus est eloquentiæ laudem, quâ vincit omnes: & cum ad ingenium, quo excellit, addidisset diligentiam, -- incredibile est, quot ab errorum millibus eos libros felicissimè vindicarit.

M. A. Majoragius Orat. X. p. m. 239.

Aldi filius, juvenis cùm summâ eruditione, tùm orationis elegantiâ præstans.

Hier. Magius lib. III. Miscell. c. 19. (p. 1382. Tom. II. Lamp. Gruteri.)

Eruditissimus pariter atque elegantissimus vir Paulus Manutius.

Hieron. Mercurialis lib. IV. Var. Lect. c. 7. p. 206.

Postrema illa verba quid significent, obscurum est. Itaque restitui debent, ut in manuscripto Pauli Manutii, omnium post Ciceronem eloquentissimi codice invenitur.

Carol. Sigonius append. disp. Patavin. f. m. 618.

Paulus Manutius, omnis elegantioris doctrinæ, & latinæ eloquentiæ princeps.

Jac. Aug. Thuanus lib. LIX. Histor. f. m. 108.

Hic annus (1574.) præterea nobis eripuit duo magna Italiæ & Germaniæ lumina, Paulum Manutium & Joachimum Camerarium --- Et in Paulo quidem

quioem præter exactam puritatis Latinæ, & antiquitatis Romanæ cognitionem, quam in Ciceronem suum illustrandum attulit, plerisque scriptis, dum vixit, publicatis, & post mortem à filio Aldo, virtutum paternarum hærede editis, præcipua ad juvandos aliorum labores cura, ac per manûs hereditario veluti jure à patre & avo tradita industria, fuit in insigni illâ, omnibus seculis deprædicandâ artis typographicæ officinâ.

Rudolphus Goclenius prolegom. de quinque ætatibus Romanæ linguæ in problem. Grammatica, (quæ prolegomena leguntur & adjecta, nomine autoris omisso, Gifanii observantionibus in linguam lat, pag. 428.) propè finem.

Paulus Manutius, quem reliquis omnibus præfero, & lectu judico dignissimum, Ciceronis velut germanum filium.

Jac. Pontanus schol. ad Rochi Perusini de Contrib. epist. c. 26. p. 128.

Modestè recusandi laudes præsertim ingenii & doctrinæ multa exempla sument adolescentes à Paulo Manutio, qui cum sæpissimè à clarissimis & eruditissimis viris landatus sit, incredibile dictu est, quantam copiam & varietatem verborum lectissimorum sententiarumque in illis responsionibus suis adhibuerit, cùm idem semper argumentum tractaret. Itaque sine mirificâ delectatione, eorum dico, qui hujusmodi suavitates amant, & consectantur, legi non potest.

Andr. Schottus l. I. Tullian. Quæst. c. 11. p. 33. 34.

Quæ cùm ita sint, sic profligandæ quæstio est, ut

quàm

quàm rariſſimè ad verbum deſcribamus, niſi ſi laudandæ ſententiæ & ad comprobandum adhibendæ ſunt: frequentiùs verò ac verecundiùs imitando, & quaſi colores exprimendo. ut quàm minimùm à re, quâ de agitur: atque optimo, quem ad imitandum propoſuimus, minimùm diſcedamus. Manutius igitur in Cicerone imitando longè felicior doctis hominibus, pluribus orationem luminibus varians meritò videatur, quàm Longolius, qui centones impudenter nimis, (quod pueris initio permittendum,) conſuiſſe judicetur.

Joannes Imperialis in Muſeo Hiſtorico p. 108.

Paulus Manutius transacto ſeculo meruit Romani puritate ſermonis inter ſelectiſſimos cooptari, quando lucem illam Tullianæ facundiæ noſtratibus propè inviſam, ac ſuperiorum obrutam ætatum caligine, ſolus ipſe conſpexiſſe, ac induſtrio calamo Italis diffudiſſe cenſeretur.

Petrus Angelius Bargeus (apud eund. Imperial. p. 109.)

Exorta eſt tecum culti Ciceronis imago
Et vivit tecum, & tecum moriatur oportet.

Ex Hippolyto Capilupo Pauli Manutii tumulu, (ibid.)

Qui te, Paule gemit, linguam gemit ille latinam,
Quos ſimul extinctos hic brevis orbis habet.
Illa tuo ſtetit ingenio, & præſtante labore
Suſtentata diu, teque cadente cadit.
Et voluit tecum, quia multos vixerat annos,
Tecum etiam hoc tumulo poſt tua fata tegi.
Una fuit vobis ſors vitæ, & mortis, & urnæ,
Unus & ambobus plangor, & unus honos.

EPI-

EPISTOLARUM PAULI MANUTII LIBER PRIMUS.

RAINUTIO FARNESIO CARDINALI CREATO Romam.

Lib. I. Epistolarum Manutii.

EPIST. I.

Gratulatio de dignitate Cardinalitia, cum adjuncta hortatione, ut officio hoc rectè fungatur.

Formula significandi, nos illum, ad quem scribimus, vel de quo scribimus, semper amasse & magnifeciſſe.

Qvia virtus est ipsa per se amabilis &c. (A)

Cardinalis officium quod? (B) *Laus familiæ Farnesiæ.* (C)

(A)

QVia virtus est ipsa per se amabilis, & qvia nobilitati honor & observantia debetur; amavi de jam inde à tua pueritia, studio virtutis incensum; & colui, clarissimo genere ortum, Pauli III. Pontificis nepotem. Jam tum eqvidem vidi, prædixiq; multis, qvi futurus esses; & nunc, opinionem, auguriumq; de te meum exitu

comprobante, utriqve nostrûm gratulor; tibi, cui tribuuntur ea, qvæ semper illustria fuerunt, nunc eò magis, qvòd à Paulo III. Pontifice tribuuntur; mihi, qvi de tua futura dignitate, fretus indole, moribus, ingenio tuo, adolescens verè conjecerim. Cardinalis es; optabile & honorificum: sed est in isto honore pondus & labor. Cadunt in eam, qvam nunc sustines, personam, virtutes omnes, atq; ita cadunt, ut, si absint, is, qvi honor est, honor esse desinat, vel sit etiam summa deformitas. (B) Curæ autem, & cogitationes illæ sunt præclaræ illæ, Rainuti te dignæ æternaq; cum gloria conjunctæ, pietatem præcipuè colere, excubare animo pro salute ac dignitate Ecclesiæ: beneficentiam sine spe præmiorum exercerè: nihil omninò facere, nihil cogitare, in qvo statim decus non eluciat; Nam, ubi paulò videtur obscurius, ibi satis constat turpitudinem in esse, qvæ profecto tibi in mentem venire, atq; ob oculos assiduè versari. (C) cùm in avi tui summam gloriam intueris, necesse est, & omninò datum hoc vestro generi divinitùs videtur, vobis nascentibus heroum numerus ut augeatur, & qvasi majus lumen de sublimi qvadã specula errantibus honestis disciplinis viam & hospitium ostendat, ergò alter alteri exemplo estis ad benè agendum: vobiscum simul & oriuntur virtutes, & cum ætate crescunt, donec vitæ munere perfunctos educant, ex hac rerum humanarum teterrima caligine, & in illa sempiterna luce collocatos, cum illo bonis omnibus circumfluente cœlestium animorum cœtu conjungat. Aut igitur mihi nullus tui cohortandi

di relictus est locus, aut hic tantum, ut velis esse tui qvam simillimus; qvodqve tuo generi, tuo nomini, tibimet ipsi, tuisq; debes institutis, id cumulate persolvendum existimes. Unum exoptandum, ut, qvi tibi istam mentem cum ista auctoritate dedit, (dedit autem omnium auctor laudandarum rerum, & creator Deus) idem velit utriusq; rei fructum esse maximè diuturnum, & æqvare tuæ vitæ spacium cum iis bonis, qvæ in te summa contulit. Profectò tales gubernatores, tam peritos, tam vigilantes, Christiana religio si nunqvam non haberet, nunqvam illæ exorirentur dissidentium opinionum horribiles procellæ; qvæ jactare multis abhinc annis Petri navem cœperunt, neqve dum consistere patiuntur. Qvo qvidem mihi licet ominari de te idem planè, qvod cupio, futurum, ut optimis artibus, qvamdiu vixeris, præsidio sis & ornamento, vivas autem, qvàm diu vel temperantia duce, vel naturæ lege licet. Vale. Venetiis 1544.

ALFONSO CARAFÆ CARD. CREATO ROMAM.

EPIST. II.

Gratulatio de dignitate Cardinalitia, cum adhortatione.

Formula significanndi, nos voluptatem & lætitiam ex alterius rebus secundis percepisse: Solent esse, qvæ minus expectantur, lætiora (A) *Formula adhortandi.* En habes, Alfonse, campum, in qvo tua virtus &c. excurrat. (B)

(A) Solent esse, qvæ minus expectantur, lætiora nihil tamen ista, qva te auctum nuper accepimus, dignitate neq; magis expectatum apud eos, qvi tua studia, tuos ad virtutem præclaros impetus noverant, neq; jucundius, aut lætitiæ majoris unqvam fuit. Nemo enim dubitat, qvin eum, qvi te nunc ornat, honorem ornaturus aliqvando sis, eximia tua gloria bono publico conjuncta. Qvo te hortari res ipsa non patitur. Nam, si attendes diligenter, & considerare cum animo tuo, adhibita in consilium ratione, volueris, primùm illud, qvis te Cardinalem creavit; deinde, qvæ Cardinalis partes, qvam graves & laboriosæ, qvàm eædem honorificæ ac splendidæ sint; postremò, qvibus temporibus hæc tibi sit imposita persona, qvam alienis à virtute, qvàm turpi omnibus in locis omnium pænè scelerum labe fœdatis: profectò ipse te, nullo cujusqvam hortatu, à te ipsò de tua laude admonitus, excitabis ad excellentem omnium artium honestarum cupiditatem: qvæqve his artibus adversantur, adjicies, atq; contemnes, neq; solùm eò viro, qvem in posterum præstare debes, qvalemq; te fore omnes auguramur, verùm indigna prorsus homine judicabis. Vixisti semper antea laudabiliter: fuit in puero pudor: est in adolescente probitas, est perfecta pænè ratio, & expetendarum vitandarumq; rerum scientia: desiderari videbantur, in qva te ostenderes, occasio. Delata divinitus est omnium maxima singulari consilio summi Pontificis Pauli IV. qvi cùm sit patruus parentis tui; cùm te ab ineunte ætate non mediocriter dilexerit; cùm

omnes

omnes ſuos incredibili qvadam complecti caritate conſveverit: tamén in te honeſtando alia qvædam ſecutus eſt: dedit honorem non propinqvitati, aut familiæ, ſed tibi ipſi, qvi familiæ nomen ſtudes illuſtrare, & qvo modo principia ſe dant, ſtudium comprobabit eventus. (B) En habes Alfonſe campum, in qvo tua virtus, parta vigiliis, benè agendi conſvetudine jam confirmata excurrat: hæc eſt illa, ad qvam te exercebas, qvo tuæ ſpectabant curæ, tuo ingenio, tuis optimis cogitationibus, ac ſtudiis digniſſima provincia. Oſtende, qvæ tuæ ſit non modò voluntatis, verùm etiam induſtriæ præſtantia, & prome ex animo tuo illa præclara, qvæ, ut antiqvum gentis tuæ decus, ac domeſticam præſentem virtutem referres, à pueritia collegiſti. Non eſt mihi crede, labor ei, qvi benè ſentiat, benè facere. Qvod enim poſitum eſt in nobis ipſis, non aliundè pendet, non extrinſecus aſſumitur; in eo qvid obſtat, qvò minùs voluntatem res ipſa conſeqvatur? Jam, ipſa virtus invitat, ipſa allicit, atqve afficit ſui ſtudioſos omni voluptate, omnibusq; præmiis: nec dubito, qvin excellens animi tui vis omnes difficultates omnia ſuperet humana. Qvare gratulor eqvidem tibi tua cauſa, de iſto, qvo te extulit Pauli Pontificis divina ſapientia, honoris altiſſimo gradu: ſed ne movet aliqvandò magis publica res: qvam tu traditam tibi ſimul cum iſta dignitate, atq; commendatam, ſæpè, ac nunc qvidem maximè, talium virorum ope indigentẽ, tueberis in omni vita; præſidiumqve erit in te ſitum adverſus injuſtitiam impietatemq; firmiſſimum. Qvæ ſi tibi magna viden-

tur, atqve glorioſa; debes animum ſic inſtituere ac moderari, nihil ut ad te ipſum referas, nihil ipſi tibi arroges, aut à de ipſo expectes. Manaſſe à DEO cuncta puta, qvi perennis æternusq; bonorum omnium eſt fons. Nos enim, ut nos, nihil ſumus; aliqvid autem, atq; adeò plurimum, ut à Deo, & per Deum eſſe poſſumus. Vale. Venetiis. M. D. LVII.

STEPHANO SAULIO DECENTIANUM.

EPIST. III.

1. Gratias agit Saulio de literis ad ſe ſcriptis, eumq; rogat, ut id ſæpius faciat.

2. Reſpondet Saulio a qvo ob ſingularem eloqentiam fuerit laudatus, & eas laudes ſe non mereri aſſerit. (C)

3. Perſeqvitur etiam omnem ſuorum ſtudiorum & vitæ ſeriem. (D)

4. Qveritur de morte Card. Maffæi patroni ſui. (E)

Form. Ex literis ad nos ſcriptis amorem alicujus erga nos æſtimare: Magnum eſt hoc humanitatis & amoris in me tui argumentum *&c.* (A)

Form. Elegantiam literarum ad nos ſcriptarum commendare: Mihi declarandum literis exiſtimas, at qvib. literis. (B)

Form. Deferre alicui amorem & benevolentiam. Amo mirabiliter animum atq; amorem iſtum tuum: cui reſpondere officiis etſi difficile eſt, *&c.* (F)

(A) MAgnum eſt hoc, Sauli clariſſime, humanitatis & amoris in me tui argumentum, qvod,

qvod, cùm in istis locis nunc sis, ubi multam diei partem cum singulari viro, Cardinali Polo, gravissimis sanctissimisq; sermonibus traducas; non modò tamen de me cogites, qvo ego una contentus esse poteram, (B) verùm etiam idipsum mihi declarandũ literis existimes. At qvibus literis? scriptis mehercule, qvod ad verba attinet, elegantissimè; qvod ad sententias, prudentissimè: ut iis legendis non magis amarem amorem tuum, qvite ad scribendum impulerat, qvàm eloqentiam suspicerem, qva effeceras, ut illa ipsa, qvæ scriberes, cùm ornatiora essent, amabiliora qvoq; viderentur. (C) Qvare, cùm tibi ago grátias, ut debeo, immortales, qvod ita animatus in me sis: tum verò etiam atq; etiam te rogo, in qvo me ambitio qvædam movet, ut id, qvod facis, perpetuò facias. Qvanti enim putas ad meam laudem interesse, cùm hoc percrebrescit, mè à Stephano Saulio diligi? cujus est familia perillustris: qvi suæ ipse familiæ clarum lumen est: qvem præclari illi viri, ejus consvetudine & convictu magnopere delectati, coluerunt Bonamicus, Julius Camillus, Longolius. Hæc ego, Sauli, cum aliqvot abhinc annis cogitarem, semper qvidem, ut à te diligeret, optavi: ut verò etiam laudarer, optare fortasse potui; sperare, cum ipsi me nossem, certè non debui. At tum in hac parte mecum sanè perliberaliter egisti. Scripsisti, in hac romanæ lingvæ facultate, non mihi neminem præstare; sed id, qvod ego cum legerem, erubui, neminem esse, cui non ipse antecellam. (D) Eqvidem, ut, qvod res est, aperiam, fateor à prima pueritia ita me in literis esse versa-

tum, ut unam maximè spectarem eloqventiam, unam colerem, unam admirarer, atq; hoc me studio satis mea sponte flagrantem acrius inflammabant ii, qvi tum homines vivebant. Bembus, Sadoletus, Bonamicus, qvorum nomina per orbem terrarum celebrata sermonibus, & scriptis, extingvi nulla vetustate posse intelligebam. Polus hic noster, qvi nunc in omni laude, omniq; virtute tantus est, suis me scriptis capiebat, atq; afficiebat maximè. Ego tum, ut erat ætas mea, præter verborum, & nonnullarum sententiarum ornamenta nihil agnoscebam, purè & eleganter scribere, putabam esse id, qvod unum si assequerer, excellerem. Sed Rhambertus meus, qvi ex Gasparis Contareni, præstantissimi viri, consvetudine prudentiam hauserat, præclara qvædam notabat in Polo; meq; paulo ætate inferiorem, ex vulgata venalium magistrorum disciplina rudem atq; impolitum, erudiebat & conformabat exemplo. Tum qvidem, qvantum proficerem non mè pœnitebat: & ex iis, qvæ jeceram fundamentis aliqvid ejusmodi, qvale ego vellem, excitari aliqvando posse videbatur. Sed in rebus humanis qvis est, cui nihil unqvam secus accidat? cum in eloqventiæ studio multus essem, nec satis valetudini parcerem, incidi in morbum: qvi cum esset per se gravis, tum eò factus est periculosior, qvod, usu mihi librorum à medicis interdicto, magna sanè est animi mei affectio, atq; ægritudo consecuta, post biennium demiq; valetudine recuperata, cum præteriti temporis jacturam sarcire diligentia vellem, ad pristina studia redeuntem exceperunt domesticæ contro-

controversiæ, qvas neq; sedare nimio negotio, neq; negligere sine gravi mearum fortunarum exitio licebat. His qvoq; me difficultatibus aliqvando is, cui omnia debeo, eripuit DEUS. Lucem jam qvasi diu per tenebras errassem, videbar adspicere: & qvanqvam, multorum annorum amisso fructu, erat sanè cur ingemiscerem, vitamq; mihi haud satis jucundam putarem; tamen, otii spe recreatus, facilè impetrabam à me ipso, ut ex animo meo superiorum molestiarum atqve incommodorum memoriam oblivione delerem. Vigebat item, ut antea, pristina illa cura: nec erat qvidqvam in meis consiliis antiqvius, qvam ut abditas atqve implicatas in mente cogitationes non modò aperire, atq; explicare verbis, verùm etiam exornare, qvasiqve pigmentis & coloribus illustrare possem. Res erat nec exigui temporis, & maximi laboris, tempus non, qvantum rei magnitudo ferret, suppetebat; cum ex vetere patris instituto in hoc imprimendorum librorum munere, & restituendæ antiqvitatis cura destinerer, laborem autem, vel si abundarem tempore, perspecta valetudinis meæ ratio recusabat. Utrumq; tamen cum voluntas vinceret, qvotidieq; aliqvot horas, occupationibus ereptas, stylo darem: ecce me nescio qvis, homo certè satis fortuna felix, præmiis commotum, & blanditiis captum, atq; irretitum Romam abduxit, ubi cum aliqvot menses non in iis, qvæ semper amaveram, literarum studiis, sed inani officiorum genere consumpsissem, & ille, qvem secutus eram, montes aureos pollicitus vix minima præstaret: Collegi ipse me,

me, neq; solum studiorum meorum, qvæ intermiseram potius, qvam dimiseram, verum etiam rei familiaris, cui nisi consulerem, ipsa qvoqve jacere studia necesse erat, habendam mihi rationem duxi. Qvo consilio in patriam reversus, retuli me omnino ad veteres meas tum legendi, tum scribendi exercitationes: sed tum in domestica re constituenda, tum in emendandis antiqvorum libris districtus, postea verò etiam erudienda duodecim nobilium adolescentium Academia per triennium occupatus, qvantulam habuerim excolenda facultatem eloqventiæ, qvantumq; in tantis temporum angustiis per eam, qvam ingressus eram, latinè scribendi viam procedere potuerim, facilè, ut opinor, est existimare. Nosti tu, Sauli, cujus acies ingenii etiam ea, qvæ occultissima sunt, assequitur, primum, cujus prudentiæ sit, qvale illud est, qvod in imitatione sit optimum dijudicare; deinde cujus industriæ qvod optimum judicamus id re ipsa consequi. Qvod utrumqve cum sit difficillimum, id qvod, ut vides, ætate nostra optimorum scriptorum penuria declarat; cùm tamen qvi hoc in genere elaborent, plurimi sint: satis eqvidem mirari non possum, cur tu me in epistola tua summum feceris in eloqventia, dederisq; id, qvod ego si accipiam, mei sanè dissimillimus, hoc est, impudens planè sim. Nam ut cætera, qvæ dixi esse ad studium hujusce laudis necessaria, mihi non defuerint, qvæ utinam mediocria fuissent: temporis qvidem, ut paulò antè exposui, multò minus habui, qvàm res tanta postulabat. Fatum in hoc singulare meum est, ut otio nun-

nunqvam abundem. Abundem autem? utinam non semper indigerem maximè, nunc ad occupationem etiam accessit sollicitudo: (E) qvam mihi ex immaturo Cardinalis Masæi, divini hominis, interitu extortam, utinam aliqvando dies extingvat: ratio qvidem hoc non dum potuit. Ille mea studia fovebat, unus: ille mihi otii spem dederat, & fecisset. Qvis enim ad benignitatē propensior? ille me, ubi opus esset, auctoritate ornabat, consilio monebat, re sustentabat. Qvid plura? in illo mihi erant omnia, & cum illo mihi omnia perierunt. Qvare non tam mihi cogitandum est, ut opus universum de Romanis antiqvitatibus, qvod tu dilaudas, illo auctore institutum, possim absolvere, qvam ut partem aliqvam, jam confectam, liceat perpolire. Qvod ipsum si mihi nunc per meas occupationes liceret, hic tamen, qvi me vexat, dolor certè non concederet. Ac me hercule hæc ipsa, qvæ tu nunc legis, irrigavi lacrymis, cum scriberem: nec putavi fore, cum tot curis distinerer, ut possem scribere: sed magna vis amoris est, magna observantiæ erga te meæ. Ea fecit, ut hoc officium rebus omnibus anteferrem. Adventus tui jam aliqvam nobis expectationem amicorum sermo commoverat. Eam tu qvòd literis confirmes, valde lætor. Cupio enim tuam tum humanitatem, tum prudentiam, qvarum altera tibi ab omnibus amorem, altera etiam honorem conciliat, in consuetudine & sermonibus requstare. Me autem qvod hujus consilii præcipuum tibi ais esse causam, facilè patior mihi hoc à te, viro gravissimo, persvaderi, (F) amoq;

mira-

mirabiliter animum atqve amorem istum tuum, cui respondere officiis, etsi difficilè est: perpetuo tamen studio, & singulari qvodam observantiæ genere, ut spero, tibi satisfaciam, Vale. Venetiis 1553.

EIDEM DECENTIANO GENUAM REDEUNTI.

EPIST. IV.

Hortatur Saulium ad eloqventiam & antiqvos auctores imitandos, & suum imitandi modum ostendit.

Judicium de Longolio.

Form: scribendi officium occupationibus præponere.) etsi multarum rerum curis atqve oneris ita premor &c.

Antiqvi qvatenus imitandi. (A)

Form: Valedicendi. (B)

ETsi multarum rerum curis atqve oneribus ita premor, optime Sauli, ut respirare vix possim; tamen, ut literis tuis, amantissimè scriptis, aliqvid responderem, abjeci omnia, & officium, qvod tibi à me debetur, habui antiqvissimum. Video te miro qvodam veteris eloqventiæ amore ac studio teneri, significant hoc studia tua, declarant scripta, sermones ubiqve non obscurè testantur. Næ tu rem pul-

pulcherrimam diligis: cujus me qvoqve forma cepit adoleſcentem: & de voluntate illa, vel cupiditate potius tantum abeſt, ut dies aliqvid detraxerit, ut cum ætate ſimul amor creverit. Qvare cum tibi ego tam multis in rebus concedam; patere, obſecro te, in hac me unà rivalem eſſe tuum, nec tibi vel tantillum omninò velle concedere. Sentimus enim idem, qvod tu, nihil eſſe ſpecioſius eloqventia, nihil præſtantius: qvam ut ipſe noſti, amarunt ætate noſtra, atq; appetiêre qvam plurimi: potiri autem, ut mihi qvidem videtur, adhuc nemo potuit. Qvis enim Latinæ orationis laudem non magnoperè diligendam dixit? qvis porrò rationem & qvaſi viam, qva pervenire ad eam liceat, nobis indicavit? nam, qvi ſe ita exercent, ut ex veterum ſcriptis & membra, & integrum qvandoq; comprehenſionis corpus ſua in ſcripta transferant, non eqvidem eos reprehendo; ſiqvidem perfecti ſimilitudinẽ qvandam ſeqvuntur; ſed qvia perfectum ipſum non attingunt, in magna laude non poſuerim. Obſecro te, Sauli, qvi judicio excellis, qvid tibi de Chriſtophoro Longolio videtur? eqvidem, ſi qvando, qvid de ſcriptis illius exiſtimem, interrogor, ita ſoleo reſpondere, exilem eſſe in ſententiis, non luculentum in verbis; ut tamen de eo, ſi vitæ contigiſſet uſura diuturnior, benè cenſeam ſperandũ fuiſſe. Sed, ut nunc eſt, mea qvidem ſententia, nullus eſt. Qvid enim affert exqviſitum, qvid ſingulare, qvid non vulgatum, non ex qvotidiana conſvetudine uſuq; ſumptum? At ſcribit interdum & de rebus familiaribus, & ad familiares. Qvid tum? qvaſi non vel

in

in obscuro argumento possit ingenii lumen elucere. Nam qvod in eo verborum circuitus sæpè à Cicerone totus est: si consultò fecit, qvod inde laudem speraret, judicium reqviro. Etenim, aliena qvæ sunt, ad nos translata stultè jactamus: ut neminem laudare solemus, qvia pulcher, qvod accipitur à natura; ac qvia temperatus, qvia justus, qvæ posita sunt in nobis ipsis. Sin, qvod potius existimo, inops à Latina lingva explicare animi sensa aliter non potuit; necessitatem excuso: nec tamen, qvod faciebat, diutius eum puto facturum fuisse. Qvi enim in illo otio Patavino nihil ageret aliud, qvàm ut se tum eloqventiæ copiis, qvæ philosophiam ornant, tum earum artium instrumento, sine qvibus muta sit eloqentia; locupletaret; utriusq; studio facultatis consecutus esset, ut, suis qvasi opibus abundans, de alieno qvotidie parcius assumeret, cujus autem generis ea, qvæ moriens reliqvit, scripta sunt, abesse eum judico ab ea specie, qvæ est in scribendo optima, longissimè. Qva de re cum aliqvod adhinc annis in conventu amicorum sermo esset ortus, memini dissentire à me amicum hominem, & eruditum: qvi Ciceronis in libris diu multumq; volutatus, tamen Longolium suspicit, aurea videlicet cum assiduè tractet, ærea non internoscit. Itaq; paucis post illum sermonem diebus interjectis, cum epistolam ad me misisset, in qva ita scripsit, nihil sibi tam accidisse mirandum, qvàm qvod à me audisset, cum dicerem, mihi Longoliana scripta non admodùm probari: nihil rescripsi, qvod homini qvinqvagenario insitam opinio-

pinionem non ſperavi me poſſe evellere. Et ſunt omnino qvædam res, qvas ubi ſenſu & judicio ipſi non percipimus atq; aſſeqvimur, nulla ſatis oratio probabit; ut cum Anaxagora, nivem atram judicante, fruſtra de albedine diſputares. (A) Improbas igitur, inqviès, ſi ab antiqvitate ſcribentes mutuemur? Ego verò, ſi aptè fiat, etiam ſummè probo. Sed hoc ipſum, Aptè, qvam difficilè fit, ex eo licet cogitare, qvod Latinam lingvam continet univerſam: univerſa enim ſub imitationem cadit, imitandi autem ratio, qvia & multiplex eſt, & admodum recondita: primum, de ea præcipere ſigillatim, infinitæ doctrinæ eſt: deindeqvæ præcipiantur, cognoſcere, & perfectè exeqvi, non mediocris ingenii. Cumq; id, qvod enitet in oratione, aut in re videatur eſſe, aut in verbis: ego olim rem ſignificatam ſimul cum verbis ſignificantibus ſumebam, eaq; meis ſcriptis cum inſeruiſſem, tum optimum illud, qvod qværitur imitando, planè arbitrabar me eſſe conſecutum, poſteà cœpit mihi meum conſilium diſplicere: cogitavi, qvoniam id eſſet memoriæ magis, qvam ingenii, qvod ego efficerem præſtare multos poſſe, qvòd autem multi poſſent, egregium non eſſe. Tum inivi rationem haud paulò difficiliorem, qvam cum pauciſſimis mihi eſſe communem intelligebam. Exqviſitas ſententias de Cicerone excerptas, aut de Terentio, tacitus in animo verſabam, eas ornabam verbis, qvàm poteram lectiſſimis, ut qvaſi veſtitu orationis mutato, cum eædem eſſent, aliæ tamen viderentur. Erat non diſſimilis in verborum figuris com-

commentatio. Si qvas notaveram illustriores ad alias sententias ita traducebam, ut interdum eandem locutionē ad res prope innumerabiles accommodans, qvasi ex una cera plures imagines, nec tamen ejusdem generis, effingerem. In hac exercitatione qvantum esset, utinam aut maturè cognovissem, aut serò cognitum avideq; arreptum vis occupationum non extorsisset. Eqvidem, si qvis me neget in scribendo qvidqvam esse, non pugnabo: sed, si qvid sum, ab hac una esse contendam. Tibi gratulor, Sauli, qvi & vis, qvod sentis esse præclarum; & qvod vis, nihil impedit, qvo minus præstare possis. Otii enim tantum habes, qvantum styli exercitatio postulat. Abundas, ut animi, sic fortunæ bonis: in qvibus ipsis (Zenonis pace dixerim) non minima, his præsertim temporibus ad virtutem vis est. Ingenio verò ita flores, ut tuam maximè consvetudinem propterea expetierint ii, qvi ipsi ingenii gloria præter cæteros excellere putabantur. Atq; utinam ea, qvæ literis mandasti de homine Christiano, aliqvando emittas, ut opinionem, ac sermones de te meos res ipsa confirmet, qvod brevi futurum facilè spero. Recipis enim te nunc in villulas tuas, hoc est, in summum otium: ubi cum nullam tibi horam à studiis vacuam abire patiaris (sic enim & à multis antea cognoveram, & postea Coccius noster confirmavit) expolitionem intra paucos menses expectamus operum tuorum. Qva de re ut interdum me Decii nostri literis certiorem fieri velis, etiam atq; etiam rogo. Pontificis Legatus, Ludovicus Beccatellius, homo antiqvæ pro-

probitatis, humanitate, ac doctrina præstans, post obitum Cardinalis Mafæi ita me complexus est, ut omnem in meis commodis atq; ornamentis curam & cogitationem fixisse videatur. Cui non tam à me gratiæ sunt habendæ, quod agit ipse quantum potest, ac plus etiam, quàm potest; quàm quod alios etiam, magnos & principes viros ad me augendum atq; honestandum suo exemplo, atq; auctoritate, vehementer excitat. Qui cum multi sint, tua tamen inter omnes elucet liberalitas: qui, re vix audita, amore in me tuo, studio erga literas incitatus, tantum tua sponte ad hanc provinciam conferre velle pollicitus es, (B) quantum ex animo meo nulla unquam delebit oblivio. Vale, tuamq; valetudinem cum tua, tum nostra etiam, qui à te pendemus, causa diligenter cura. Venetiis, 1553.

EIDEM GENUAM

EPIST. V.

Querela de triplici causa doloris, videlicet de morte fratris, de morbo uxoris, & anniversario oculorum dolore: cui brevem subjungit consolationem.

Hic tu me, *Respondet Saulio qui autor ipsi fuerat, ut viam ad Latinam eloquentiam aliis aperiet: & negat eam sibi facultatem esse, ostenditq; ipsum Saulium hoc omnium optimè posse præstare, adducto testimonio Cardinalis Poli, de libro Saulii, quo scripsit de homine Christiano.* (B)

NB. Reqvisita eorum, qvi volunt libros scribere. (C)

Legulejorum barbarorum judicium de suis scriptis contemnit. (E)

Fontes sitiunt. (D)

Form. Significare nos solatium ex amici literis cepisse: Magnum mihi solatium attulit Epistola tua. (A)

(A) MAgnum mihi solatium attulit Epistola tua: jucunditatem dicere non possum, qvam tempora eripiunt, sic, ut me tristitiæ totum pænè tradiderim. Ac primùm, obiisse audio fratrem meum Bononiæ, cum valeret optimè, repentino morbo oppressum. Fratrem cum dico, me alterum jure naturæ dico: verum addo illud, obierit, si vera narrantur, frater is, qvi bonitate præstabat, valebat ingenio, excellebat industria, factus ad omnia maximè omnium videbatur. Itaqve obruor dolore: nec, puto, emergam, nisi aut illi melius esse cognovero, aut, si naturæ satisfecit, opem tulerit ipsa dies: qvæ valet ad omnia plurimùm. Animi verò morbis plus etiam interdum, qvàm ratio, medetur. Ad hanc ægritudinem accedunt domestica, meaqve propria. Uxor, cujus præcipuè studio res familiaris, ac domus tota nititur, qvæ me multis molestiis, multarumqve rerum & curarum onere levabat, qvæ meam valetudinem præsenti semper officio tuebatur, ipsa nunc jacet, periculi non expers, affectis diuturno morbo viribus. Ego vexor acerbissimè anniversariis oculorum

rum doloribus: qvos sanare, cum jam pænè tentata sint omnia, humanæ artis esse non puto. Remedia sunt ab uno illo, qvi malis cunctis medetur, cœlesti medico expetenda: is mihi optimam, ut spero, valetudinem aliqvando restituet: si hoc minus, muniet me saltem ea virtute, qva res adversæ facilè perferuntur. Ita salus ex morbo nascetur, non hæc, qva corpus viget, qvam ego adhuc omni remediorum genere frustra qvæsivi, qvæ cum ipso corpore paucorum annorum spatio penitus extinguetur: sed illa multò præstantior, qva nostræ mentes, cum sese ab hac terrestri labe se junxerint, & cum purissimo illo cœlestium animorum cœtu consociaverint, perpetuò fruentur. Interim, tot in me concurrentibus malis, ægrè impetum sustineo, planeqve qvoniam homo sum, debilitor adversis. (B) Hic tu me vocas ad scribendum, & hortaris, ut ea tradam literis, qvæ assiduo latinæ lingvæ usu & diurna tibi videor exercitatione consecutus. Vis me scilicet, optime Sauli, eam viam, qvæ ad eloqventiam ducit, aperire. Spissum opus, ac difficile, multi otii, tranqvillæ mentis, non nostræ fortunæ, cujus tibi imaginem ostendi, neqve nostrorum nervorum, qvos tu putas esse satis firmos; ego qvàm sint imbecilli, experior sæpe, ac sentio. At erunt præclari conatus, etiam si non succedat. Si ita est, hac laude nemo excluditur, potest aggredi, qvi vult: velle autem qvis non debet? siqvidem egregia cupientem aliqva vel ex hoc ipso gloria consequetur. Te si qvemqvam, Sauli doctissime, te, inqvam, ipsum decet

maximè omnium id ſuſcipere, qvod mihi imponis. Qvæ enim ſunt ad hoc munus neceſſaria, qvorum aliis alia deſunt, ea in de uno abundant omnia; ingenium, uſus diuturnus, doctrina, judicium. Qvid? opes, & fortuna numqvid huc pertinent? illæ verò, mea ſententia, vel maximè. Curſum enim ingeniorum retardat, vires debilitat, ac frangit inopia. Aut tu putas Ariſtotelem & Platonem, illa Græciæ lumina, an Ciceronem noſtrum, an Plinium tam multa potuiſſe literis mandare, niſi ſummum illis otium rerum omnium affluentia peperiſſet? domi alebant ſervos eruditos: contubernales habebant, eximiis præmiis accerſitos ex ultimis terris, rhetores, hiſtoricos, præſtantis ingenii, ſingularis doctrinæ philoſophos, cum his ſe qvotidie exercebant, commentabantur, diſputabant: horum omnium opera, qvatenus liberet, utebantur: at ego ſumptum unius pueri, minima mercede conducti, qvo inſcribendo utor, ægrè ſuſtineo. Et in his auguſtiis in hac mea tam tenui valetudine, tam adverſa fortuna, qvia rudes homines veteris eloqventiæ cupidos, meis ſcriptis non erudito, nec in rectam Latine ſcribendi viam induco, appellas me, qvaſi malum debitorem, atqve etiam accuſas, verbis tu qvidem humaniſſimis, & alieno, ut videris, nomine, re tamen ipſa graviter, &, ut ego interpretor, tuo judicio: qvod vereor imprimis, facioqve, ſicuti debeo, plurimi. Veruntamen videre te puto, qvam facultatem res deſideret. Qvid autem præſtari à me poſſit, nemo omnium, qvi vivunt, me ipſo melius intelligit. Qvare noli

mihi

mihi langvorem, aut desidiam objicere, qvæ abesse procul à me, qvi ante actæ meæ vitæ cursum inspiciet atqve examinabit, facilè cognoscet. Satis habeas, si nemo istam in te culpam conferat, qvi cum ingenio præstes, ætatem omnem in Latina lingva contriveris. Ex qvo factum est, ut eam perfectè calleas; id qvod tuorum scriptorum subtilitas & elegantia declarat: cum valetudinem non desideres: otio pænè diffluas: addo etiam illud: cum optimè tibi cum fortuna conveniat, qvæ tibi de suis bonis tantum elargita est, ut erogare qvantamvis pecuniam in homines doctos: eorumq; studia nullo tuo incommodo possis: hæc cum in te sint omnia, eaqve ut ego arbitror summa, non minima qvidem certè: abstines tamen ab hoc munere, & hortaris alios, nulla tibi re præterqvam voluntate & studio conferendos. (D) Qvis non miretur sitire fontes? sitiunt enim certè, cum tu petis à me tanqvam ex arido solo, qvod in teipso uberrimum esse constat; & cum ad nostram potius inopiam confugere, qvam tuis copiis uti vis. Hoc loco mihi venit in mentem, tuam qvoq; causam, non modò meam, meditanti, qvod tu fortasse respondeas. Distingves illa superiora: negabis in te uno esse omnia, qvæ dixi esse de latina lingva scribentibus necessaria, de fortuna concedes: patet enim; etiam opinor, de valetudine, de otio: ingenii laudem & doctrinæ, qvæ tua modestia est, abs te rejicies, fortasse etiam, qvæ tui est in me animi propensio, qvæ humanitas, ad me transferes. Nolim eqvidem tecum, Sauli, ne in tua qvidem laude contende-

re : verum , qvod tu mihi de te ipso non credes, credent alii, verumqve fatebuntur , adducti in hanc sententiam, ac planè confirmati, non tam auctoritate mea, qvam tamen , in his præsertim elegantioribus literis , in qvibus jam tot annos versor, non esse nullam intelligo, qvàm tuo ipsius testimonio , qvod habet ponderis apud bonos ac sapientes viros in omni re plurimum. Te, inqvam , ipso teste locuplete , cui fides habenda videatur, probabo tuam virtutem. Oblitusne es, aut oblitum me putas illius temporis, cum tu librum tuum de homine Christiano mihi ostendisti? bone DEUS, qvàm in illo multa præclara, cujus industriæ, cujus prudentiæ, qvam à te graviter, qvàm copiosè, qvàm splendidè tractata. Neq; verò ego unus illum librum , vidêre alii , vidit, qvi vir, & qvantus? Reginaldus Polus Cardinalis, qvi potest esse instar omnium, qvem tu profectò judicem in re tua nunqvam recusabis. Hunc ego audivi, audivêre multi, de tuo interdum libro loqventem: Ornabat laudibus,(& est homo, ut scis, natura simplex, rectus; cujus ab intimo sensu nunqvam ne minimum qvidem aut vultus, aut oratio discrepet) qvid plura ? conferendum cum antiqvitate judicabat. Qvamobrem redeo illuc & concludo paucis, Magni facis eloqventiam, cupis eam cognosci, cupis amari & coli. Egregia cupiditas, & nobili sanè viro digna: verum, ut tibi satisfacias & invenias exitum studii tui, elige de duobus utrũ vis. Aut ipse qvi potes, ostende nobis Latinæ linguæ pulchritudinem ac præstantiam: doce

nos

nos, doce posteros, qvæ sit ejus adipiscendæ & perfruendæ ratio ineunda: aut si qvos existimas hoc præstare posse, excita eos liberalitate, fove tuis copiis: noli pati, animum eorum hac & illa cura distrahi: sit intentus, & fixus hoc uno in studio; neq; adducat eum ab opere pulcherrimo, ac nobilissimo, humillimæ interdum rei, turpis & sordida procuratio. Ita consequeris facilè, qvod vis: optimisq; studiis & posteritati magna tua cum laude consules. Illa, qvæ scribis de legulejis qvibusdam in meum librum de Romanis legibus, detrahendi studio incurrentibus, legi nullo cum stomacho nec sum miratus, à barbaris hominibus sordido qvodam literarum genere assvetis, elegantioris doctrinæ scientiam & qvasi lautitiam qvandam studiorum contemni. Non placet istis meus liber: magnis videlicet viris, qvorum famæ ædium illarum, in qvibus ipsi habitant, limina nondum est egressa. At placet Vincentio Portulacæ, cujus est in urbe Brixia insignis auctoritas, illustre per Italiam nomen; placet Antonio Augustino, Marco Antonio Nattæ, Lælio Taurello, Vido Pancirolo, juris utriusq; scientia claris, qvorum nomina, scriptis egregiis testata virtus, atq; expressa cum æternitate conjunget. Hos ego meorum laborum & vigiliarum laudatores cum audio, viros graves, certos, omniumq; nobilissimos; (E) voculas raucæ plebeculæ contemno, qvidq; leves, & obscuri homines de me sentiant, aut loqvantur, non esse mihi valde laborandum existimo, te qvoq; sperabam in meis præsidiis esse, & si qvi urgerent gravius, obsistere

stere, impetumqve invidiæ, & malevolentiæ tua, auctoritate, ac testimonio frangi. Qvod si facis, fructum fero meæ singularis in te observantiæ, & habeo tibi, qvam debeo, gratiam: sin minus, hoc tamen nomine tibi debeo, qvod meos obtrectatores flocci facis usq; eò ut indignos, qvibus respondeatur, existimes. Vale. Venetiis, 1558.

VIDO FABRO PATAVIUM.

EPIST. VI.

Querela morte Bunelli.

Formul. Exordiendi à dubitatione. Nescio utrum fortunæ succenseamus. (A)

Bunelli laus. (B)

Form. Tenuitatem suam fateri: Reliqva erant in epistola tua. (C)

(A) NEscio, utrum fortunæ succenseam, cujus culpa factum sit, ut ego tuas literas duobus ferè mensibus post eum diem, qvo tu scripseras, acceperim: an eidem gratias habeam, qvod mihi, arculam qvandam scriptorum meorum evolventi, planeqve aliud agenti, de improviso illas obtulerit. Gratias habebo potius; qvòd eodem tempore simul cum injuria beneficium accepi, & injuriæ beneficium præferri, æqvum est. Sed qvoniam vereor, ne tarditatem in scribendo meam

am duriùs acceperis, hunc tu mihi scrupulum vide, si ex animo evelleres, faceres humane, nec tamen iniqve: cum hoc ipsum, qvod commissum à me est, primum ex aliena culpa pendeat, deinde nunc qvidem etiam corrigatur. Venio ad tuas literas, qvibus mihi gratius nihil potuit accidere: dicerem jucundius, nisi clausula illa de Bunello meo planè omnem jucunditatem eriperet. Nam sic fac existimes, ex illius viri interitu tantum me cepisse dolorem, qvantum fortasse dies exhaurire nulla poterit. Vixerat mecum Venetiis per qvadriennium: cùm ego in illo probitatem morum, virtutemqve diligerem; ille in me propensionem, credo, qvandam ad literas non improbaret. Intercessêre etiam inter nos officia qvædam, sed à me levia, nec satis digna, qvæ memoria tenerentur: qvæ tamen ille, ut erat gratus, non meminisse solùm, sed prædicare etiam solebat. Ego ab illo maximum habebam beneficium, qvòd me, cum Philelphis & Campanis nescio qvibus (ut aliis parcam) miserè errantem, in hanc rectè scribendi viam primus induxerat. Videbatur qvibusdam natura severior; seperat leniissimus erga sui similes, hoc est, erga bonos viros: ubi vitium nosset, censor acerrimus. Distingvere homines non fortuna, sed moribus solebat. Loqvi ad voluntatem neqve ipse poterat, neqve ferre qvi ad istam artem eruditus esset: totus erat apertus & simplex. Satis scio fuisse, qvi illum depravatæ religionis nomine in crimen vocaverint. Qvorum vitam si cum Bunelli vita comparares, Socratem diceres iniqvo-

rum conſpiratione circum ventum. Coluit omnes virtutes & philoſopho dignas & homine Chriſtiano, ſed continentiam præter cæteras. Hac verò ille triumphavit maximè & triumphavit adoleſcens, cum cæteros voluptas capit. Qvo mirandum eſt minus, ſi tantus poſtea vir ex tanto adoleſcente factus eſt. Nam extremam vitæ partem, qvam, ut in fabula actum, decet eſſe perfectiſſimam, heroicam audio, fuiſſe, & planè divinam. Qvare incumbamus, ô Vide, & hanc operam Bunello noſtro navemus, ut illius nomen, immortalitate digniſſimum, (B) exſtingvi mortali cum corpore non ſinamus. Qvod eqvidem enitar; & hominis mihi amiciſſimi, ſummi viri, memoriam (ſi modo is ego ſum, qvi tantum præſtare poſſim) profectò ab interitu vindicabo. Video te in tuis literis idem velle: nec dubio, qvin poſſis. Nam & Bunellum amas mortuum: & vales plurimum ingenio; qvod etiam pietas excitabit, cujus officii ſocietas eo gratior utriq; noſtrûm eſſe debet; qvod cùm apud alios laudabilis maximè erit, illuſtri exemplo gratiæ referendæ; tum ad animos noſtros amore conjungendos, æternaq; neceſſitudine conglutinandos, plus valere nihil poteſt. (C) Reliqva erant in epiſtola tua magnifica qvædam, & eleganter ſcripta de laudibus parentis mei; qvæ veriſſima, fateor; qvædam etiam de me ipſo, qvæ non agnoſco. Nam, etſi tibi, nobiliſſimo adoleſcenti, multis non ſolùm fortunæ, ſed etiam naturæ, doctrinæq; bonis ornato, & qvod caput eſt, virtutis amanti, placere maximè velim: tamen, qvia nemo adhuc à me

hoc

hoc impetravit, ut ea mihi adsciscerem, qvæ mea non essent, patere, obsecro te, de me ipso mihi potius me credere, qvam tibi. Qvod si, cupidum esse laudis, laudem esse vis: isto me licet nomine non contemnas: qvod ea, qvæ habent ii, qvi laudabiles dicuntur, ego eadem ut haberem, semper laboravi. Sed scis, velle, & perficere, non idem esse. Alterum contingit multis, alterum duntaxat iis, qvos dii diligere putantur. Qvorum ego te in numero, optime Vide, præstanti natura præditum, Bunelli præceptis informatum, confido facile futurum. Vale. Venetiis.

MARCELLO CERVINO CARD. ROMAM.

EPIST. VII.

Excusat se de raritate literarum.

Cardinal. Cervini & Farnesii in se studia sua propensum animum laudat. (A) *qvod videlicet viros doctos & inter hos Hieronymum Ferrarium foveant, & libros Græcos Bibliothecæ Palatinæ typis subjicere cogitent.* (A)

Postea qvàm Roma discessi, etsi tum mea vetus in te observantia, tum tua in me, perpetua benevolentia postulare videbatur, ut ad te qvàm sæpissimè scriberem; tamen id non feci: propterea, qvòd omne otium, atq; omnem etiam mentis tranqvil-

qvillitatem moleſtæ imprimis ademerunt ocupationes: qvarum me, cum primum huc reverti, tantus æſtus abſorbuit, ut longo intervallo vix emerſerim. Nam primùm domeſticas res ita malè affectas offendi, ut eas ſervare, multi temporis, non exigui laboris, etiam alicujus artis eſſet. Deinde cum illa, qvam ſcis in meis epiſtolis nutu tantum appellari, inimica natio virtutis ac diligentiæ, qvæ etiam patri meo, viro optimo, (& adde ſi qvid vis) negotium exhibuit, ad mè vexandum, atq; opprimendum conſpiraſſet: durius habui negotium, ut meas fortunas in tuto collocarem. Sed me, qvi antea præſto mihi ſemper affuit laboranti, idem in hoc potiſſimùm diſcrimine egentem opis & conſilii, nec mediocriter de toto rerum mearum ſtatu ſollicitum, reſpexit ac liberavit DEUS. Itaq; omni planè moleſtia perfunctus eſſe mihi videor. Qvid qværis? aliqva etiam officii ſpecie ab iisdem obſervamur: ac ſe ſatis aptè ſimulationis, ut opinor, artificio tuentur. Accipere tamen qvod datur, qvocunq; animo detur, inſcitiæ non eſt: nec hodierni mores, & ratio temporum ſecus poſtulat. Cætera ſunt in meis rebus non planè cujusmodi nos optabamus, ſed cujusmodi tamen multi non ſperarunt: qvibus hæc, qvæ nunc agimus, ampliſſima videntur eſſe, cum nos præ iis, qvæ, niſi qvis caſus noſtris conſiliis occurrerit, agere aliqvando cogitamus, tenuiſſima judicemus. Qvam qvidem ad rem qvod tu omnia, qvæ in te ſunt, liberaliſſimè polliceris; qvodq; Alexandrum etiam Farneſium: præſtantem (A) omni virtute Cardinalem, in eandem

dem rationē propensum esse affirmas: eqvidem de te sic existimo: & multas esse res, in qvibus juvari à te protua summa tùm dignitate, tùm etiam fortuna possim: & in iis rebus nunqvam omnino mihi tuam esse humanitatem defuturam: Farnesium autem, divinum adolescentem, natum ad liberalitatem, & ad gloriam, non miror eo esse erga virtutem animo, qvo qvia semper fuit avus ejus, idcirco ad eum gradum, qvi est in terris summus, & augustissimus, diis hominibusq; volentibus, ascendit. Ac sane ille cum domestico exemplo, tùm multò etiam magis, egregia ipsius natura ad immortalitatis laudem excitatus, sæpè alias, qvanti bonas artes faceret, ostendit, sed proximè vel in primis, cum Hieronymum Ferrarium, juvenem, rarissimæ virtutis, sanè qvàm pro ejus meritis ornavit, atq; auxit. In qvo, cum aqud unum posuisse beneficium videatur, à multis tamen gratiam inivit. Nam, cum vos, tales viri, patrocinium literarum suscipitis: qvicunq; bonis artibus delectantur, animo recreati, veniunt in spem aliqvando fore, ut, post diuturnos labores, & molestiarum qvàsi tempestates, in qvietis & otii portum, vobis aspirantibus, deferantur. Qvos si in cursu studiorum instituto vestra benignitatis aura deficiat, hærebunt, neqve jam poterunt, qvò intendebant, sine ope auxilioq; vestro pervenire. Verùm hujusmodi dubitationem vestra jam consvetudo sustulit: magna enim optimæ voluntatis documenta sæpissimè dedistis, majora etiam dare cogitatis; cum qvidem, ut Antonius Bladus ad me detulit, pulcherrimam rem,

& vo-

& vobis dignissimam aggressi; omnes libros Græcè scriptos, qvi nunc in bibliotheca Palatina conditi asservantur, prælo subjicere cogitetis; ut multiplicatis exemplaribus per orbem terrarum, in usum omnium gentium, omniumq; seculorum, divulgentur. Cui se muneri Bladus à te esse præpositum ajebat: (D) itaq; veniisse ad nos, ut & eos typos, qvibus atramento illitis charta imprimitur, conflandos curaret, &, si qva præterea sunt ad opus necessaria, maturaret. Sanè sum lætatus plurimum; hominemq; sua sponte diligentissimum, tamen cohortari non desino, ut in ea re, qvæ ad commodum studiorum, maximè verò ad tuam, ut ego sentio, gloriam spectat, operæ ne parcat: eiq; dixi, ut ad omnia me & fratribus uteretur. Neq; minus prolixè, qvæ verbis pollicitus sum, ubi ille petierit, re præstabo. Nam & hominem diligo, & verò tua voluntas maximi est apud me ponderis. In Romulo qvidem tuo, qvem initio sum complexus ut fratrem tuum, deinde amare cœpi, ut de fratre dignum, nihil prætermitto, qvod aut in officio cohortandi, aut etiam in studio juvandi positum sit. Sed ille, cui notissimæ sunt occupationes meæ, pudore, credo, facit, ut rarius ad me scribat: cum mihi, vel in maximis negotiis, ei vacare, non modò non molestum, sed etiam gratissimum sit. Qvod tu, si videbitur, ad illum scribes, simulq; literis admonebis, ut qvo consilio Patavium est profectus, id studio & diligentia conseqvatur. Neq; tamen hoc dico, qvod eum adhuc qvidem lapsum esse putem; de qvo etiam ea, qvæ volu-

volumus, & videmus, & audimus: sed qvod in firmitatem ejus ætatis cum recordor, interdum vereor, ut possit consistere. Vale. Venetiis. 1539.

BERNHARDINO MAFÆIO EPISCOPO CREATO Romam.

EPIST. VIII.

Gratulatio de Episcopatu ad Mafæjum: ubi agit de Episcopatûs munere, & illi Mafæjum aptum ostendit cùm ob doctrinam, tùm ob eloqventiam.

UBI te audivi Episcopum esse creatum, lætatus sum non tam ob ipsam rem, qvæ sanè est perhonorifica, propterea, qvod Episcopatus & Sacerdotium est, & maximum Sacerdotium: qvàm qvia, de te ipso cogitans, intelligebam te eum esse, cui ad ipsam honestandam dignitatem summa facultas in optima voluntate non deesset. Tibi erunt, qvæ multis solent esse laboriosa, virtus & vigilantiæ, ex tua vetere consvetudine facillima. Non enim honorem qvasi legem bonitatis, ad qvam te fingeres, accepisti; sed ad honorem bonus accessisti: multis antea, magnisqve rebus Paulo III. probatus: cui Pontifici? omnium sapientissimo & optimo: qvi & ipso DEO probatus est, & non probat nisi sui similes. Gratulor igitur tibi, non ut gratulanturii, qvi

qvi ferè, qvibus fructibus auctus sis, unum cogitant cætera magnopere non spectant: sed ut ii, qvibus dignitas, & religio prima sunt: qvæ tu coles maximè, & eris in Christi militia antesignanus. Gravem sanè personam Episcopi sustinetis. Vestrum est, errantes animos in viam reducere. Et reducitis vos qvidem præceptis divinæ doctrinæ tradendis: sed magna vis est in exemplo, cùm ea, qvæ traditis ipsi vita & moribus exprimitis. Qvod tu præstabis utrumq; omnium maximè: qvi & habes non doctrinam modò, verum etiam eloqventiam. Qvarum altera imperitos erudias, altera langventes excites; & vivis, ut homo, satis extra culpam. Qvod memini me multis adhinc annis in tua prima adolescentia miratum; cum ea in te laudarem, qvæ tamen imitari vix poteram. Qvod fecisti adolescens, cùm tua te singularis, optimaqve natura ad decus invitaret, & qvasi manu prehensum duceret: nunc ætate confirmata, cum ad voluntatem accesserit ratio, dubitem, qvin idem multò sis alacrius constantiusq; facturus? dubitet, qvi te ignorat: mihi, cui tua studia, tui sensus ex nostrâ familiaritate notissimi sunt, dubitare non licet. Qvare, ut ad prima redeam, non eo solùm nomine tibi gratulor, qvod Episcopus es, in summa dignitate constitutus: qvod tibi scis esse commune cum multis; sed qvod is es, qvi cum ista dignitate virtutẽ æqvare possis. Qvod qvia vides qvam non multi potuerint, eò magis tu, qvi potes, hoc ipsum, qvod potes, acceptum DEO referre debes, tantumq; munus in te collatum, illud qvidem plurimi facere: Sed qvoniam est proprii

prii erga te amoris argumentum, muneris causam multo, qvam ipsum munus, pluris æstimare. Vale. Venetiis. Kal. Maji. 1542.

GABRIELI CATIANO, BRIXIAM.

EPIST. IX.

Hortatur Catianum ægrotantem, ut valetudinem suam diligenter curet, & potius opus Juridicum, qvod parat, deponat, qvàm valetudini minùs serviat.

Formul. dubitandi, an majorem lætitiam an dolorem ex amici literis ceperimus. Venio igitur ad priorem, in qva cætera jucundissima. Illud permolestum, qvod te minùs commodè significas valere, &c. (A)

EPistolas à te habeo duas: utramqve scriptam elegantissimè, sed illam pleniorem, qvam XI. Kal. Septemb. dederas: nam hæc recentior, cui Nonarum Oct. dies erat adscripta, argumentum habuit ferè nullum. (A) Venio igitur ad priorem, in qva cætera jucundissima. Illud permolestum, qvod te minùs commodè significas valere: scribis enim, valdè te ob adversam veletudinem vereri, ne non illud, qvod instituisti, absolvere ac perpolire tibi liceat. Mi Catiane, excita prudentiam tuam; & occurre morbi principiis; ne ille gravior deinde factus, & te, & amicos tuos, qvi, te ægrotante, valere non possunt, diutius vexet. Hoc loco mihi veniunt in mentem, qvæ tu me olim, minus rectè cùm ha-

berem, prudentissimè, & amantissimè monuisti. Illa, illa ipse tibi nunc in memoriam redige; & qvæ tuæ tunc partes erant, eas nunc fac esse meas. Tu mihi non ex Hippocrate, aut Galeno, sed ex veterum philosophorum libris ea remedia, qvibus ad salutem meam præstantius esse nihil potuit, attulisti: ego nunc idem in te facio, tuamq; tibi medicinam restituo. Vis, qvæ meum morbum te medente sanarunt, ea tuo ipse in morbo prætermittere? non vis, opinor. Non enim id te dignum est: qvia ea sæpe legisti, unde homines aliis cavere cum discant, sibi eos non cavere turpe est. Qvare adhibe eam, qvam ad omnes res soles, ad te curandum diligentiam: &, qvod oneris suscepisse te scribis, id si gravius videtur, qvam ut perferre possis, depone prius, qvàm opprimare. Magnum est qvod moliris, & magni non solùm ingenii, qvo tu non eges, sed etiam otii: qvo nisi abundas, qvo modo te speres ea, qvæ in jure civili dispersa sunt, qvæ scis esse minimè pauca, primùm posse cogere, deinde coacta ita disponere, ut ex certis generibus totum jus civile cognoscatur? atq; ego tamen sic existimo: si qvis est, qvi hoc præstare possit, aut eum te esse, aut omninò neminem: sed, qvoniam res, & fortunæ tuæ, qvemadmodum tu qvidem affirmas, ita ferunt, ut in forum tibi necessariò sit eundum; qvæ ratio, si modò & tibi, & populo placere velis, multi temporis exercitationem desiderat: hæc autem, qvæ à te est juris civilis institutа digestio, ejusmodi est, ut nihil operosius existimetur: vereor, ne duarum rerum difficillimarum tractatione distractus, utramqve

dum

dum vis, neutram assequare. Quamobrem, quid suscipias, tui consilii est: ego monendi partes, quæ sunt prudentiæ, non assumo: neq; enim plus ulla in re me existimo videre, quàm tu vides: id, quod est benevolentiæ meæ, faciam, ut magnopere te non solùm horter, verum etiam rogem, valetudini tuæ minus, quàm gloriæ, ne servias: quæ quidem nobis, qui te summè diligimus, tantæ curæ est, ut plurimas nostræ salutis partes in tua salute positas existimemus. De Alciati libro, valde de amo: sed, eum, hoc quidem tempore, cur mittas, non est. Sunt quædam quæ magis urgent. Quæ scis à nobis anno proximo superiore instituta, jam pænè absolvimus. Domestica fere sunt, ut volumus, fratres valent optimè, ego sicut soleo, hoc est, etsi non optimè, sic tamen, ut studiis nostris frui liceat. Quod si perpetuò detur, equidem hac mea tenuitate contentus ero; illam firmitatem, illa athletarum latera non appeto: neq; mihi unquam de natura queri veniet in mentem, quæ me corpusculo finxerit imbecillo: gratias agam potius, quod effecerit, ut omnibus pænè horis adversæ valetudinis metu, spectanda mihi ratio sit, & continentiam quæ virtus est, aut certè ad virtutem ducit, cogar, amplecti. Amamur à multis: si modo ex vultu & verbis amor intelligitur: colimur etiam à nonnullis, qui, falsa de nobis opinione adducti, nostram consuetudinem, quasi docti hominis, videntur expetere. Quibus ego si me patefecero, facilè hunc errorem eripiam, &, puto, faciam: ne totos dies salutatoribus tribuam. Vale, Venetiis. 1543.

FRANCISCO LUISINO PATAVIUM.

EPIST. X.

Hortatur Fr. Luisinum, ut in excolendo Eloqventiæ studio pergat, & se duobus aliis tertium adjungat.

Form. Excusandi raritatem in scribendo: Sinescis, qvantum ego amori nostro tribuam, cognosce ex hoc, *&c*,

Form. Adulationis speciem à se removere: Non sum natura blandus. (A)

Form. Asseverandi: Sed mihi hoc velim credas *&c*. (B)

SI nescis, Luisine, qvantum ego amori nostro tribuam; cognosce ex hoc, qvod & superioribus mensibus licere mihi per eum putavi ad tuas literas, humanissimè scriptas, nihil respondere; & nunc eodem fretus, etiam malè respondeo. Non est hoc, inqvis, officium colere. Qvasi jam probaveris, qvia non coluerim, ideo me turpem esse. Non placet ita duris legibus amicitiam astringi, ut nunqvam relaxentur. Summam diligentiam maximis in rebus si ab amico reqviris, jure facis: sed si etiam in minimis, non æqvus es. Est enim profectò qvædam svavitas in negligentia: qvam qvi ex amicitia tollit. Horridior est, qvam ut urbani mores ferre possint. Qvare, si amabilis esse vis, (qvanqvam qvis te uno amabilior est?) veruntamen,

men, si id tibi propositum est, ut omnibus in rebus æqve amabilis, æqve jucundus sis: permitte mihi, ut liceat aliqvando tecum esse negligenti. Nam, qvod at tuas literas attinet, ita judico, scriptas esse non solùm eleganter, in qvo tamen non minima laus est, sed etiam sapienter: qvod qvia solet ab ætate tua longius abesse, non solum laude, sed etiam admiratione dignum est. Vitium hoc in plerisq; adolescentibus, atq; etiam in robustioribus qvibusdam fama celebratis animadverto, ut inania colligant, & eloqventiam non ut veteres illi, in sententiis & verbis à communi consvetudine alienis, sed in qvibusdam vulgaribus, ac penè puerilibus ineptiis constituant. Qvocirca non ego te, Luisine, hortabor, ut ex ista imperitè scribentium turba te eximas: sed gratulabor potius, qvod ita effecisti, ut hortationi locum non reliqveris. Hoc, cum adolescens adhuc, & pænè imberbis, nondum ea prudentia, qvæ extrinsecus assumitur, propter ætatem copiosè instructus, naturali qvadam ingenii facultate, & assidua Ciceronis lectione sis consecutus: cum illa accesserint Aristotelica, in qvibus nunc totus es, usumq; rerum, qvi in adolescentem non cadit, percallueris, qvalem te virum futurum putemus? (A) non sum natura blandus: neq; soleo cujusqvam auribus inservire: potius offendit qvosdam libertas mea. Itaq;, qvod dicturus sum, gratiæ caussa dictum ne putato. Si qvando accidit, ut interroger de iis, qvi antiqvam illam perfectè scribendi laudem posse nobis videantur jam pænè amissam restituere, soleo te duobus præstantissimis

adolescentibus, meis familiarissimis, Calino, & Amaltheo, tertium inserere. Calinum puto, non nosti, qvi clarissimum juvenem Aloysium Cornelium singularis viri, Johannis Cornelii filium in Cyprum insulam secutus tertium jam annum abest. (B) Sed mihi hoc velim credas affirmanti, ea bona, qvæ magister tuus Aristoteles laudabilia esse dicit, omnia ferè in illo adolescente aut esse jam, aut brevi, ut ego auguror, futura. De Amaltheo autem qvid sentiam, non exspectas opinor, ut significem, neq; ut ego tibi eum qvasi latentem indicem, qvem in illustri qvadam specula virtus constituit. Qvare conjunge te cum his, & eloqventiam tres optimi adolescentes, ætate ferè pares, concordi studio, sicuti pulcherrimam virginem, diligite. Qvod si me etiam socium recipitis, & rivalem in hoc amore fertis: erit præclara consensio: & Latinæ lingvæ formam qvam superioribus temporibus turpi barbarie vitiatam, nunc agnoscere vix possumus, posthac, ut opinio mea fert, intactam, illibatamqve tuebimur. Vale. Venetiis. 1547.

PAULO CONTARENO VENETIAS.

EPIST. XI.

Hortatur Contarenum, à qvo locorum intervallo disjunctus erat, ut crebras ad se literas scribat, & in studio eloqventiæ qvotidie sese exerceat, cum eaq; philosophiam conjungat.

Per

Per literas præstamus, ut unâ esse videamur, licet locorum intervallo simus disjuncti. (A)

Ad eloqventiam sine stylo & assidua exercitatione provenire non licet (B)

Form. Objectionis & Responsionis ad illam. Grave, inqvies, onus imponis. (C)

Et mox: Neq; ego is sum. (E)

NB Copiam vilitas, & vilitatem seqvitur contemptus. (D)

NB. Eloqventia non est sejungenda à Philosophia. (F)

Rectè qvi non intelligit, is ut rectè judicet, sperare non licet.

NB. Ut inanem multorum loqvacitatem oderis: sic elingvem qvorundam Sapientiam non amabis.

CUm Venetiis proximè discessi, ut in hanc solitudinem ex ista freqventia me conferrem; magna sanè lætitia perfruebar: & qvod ad ea, qvæ homini carissima sunt in vita, uxorem, ac liberos meos redibam; & qvod mihi, otium ad studia, amœnitatem ad valetudinem qværenti, hunc esse præter cæteros locum expetendum atq; adamandum intelligebam. Sed, ut in rebus humanis nihil est simplex, in summa voluptate molestiæ tamen hoc erat, qvod ita fortuna tulisset, ut, qvo tempore tibi per anniversarias Patavini gymnasii ferias Venetiis esse & commorari liceret, tum ego à te disjungerer, magnamqve manendi cupiditatem maxima discen-

dendi necessitas vinceret. Nec verò mihi dubium est, qvin cum meo sensu tuus qvoq; sensus congruat, &, qvæ me cura torqvet, eadem te pungat. Vinci enim in officio atq; amore qvàm sit turpe, si te non mea vox aliqvando docuisset, ipsi te libri, unde hauris illa præclara, qvibus ad laudem informamur, penitus erudirent. (A) Qvod si, ut unà simus, & tu, ut opinor, sperabas, & ego certè cupiebam, per intervalla locorum non licet: at, qvod proximum est, ut unà esse videamur, non video, cur præstare literis, & consequi non liceat. Nam si propterea simul esse jucundum est, qvia mutuo sermone fruimur: in literis non ego qvidem tuam vocem audio, neq; tu meam: sed, qvæ voci subest res, eam nihilominus, qvàm unà cum sumus, percipimus, hoc etiam majore cum fructu, qvod aliqvantò scribimus accuratius, qvàm loqvimur, qvare velim ad scribendum te des: &, cum me tuæ consvetudinis usura, ob ingenii tui svavitatem, & sermonis elegantiam, mirificè capiat; hæc qvæ in te amo, qvæ nunc abesse doleo, fac, si me diligis, ne omninò desiderem. Debes hoc mea causa non nolle, tua verò maximè cupere. Nam, cum te aliqvot abhinc annis in rectam illam antiqvæ eloqventiæ viam dederis, patris tui, viri optimi ac sapientissimi, vocibus consiliisqve commotus, Patrui verò clarissimi, ac præstantissimi civis, exemplo incitatus; turpe tibi est, in mediocri laude consistere; (B) & ad summam pervenire sine stylo, assiduaq; exercitatione, non licet. Qvid enim ille noster, cujus tu libros nunqvam de manibus deponis, qvid ajebat? timere se,

se, nisi freqventer declamaret, ne, qvod adeptus erat in arte oratoria facultatis, exaresceret. Attende, mi Paule, & tuam causam, à qva mea disjuncta non est, si placet, mecum considera. Ille sibi, homo Romanus, Latinæ orationis inopiam metuebat; cum tamen omnibus in hoc genere divitiis abundaret: nos, qvibus Latina lingva peregrina est: qvi in optima scribendi aut dicendi ratione rudes, & infantes pænè sumus, de summa eloqventia sine summo studio cogitabimus? & unam omnium difficillimam rem, eandemq; omnium glorioſissimam, ludibundi consequemur? Vides me ipsum, qvi qvid sim, ego qvidem non statuo: sed sunt, qvibus non esse nihil videar, nullum pænè diem intermittere, qvin aliqvid Latinè scribam? cum tamen, ex qvo lapidem hunc volvo, annus jam vigesimus abierit. Est adolescens in vestra nobilitate, tibi non ignotus, mihi admodùm familiaris: qvem excellenti præditum ingenio, gloriæ cupiditate flagrantem, nisi à Romanæ eloqventiæ laude ad hujus maternæ lingvæ studium falsa qvædam opinio traduxisset, erat cur de illo sperarem ea, qvæ summa sunt. Tantam enim operam in scribendo ponit, qvantum tu videlicet in legendo. Sed neq; illi in summa industria judicii satis est, qvi de Latinæ lingvæ dignitate non optimè sentire videatur: neq; tibi rectissimè judicanti, ad id ipsum qvod probas obtinendum suppetit industria. Qvare vellem, ut & tu illum in diligentia, & ille te imitaretur in sententia. Qvod utrumq; si contingeret; næ ego vestræ utriusq; laudi præclarè consultum putarem. Sed ille de suo consilio

silio viderit. Idcirco enim se non existimat errare, qvia, qvos sequatur, auctores habet eos viros, qvi, qvod optimum esse dicunt, in eo facilè omnibus hominibus antecellunt. Te verò, qvi mecum in iisdem ædibus per triennium ferè vixisti; qvi, qvicqvid es, de meorum consiliorum præceptorumq; fonte fluxisti; cujus à laude mea laus qvodam modo pendet; te, inqvam, mi Paule, qvantum in me erit, errare non patiar, teqve, coactus amore & officiis tuis, hortari nunqvam desinam, ut in veram ac sinceram eloqventiæ formam, cujus ego tibi excellentem pulchritudinem, duorum veterum oratorum exemplo, sæpè demonstravi, tuæ mentis oculos acriter intendas, eamq; tibi à me veris, ut arbitror, lineis designatam, ut aliqvando tuis scriptis, qvasi coloribus, coneris exprimere. (C) Grave, inqvies onus imponis, & difficilem mihi laborem mandas. Fateor ita esse: addo etiam illud, non esse nobis optandum, ut aliter sit. Nam, cùm omnium hominum in appetenda laude par propè voluntas, similisq; sensus sit: qvod omnes appetunt, id, si esset ejusmodi, ut consequi multi possent: qvanti, obsecro, æstimares? (D) opinor, minimi; copiam enim vilitas & vilitatem sequitur contemtus. Qvare non tibi est dolendum; qvod de sudoribus manat gloria. Lætare potius, qvod, cum eam omnes amabilem esse valdeqve expetendam sentiant, plerosq; tamen laboris magnitudo terret, & æmulandi studium rei difficultas imminuit. Est autem tibi ad hanc laudem, qvo te voco, aditus eò facilior atqve apertior, qvod, qvæ duo sunt ad comparandam eloqven-

loqventiam instrumenta maximè necessaria, ingenium & memoria, utrumqve sic tenes, ut in altero excellas, in altera iis, qvæ excellere putantur, non admodum concedas. Hæc tu bona si languere sinis, gratiam naturæ non optimam refers; qvæ non in te benigna fuit, ut suum beneficium negligeres: sed ut ad decus, ad dignitatem, ad immortalem æternamq; laudem conferres. (E) Neq; verò is ego sum, qvi te velim, eloqventiam à philosophia sejungere, totosq; dies in hoc uno expoliendæ orationis studio consumere: erras, si me ita sentire putas. (F) Ego philosophiam divinum qviddam esse dico, indicem veritatis, magistram vitæ, omnium virtutum, omniumq; laudandarum artium parentem. Sed idem ità statuo: si qvis optimè sciat, non optimè loqvatur, plerumq; fieri, ut id ipsum, qvod sciat, nescire videatur: & ut in conviviis non parum interest, qva epulæ ratione condiantur, sic in sermonibus aut scriptis, magni refert, qvibus animi cogitata verbis enuncientur. Qvod si cui ita stupidus aut ita depravatus est sensus, ut ornatæ & benè structæ orationis svavitatem & tanqvam harmoniam auribus non percipiat: hunc tu, si sapis, neqve consules in re tua: qvia, rectè qvi non intelligit, is ut rectè judicet, sperare non licet: neqve ipsum monebis, qvia, qvibus desunt principia naturæ, iis inutilem artem esse constat. Tu, si me audies, musarum vocem ab rusticano sono distingves, &, ut inanem multorum loqvacitatem oderis, sic elingvem qvorundam sapientiam non amabis. Qva in sententia video fuisse, qvos viros? Platonem

tonem & Xenophontem : qvibus ego plus crederem solis nutu significantibus, qvam omnibus, qvi nunc ubiq; sunt, philosophis cum jurejurando confirmantibus. Nonnè vides magnum utrumq; tamen in hac, qvam homines inepti reprehendunt, exornandæ orationis facultate ita præstitisse, ut eorum scripta cum legimus, nihil omninò purius, nihil elegantius, nihil illustrius fieri posse judicemus? à qva laude plurimum abfuissent, nisi temporis industriæqve multùm in eloqventiæ studio collocassent. Neq; verò eloqventiæ studuissent, nisi, ex ea decoris ornamentiq; plurimum ad philosophiam accedere, tanqvam ad formosam virginem à corporis cultu judicassent. Hos igitur ego te imitari malo, qvorum nomina adhuc vigent, cum ipsi duobus abhinc annorum millibus obierint, qvàm istos, si qvi sunt, qvi te infirmissimis rationibus à pulcherrimo consilio conantur abducere. Perge, ut facis, in disciplina philosophiæ, in qva Patavii artificem habes eximium M. Antonium Genuam: eloqventiam verò, cujus, ut opinor, in via me ducem non contemnis, ne dimitte. Utrumqve enim & debes, si tibi magna proposita sunt; & potes, si, qvod me sæpè dixisse memini, diei horas aptè & cum ratione distribues. Vale, & patrem tuum, & patruum qvos ego plurimi sanè facio, & communes amicos meo nomine saluta. Ex Plebe Sacii. 1556.

CHRI-

CHRISTOPHORO MADRUTIO CARDINALI MEDIOLANUM.

EPIST. XII.

Gratulatur sibi de favore & benevolentia Madrutii.

Præclarum est à Principe laudari. (A)
Laus Madrutii Card. (B)

AUdiote de nobis & loqvi, & sentire perhonorificè, præclarum hoc est, (A) laudari à principe viro, & ab eo principe, qvi cum fortuna virtutem ita conjunxerit, ut in utraqve pariter emineat. Atq; ego te semper antea; cum nunqvam essem, allocutus, nunqvam vidissem, tamen vehementer colui. Movebar tuis præstantissimis actionibus, hominumq; constantini sermone, omnia de te summa prædicantium. Neq; verò, si qvis in te laudaret opes, aut nobilitatem, aut dignitatem, admirabar. Communia multorum hæc sunt, optabilia potius, qvàm laudabilia. Sed illa, qvæ tua propriè sunt, cum audirem: (B) unum esse Christophorum Madrutium, qvi virtutem ipse coleret studio singulari, in aliis ornaret præmiis amplissimis, omnesq; liberales disciplinas (fato qvodam temporum dicam, an hominum injuriis? exulantes) exciperet, amplecteretur, foveret; qvi deniq; solidam gloriam, spectaret, inania, qvæ multi seqvuntur, contemneret: hæc ego cum audirem, incitabar studio meæ

ti-

tibi singularis erga te observantiæ declarandæ: sed obstrepere literis inanibus tali viro, præclaras Italiæ urbes, multorumq; populorum fortunas non potestate magis, qvàm justitia, tuenti, hominis esse vel inepti nimis, vel impudenter ambitiosi existimabam. Nunc autem, cum ad me sermones tui, mea cum laude habiti, referantur; occasionem cupidè complector, qvam mihi tua liberalitas offert: tibiqve gratias, qvas possum qvidem, ago, habeo autem certè maximas, atq; immortales; tùm qvòd ornes me testimonio judicii tui, qvod apud omnes valere plurimum intelligo: tùm verò, qvòd isto officio, ista tam præstanti humanitate qvasi fores mihi aperueris ad amicitiam tuam. Qva qvidem ego me, si minus alia re licebit, perpetuo certè, ac singulari erga te studio assiduaq; tuarum virtutum prædicatione, dignum præstabo, qvod cum antea fecerim, judicio meo commotus: faciam tamen imposterum alacrius, ac diligentius tua humanitate incitatus, qvam semper eandem in me futuram, non magis constantiæ ratio, qvàm naturæ tuæ benignitas, mihi persvadet. Vale. Venetiis. 1557.

ROMU-

ROMULO CERVINO, PATAVIUM.

EPIST. XIII.

Didascalica; refutat Cervini sententiam, qui dicebat, se non posse sine argumento scribere, eumq; monet, ut etiam levissimis quibusq; pro argumento utatur.

QVod tu persæpe qveri solitus es; id mihi nunc accidit, ut epistolæ prorsus careant argumento; sed ego tamen non committam, qvod tu soles, ut argumenti me inopia deterreat à scribendo. Qvin vide, qvàm diversa ratio sit, tu, cum sententiã non habes, valdè tibi ais laboriosum esse epistolam texere; ego nunqvam facilius soleo scribere, qvàm cum nihil habeo, qvod scribam. At, inanes hujusmodi literæ sint, necesse est. Primùm, hoc non semper: qvandoq; enim accidit, ut nihil dicentes, aliqvid tamen dicamus: &, ut in fidibus est qvædam manus aberratio sine arte, in qvo tamen ipsa ars sit; sic in epistolis argumentum qvandoq; est sine argumento, itaq; non semper inanes hujusmodi literæ: siqvidem in iis solet aliqvid nonnunqvam exsistere, qvod pondus habeat. Sed fac inanes esse; qvid refert? non hoc spectamus; id seqvimur, ut, exercitatione duce, eò perveniamus aliqvando, ubi sita laus videatur eloqventiæ. Qvod si nobis tantum in hoc proficere non licet, ut veteribus illis, qvorum est purissima oratio, similes esse possimus: attendemus tamen, si possumus nostris, qvi inqvinatè

natè loqvuntur, dissimiles esse. Qvod, ut opinor & multùm, & sæpè scribendo conseqvemur. At noli putare, semper in eo nobis esse elaborandum, ut philosophemur in epistolis. Graves sententiæ probantur: fateor: sed nunqvid hoc uno Latina lingva continetur? me qvidem Cicero noster paulò minus interdum delectat, de jocis cum agit, qvam de turpi, & honesto, cum disputat. Utrobiq; enim, sunt ornamenta: & utrumq; sæpe necessarium est: itaq; ad utrumq; me do,: teq;, ut idem facias, etiam atq; etiam hortor, cumq; res non erit, de qva scribas; tum tu, si me audis, vel leviſſima qvæq; ex omni parte, ex omni genere arripies, & iis pro argumento utêre. Hoc autem qvatenus agas, aut cum qvibus agas, tibi non præscribo: cujus tanta prudentia est, qvandam ætas ista, qva nunc es, capere vix potest. Summa sit, ut & cum argumento & sine argumento sæpissimè scribas. Vale. Romæ.

FRANCISCO GONZAGÆ, PATAVIUM.

EPIST. XIV.

Qveritur, qvòd, morbo oculorum impeditus, non posſit Patavium ad salutandum Gonzagam advolare, à qvo humanissimè per literas sit compellatus.

ODi pænè meos oculos: etsi oculi sunt, id est, omnium rerum carissimi: sed odi certè pejus, qvàm antea, hunc morbum, qvo mihi nunc tuus adspectus, tuus complexus, eripitur. Advolarem enim ad te, si valerem; nihil me moraretur: nihil

nihil esset tanti. An cum tu, magni principis filius, familia natus Italicarum omnium nobilissima, nec jam à majoribus tantùm, sed à te ipso clarus, Mantua me, humilis hominem loci, nondum de facie notum, literis humanissimis tua sponte salutandum putaveris; ego, cum Patavii, hoc est, prope in conspectu meo, sis, non accurram ad te? facerem; sed soluta voluntas non est: impeditur enim valetudine. Solatio tamen hoc, in magno dolore, sustentor, qvod futurum brevi non despero, ut convalescam. Concurrunt simul anni tempus, assidua medicorum cura, mea summa continentia. Hæc si proficient; adibo ad te, nulla interposita mora. Opto enim, qvæ inter nos mutuo literarum officio conglutinata amicitia est, eam paulo arctiùs mutuis sermonibus, mutua consvetudine adstringi. Sin hærebit morbis; obsecro te, largire hoc vel meæ in te observantiæ, vel humanitati tuæ, ut omnino tuis literis ne caream: qvas ego meis qvàm potero creberrimis dabo operam ut eliciam. Mitto ad te librum meum de Romanis legibus, proximè rogatu multorum editum. Cupio legas, cum hoc tamen, si vacat. Nam, avocari te à studiis gravioribus mea causa, nolo. Cupio etiam, cùm legeris, probari tuo judicio nostram industriam. Sed hoc me cupere, rogare ne puta. Volo tibi esse liberam in utramq; partem judicandi facultatem. Nihil mihi tribue: rem ipsam pende suo merito, ac statue de tuo sensu. Nec enim is ego sum, qvi plus amicitiæ dari postulem, qvam veritati; nec tu is es, qvi si postulem, facilè concedas. Pergam ad reliqva,

hæc si tibi, tuique similibus non improbari cognovero. Vale. Possevino salutem, rarissimo juveni, cujus heri epistolis respondi. Venetiis.

ANTONIO POSSEVINO, PATAVIUM.

EPIST. XV.

ARG. Possevinum ad se scripsisse latatur, eumq; ad virtutem hortatur fratris exemplo, & laudat.

GRratus, & jucundus admodum amoris, qui te in eam mentem impulit, ut officii, gratia ad me scriberes. Quid enim aliud existimem? cum argumentum res quidem ipsa tibi nullum daret. Ingenium verò mirificè tuum amavi, amplexatusque quantum licuit, animo sum, quòd raptim, &, ut ad hominem familiarem, familiariter cum scriberes, epistolam tamen confeceris elegantissimam, distinctam luminibus eloquentiæ; in qua non fucatus, sed verus, ac tanquam naturalis Romanæ linguæ color eniteat. Macte, Possevine, fratre jam major, juvene eximio: urge totus in studio literarum, vides, quæ te manent præmia, gloriam habes proximam, eamq; pænè manibus attingis. Paululum si te incitaveris, apprehendes. Non mehercule, quia nolis, dico: sed, ut intelligas quantum cupiam, propterea dicendum putavi. Faveo enim omnibus, qui rectè sentiunt, rectèq; faciunt: in te verò mea præcipua & est voluntas, & esse debet: Scis, quintum abhinc annum, Romæ, cum te frater tuus adolescentulum adduxit ad me, quibus verbis commen-

mendaverit, amicitiajunxerit, & veluti in clientelam tradiderit. Ex eo tempore, qvoties adiisti ad me, qvos tecum habuerim sermones, qvàm studiosè, qvàm amanter ad illa præclara, qva frater tuus amabat, sim cohortatus, potes recordari. Dixi sæpè, non esse tibi de fortunæ bonis cogitandum: qvæ vel improbi malis artibus qværerent, vel bonis viris rectè qvæsita facilè casus eriperet, ostendi, verè & esse appellari divitem posse, qvi liberalium doctrinarum scientiam possideret. Non neglexisti: contulisti cogitationes omnes tuas ad studium veræ laudis, & in eo nunc apud Franciscum Gonzagam, nobilissimum, ac virtutis amore incensum adolescentem, ita versaris, ut propemodum videaris excellere. Qvare gratulator eqvidem fratris tui manibus; qvos lætari arbitror summopere, qvi talis es, & qvia fore tantus videris, qvanta potest esse virtus maximo ingenio, acerrima voluntate, summo studio comparata. Nec verò, qvod epistola tua significat, mea tibi sunt aut ad ullum fortunæ accessionem, aut ad dignitatem studia expectanda. A te ipso, mihi crede, omnia proficiscentur. Virtutem si habes, nihil desidera. Ea pro te prensabit: ea tibi omnes honores, omnes, qvas petieris, opes impetrabit. O præclaram vitæ ducem! te felicem, Possevine, qvi cum hac vivis, & vivendum statuis: me miserum, qvi, cùm idem sentiam, cogor tamen eam à me disjungere, victus gravitate morbi, & iis curis, qvæ invitum alio traducunt. Qvod si me Deus aliqvando respexerit; acqviescam in iis studiis, qvæ sola sunt ad naturam meam, sola

tranqvillitatem animis afferunt, hominemq; paulatim ab homine separant, & qvantum licet, cum Deo conjungunt. Vale. Venetiis.

HIERONYMO LIPPOMANO, VENETIAS.

EPIST. XVI.

Respondet Lippomano, qvid de beneficio in se collato ei gratias egerat, idq; non beneficium, sed officium tantùm, & qvidem debitum fuisse ostendit.

Item gratulatur sibi de amore Lippomani, qvam libris significavit.

Formula extenuandi officia vel beneficia sua alteri praestita. Ibi: Qvod verò ais nescio qvid &c. (A)

Item qveritur de sua & fratris adversa valetudine, item de uxoris periculoso morbo, rogatq; ut secum aliqvid solatii per literas communicare velit. (B)

BRevis epistola tua, sed habet multa svavia. Primùm significas amorem in me tuum, qvo qvid gratius? nam, amari à nobili adolescente, propinqvitatibus, amicitiis, opibus florentissimo, optabile est: ab eo verò adolescente, cujus ad animi bona comparanda mens omnis, & cogitatio, dirigatur, qvi scientiam literarum ita expetat, ut inani tamen ambitione prorsus vacat, nihil ad seipsum, ad summum Deum omnia referat; hoc verò ejusmodi est, qvod qvi assequitur, triumphat. Itaq; ego vehementer mihi gratulor de amicitia tua: qvam cupio esse perpetuam: & ut sit omni e-

qvi-

qvidem ſtudio, omniq; erga te obſervantia laborabo. (A) Qvod verò ais neſcio qvid de beneficio in te meo: mi Hieronyme, noli tantum largiri modeſtiæ tuæ, ut vocabulis parum propriis, nec ſatis cum re congruentibus utare, qvod enim tu beneficium appellas, ego verius officium, & officium, ejusmodi, qvod prætermitti à me ſine gravi culpa vix poſſet. Rogabas, ut conſulerem ſtudiis tuis: impetraſti facilè, & curari libentiſſimè. Qvod enim tribuere uni tibi videbar, id non tàm tibi tribuebam, qvàm literis, qvàm virtuti, qvàm conſvetudini, & naturæ meæ, amplector tamen iſtam humanitatem: qvæ tibi non modò benevolentiam conciliat, verum etiam laudem parit. Nam ut extenuare, ac diſſimulare, qvæ acceperis, beneficia, jejuni animi eſt, & peranguſti, ac ſordidi: ſic, ea verbis augere, palamq; profiteri excelſi, atqve ampla ſpectantis hominis eſt; & ad liberalitatem, id eſt, ad decus, & ad gloriam, nati. Conjunge, qvæſo, iſtam mentem, atq; iſtam ſententiam cum doctrina, & cum iis ſtudiis, ad qvæ te vocat illuſtre domeſticum exemplum Veronenſis Epiſcopi, patrui tui: qvem vides averſum penitus à ſtudiis rerum humanarum, eaq; contemnentem, qvæ cæteri admirantur, totum eſſe in una virtute defixum, & divinam conſvetudinem, qvatenus homini liceat, imitari. Itaqve nunc ejus ſapientiſſimis conſiliis, ac ſanctiſſimis inſtitutis eximiaq; doctrina, magna ex parte Romana nititur Eccleſia. Hunc tu ducem ſi ſeqvêris, & in ejus veſtigio pedem pones: non errabis in hoc dubio vitæ curſu, non labêris in lubrica juventutis via.

Qvod te facere jam, lætor; facturum etiam multò in posterum diligentius, confido. Atq; ego, qvando mihi licere apud te tantum vis, langvere te præclaris in studiis non patiar. Hortabor literis, dum abero; præsens sermonibus excitabo. (B) Nunc me cupidum urbis tuiq; maximè, ac paucorum tui similium, tenet tamen in his locis uxoris meæ morbus: de qva jactor variè, tanqvam fluctibus, modò spe, modò metu. In una tantùm cogitatione videtur animus consistere, & qvietem aliqvam capere, cùm qvasi secum loqvitur, & commemorat ipse sibi necessitatem illam rebus omnibus impendentem, ut animata intereant, creata dissolvantur. At est dolendum, si qvem viribus ætateq; florentem immatura mors oppressit. Ita, si mortem in malis, vitam felicitatis loco statuas. Qvod qvi existimat, refellitur exemplis. Qvàm, multis enim, diu vivere, miserrimum fuit? Hæc qvàm diu cogito videor acqviescere, satisq; leviter incommodi mei gravitatem sustineo. Sed certè, nimis acerbè fortuna mecum egit, qvæ me, de meipso, ut scis, ac de mea valetudine solicitum, alienis etiam malis implicuerit. Benacum petere statueram, non licuit, neq; forsitan licebit: Asulæ qvidem, oppido satis eleganti, ubi magnam pueritiæ meæ partem traduxeram, omnes mihi jucunditates, omnia gaudia tum in fratris convictu, tum in veterum amicorum consvetudine fixeram. Cecidit contrà. Frater enim ægrotavit diu, neq; dum firmus est: amicis autem qvi possum frui, cum uxorem, multorum dierum morbo conflictatam, nunc incertâ vitæ spe animam tra-

trahentem in oculis habeam? De me ipso, ac de meo reditu, noli expectare dum scribam. Vides me alienis miserii s esse miserum: meam non esse liberam, aut solutam voluntatem, intelligis: nisi si meos deserere, id est, ab omni prorsus humanitate velim desciscere: qvod profectò nunqvam committam. Qvod si nostrorum animorum sensus, & nostra consilia Deo patent, ut certè patent: amat, opinor, pietatem meam, eaq; non dubio, qvin mihi vel opem ab eo celeriter impetret, vel hoc saltem, ut qvidqvid evenerit, moderatè feram. Profectò enim ex uno illo fonte omnis nostra fortitudo manat, omnisq; sapientia. Alioqvi facilè frangimur, & facilè aberramus à verò, insidiosis voluptatum illecebris abducti, & rerum mutabilium fallaciſſima specie decepti. Qvæ tu, multò plura, cum audieris sæpè de patruo tuo, qvi cum ab ineunte pueritia in iisdem ædibus, atqve in eodem pæne cubiculo vixisti: si qvid hujus generis mihi nunc, multis difficultatibus ac molestiis circumvento, literis imperties; habebo à te munu aptissimum meo tempori, dignum amicitiâ nostra, dignum verò maximè ea persona, qvam tu sustines: qvi te sacris addixisti, semper ut benè ageres, aut benè cogitares. Vale; &, ad Episcopum Veronæ designatum, qvem vidi nunqvam, de fama tamen cognitum, studiosè colo, obsecro te, cum scribes, meo nomine salutem plurimam. Asulæ. 1556.

EIDEM VENETIAS.

EPIST. XVII.

Expostulat cum Lippomano, qvod callidè & fraudulenter secum egerit. Videtur autem cum illo tantùm jocari.

Formulæ exprobrandi, &c. Nunqvam patavi fore &c.

NUnqvam putavi fore, ut injuriam acciperem in beneficio, præsertim à te, cujus in fronte, oculis, vultu habitare videtur humanitas. Benignè mecum, & liberaliter agere, qvod est proprium familiæ tuæ magnopere te decuit: Idq; adeò postulabat amicitia nostra: callidè verò agere, & ficta veritatis imagine fucum facere, neq; te dignum fuit, ad præclara laudandarum rerum studia ex nobilissima familia nato, neqve verò me, tui studiosissimo, de tua bonitate, tuisq; moribus egregiè non modò sentiente, verùm etiam prædicante Astutiæ præstantibus viris nunqvam placuêre. Apertam, simplicem, rectam in omni vita consvetudinem sequuntur. Qvo ego te in numero qvia credidi esse, & qvia, ut esses, curare non mediocriter debuisti; ideo sum in fraudem facillimè inductus, & illo tuo figmento, qvo nihil unqvam gustavi suavius, abstinui perinvitus. Meæ tamen insciti æ eò me pudet minus, qvia sequitur amorem credulitas, & ita vitium laude corrigitur. Noli igitur me, qvasi rudem qvendam, & prorsus earum epularum, qvæ novo qvodam artificio condiuntur, imperitum contemnere

mnere. Pœnarum satis in ipsa re tuli: qvam rejeci qvasi noxiam; cum esset ejus generis, ut me docuit heri vesperi Sebastianus noster, unde simul possem & alimentum caperè, valetudini meæ vehementer aptum, & palatum oblectare, qvantum antea fortasse nunqvam, restitue nobis tuam fidem. Liceat mihi meum errorem tuo beneficio corrigere. Magna res non est: magnopere tamen commotus, vel insciti a mea, vel malitia tua: qvæ vicit omnino, vel fefellit potius opinionem meam. Id si molestè fers; non longè abest mei leniendi facultas: si modò animum tuum induxeris, ut id, qvod potes, etiam velis. Qvod si secus acciderit: prædico tibi, culpam exiguam graviter lues: neqve te mellitis placentulis, qvibus me munerari solitus es, absolvam, sed ea pœna condemnabo, cujus etiam nomen cum audieris extimesces, interim sustineo me, dum muto judicium de te meum; qvia te spero rationem utriusq; nostrum habere velle. Cupio tecum coràm jocari, & simul adspectu illo tuo jucundissimo frui. Vale. E cubiculo meo, ante lucem.

EIDEM ROMAM.

EPIST. XVIII.

Respondet Expostulationi vel Querelæ Lippomani, & excusat se de literarum raritate; idem crimen ipsi impingens, qvi magis otio abundet. Deinde etiam excusat se, qvòd dolorem ejus ex obitu patrui perceptum

ptum literæ non lenient, eumq; hortatur, ut patrui imaginem sibi ante oculos ponat. &c.

CUM in magnis molestiis hæc una me res delectare non mediocriter soleat, qvod amicitias à me diligenter coli, nec unqvam officium contemni ipse mihi sum conscius; legi perinvitus eam partem literarum tuarum, in qva me, ut immemorem promissa appellas, atq; etiam, ut oblitum humanitatis, leviter accusas. Ego tuæ familiæ nobilitatem, egregiaq; tuorum majorum decora, pro eo ac debui, semper suspexi: te verò ipsum præditum iis bonis, qvæ nobilitatem omnem vincunt, amavi prorsus, à qvo die mihi cognitus es, amore singulari. Hanc immutari in me voluntatem, ita etiam si te mihi casus aliqvis immutet, neqve consuetudo mea, neq; natura paterctur. Qvod eqvidem antea tibi certum esse, atq; exploratum arbitrabar: nunc, qvando subdubitare te video, significandum putavi, ne posthac unqvam suspiciones istiusmodi, planè meo erga te studio, & mehercule etiam tua bonitate indignas, mearum epistolarum afferat infreqventia. Qvanqvam, si tuum otium cum meis occupationibus conferatur, non intelligo, cur ego tuam in scribendo valdè laudare diligentiam, tu meam reprehendere negligentiam debeas. Satis, nisi fallor, statum rerum tuarum habeo cognitum: tu me scilicet videris ignorare: nam si nosses, & exigeres tamen id, qvod præstare vix possum; esses iniqvior. At erat amoris nostri, lenire literis dolorem tuum in obitu patrui, summi viri; sit ita, verum tamen abs te postulabat idem amor, ne officium à

me

me illud sine causâ prætermitti, animum induceres. Primum ego te, per aliqvot annos domestica sanctissimi hominis disciplina institutum, putabam humana omnia contemnere; mortem verò, qvæ sempiternæ vitæ initium est, etiam in bonis ducere. Qvod si frangimur humanis, aut commovemur saltem; certè enim à stipite, à saxo, à ferrea materia longè distat hominis natura; qvis tamen ab afflicto solatium expectat? aut qvis me minus tranqvilla experitur omnia: qvæ si tibi nota sint, profectò me liberes ab omni culpa, & cupias revocare qverelam tuam. Neqve verò, si vigeat animus, & perferat adversa, ita valemus ingenio, ut consolandi partes, qvæ doctrinæ plurimum; & sapientiæ postulant, audeamus assumere. Non hæc in nobis facultas est: qværas eam aliunde licet: si modò, ut significas, qvod mihi tamen haud omnino persvades, in te ipso non est, qvi & acuere mentem liberalibus studiis, & augere prudentiam usu rerum, ac præstantium virorum sermone potuisti. Qvæ si absint, ut abesse à me magna ex parte fateor: tamen ille ipse, qvi tibi luctus causam attulit, idem à luctu te removet exemplo vitæ suæ, cujus abesse nullam partem à constantia, & à virtute reperies. Hunc igitur tibi unum ante oculos constitue: finge ad ejus imaginem qvicqvid cogitas, qvicqvid agis: noli oculos ad vulgi depravatam consvetudinem flectere. Ita consules egregiè rationibus tuis: & illud rectè instituendæ vitæ consilium, qvod à me reqviris, nusqvam esse præstantius, qvàm in te ipso cognosces. Vale. 1560.

EPI-

EPISTOLARUM PAULI MANUTII,

LIBER II.

FRANCISCO VARGÆ CAROLI V. IMPERATORIS, ET Philippi ejus filii, Hispaniarum regis Oratori, Venetias.

Lib. II.

EPIST. I.

Excusat se de tarditate literarum ob suam & suorum adversam valetudinem.

Ostendit, qvomodo se in rebus adversis consoletur.

NB. Rerum humanarum inconstantia.

Laus Vargæ à pietate in DEUM & sanctitate vitæ.

OFFICII mei sæpe me admonet officiorum recordatione. Officium autem, qvod absens absenti præstare possum, literæ sunt: qvas misissem ad te jam antea, nisi huc advenientem graves admodum, & peracerbæ curæ statim excepissent. Qvas enim res scis esse nobis in vita omnium carissimas, omniumq; primas, in iis me graviter exercere fortuna cœpit, uxore, liberis, fratre, uno pænè tempore in morbum conjectis. Ne mihi qvidem bellè satis est. Animo enim affectus, valere corpore qvî possum? veruntamen, qvia mihi hærent in mente consilia tua, fero hæc ut humana,

mana, divina spe, in qva tu soles omnia ponere, confirmatus. Qvòd nisi hunc in portum, te ducem secutus, confugissem: facilè me tot malorum subita tempestas obruisset. En, qvàm sit incertus nostrorum consiliorum eventus, & qvàm ea, qvæ nobis ipsi ad voluntatem fingimus, contrà cadant. Petivi has regiones, non sine sumtu, non sine labore, spe ductus valetudinis recuperandæ: reliqvi urbem pulcherrimam, mea negotia, tuam consvetudinem, in qva mihi ornamenti statuo plurimum. Hæc bona, tantum abest, ut aliis bonis compensata sint, ut etiam multa successerint, qvæ si ad sensum referantur, mala verè possum appellare. Sed cum me sensus qvandoq; moveat, ratione tamen utor sæpius. Hæc ostendit, nihil esse malum, nisi qvod nostra culpa contingat: ancipitem esse in rebus humanis rationem judicandi: nihil enim semper idem esse; qvin, qvæ nobis adversa, exitiosa, prorsus misera videantur, ea sæpe ita converti, ut ex iis ipsis multæ commoditates emanent: contra, qvæ speciem habeant felicitatis, inde fluere qvæ acerbissima sunt, exilium, paupertatem, ignominiam, qvæ ego cum cogito, reficior paululum, & excito me, qvatenus licet, ad eam virtutem, qvæ in adversis rebus elucet: de qva cum multa sint à philosophis tradita, unus tamen eam suo exemplo præclarè docuit nostræ salutis auctor JESUS CHRISTUS: qvo magistro, qvæ sit vera fortitudo, discimus, omniumq; laudandarum artium absolutam, ac verè salutarem doctrinam consequimur. Atq; ego te, Francisce Varga, qvod hoc studii genus omnibus

bus & ſtudiis, & ſcientiis anteponas, longè qvidem hoc nomine pluris facio, qvàm qvòd negotia Cæſaris Imperatoris ex omnium ſeculorum memoria, præſtantiſſimi, & Philippi, Regis omnium Regum, maximi, apud Venetam Rempubl. orator adminiſtres. Iſta enim dignitate alii qvoq; nobiles viri claruerunt: pietate verò in Deum, & ſanctitate vitæ, parem fortaſſe aliqvem, ſuperiorem certè habes neminem. Itaqve, poſtqvam à te diſceſſi, vix credas, qvàm ſæpè meus ad te animus, tuorum ſermonum deſiderio, recurrat. Eqvidem, vel ſi mihi cætera hic omnia ſecundiſſima fluerent, qvæ experior, ut dixi, ſatis adverſa, injucundè tamen viverem, qvia procul à te abſum; cujus ex humanitate, ſermonibus, conſiliis mirificos capiebam fructus, & documenta ad vitam rectè traducendam utiliſſima. Qvare jam me minus, qvàm antea, delectat, ac pænè diſplicere totum cœpit conſilium illud meum de lacu Benaco incolendo. Tua me ſingularis doctrina, tua probitas, tua benignitas, ad urbem revocat. Benacum, per anni tempus cum licebit, æſtate ſcilicet ineunte, (nam hyeme regionem illam procellis, & ventorum vi totam audio agitari) ſi valetudo ita poſtulabit, inviſam. Interea meam imbecillitatem ratione victus, & abſtinentia tuebor. Ac fortaſſe fiet, qvoniam à Deo cuncta pendent, ut Venetiis, intra meos parietes, in oculis, & adſpectu meorum, commodiſſimo vitæ genere, ita convaleſcam, ne qva poſtea, me cœli mutandi neceſſitas extrudat. Qvod ſi aſſeqvar; habebis me, ſi me tantum ab humanitate tua ſperare vis, qvod

qvod profectò vis, familiarem, ac pænè contubernalem; & hac eqvidem ſpe jam nunc mirificè ſuſtentor. Vale.

HIERONYMO FALETO, HERCULIS FERRARIENSIUM Ducis Oratori. Venetias.

EPIST. II.

Conqveritur de homine deterrimo & impuriſſimo, à qvo deludatur & expiletur, rogatq; Faletum, ut illum juxtà ſecum congreſſu & ſermone prohibeat.

Form. Extenuandi ſe modeſtè: (A)

Eqvidem nihil mihi adſciſco &c.

QVod heri injeciſti in ſermone, hæret in animo; &, qvo diligentius rem perpendo, eò magis omnia mea conſilia, omnes cogitationes ad novam ſocietatem, qvæcunq; ea ſit, converto. Vexor enim, & deludor indignè ab homine deterrimo, omniumqve impuriſſimo: cui non ſatis eſt avertere communem rem; ſed me prorſus ita deſpicit, ut nec dignum ducat, ad qvem adeat accerſitus. (A) Eqvidem nihil mihi adſciſco, nihil arrogo inſolenter: nihil enim habeo, neqve à fortuna, neqve à me ipſo, qvo nimium extollar: veruntamen limina mea rum ædium teruntur qvotidiè pedibus virorum clariſſimorum ad me confluentium. Tu ipſe, tu, inqvam, Falete, & maximi Ducis orator, & maximus ipſe vir, qvem graviſſima diſtinent negotia, qvi ſcribis hiſtoriam, qvi legum ſcien-

scientiam, veterum, & recentium scriptis luculentissimis explicas, venire tamen ad me, qvæ tua est humanitas, sæpè solitus es, horasq; multas svavissimo sermone consumere. Malum est, inqvies, ab homine neqvissimo contemni. Malum: sed pejus etiam, expilari, qvod nisi tua prudentia medicinam huic malo affert; periit fructus omnis tuæ liberalitatis. Clavam enim citius de manu Herculis possim extorqvere, qvàm ab isto nummum. Aut igitur ea mihi conservetur utilitas, qvam tuo beneficio speraveram: aut, qvi nos vult perditos, perdatur ipse nobiscum, & societas communi pernicie dissolvatur. Verùm, cùm in tuum ingenium, tuam auctoritatem, & singularem in me benevolentiam intueor; traducor facilè ad optimam spem; tranqvilla omnia, commoda, copiosa mihi ipse polliceor. Tu restitues unus afflictam rem: & istum postremi ordinis hominem, omnibus inqvinatum vitiis, indignum prorsus non modò amicitia nostra, sed congressu etiam, ac sermone, extrudemus, ut versetur posthac, & vivat cum sui similibus, in sordida neqvitie, sejunctus à nobis, qvi humanitatem colimus, & virtutem omni lucro anteponimus. Interim lege, qvam sæpè jam efflagitasti, partem libri nostri de qvatuor Rebuspubl. qvam cupio à te probari. Otium si habuero, qvale ut aliqvando consequar, operam dabo; in Bellombra tuo, si alibi, non licebit totum volumen absolvam. Vale. Ex ædibus nostris. 1557.

Ex

EX LIBRO DE QVATUOR REBUSPUBL.

EXiis, qvod suprà sunt commemorata, duæ videntur propositi nobis argumenti partes absolutæ. Patere enim satis arbitramur, non modò qvibus vitiis duæ maximæ, ac firmissimæ civitates, primùm Sparta, deinde Carthago, labefactatæ corruerint, verum etiam, qvibus illa vitia remediis vel sanari penitus, vel ita saltem corrigi potuerint, ne Reipubl. salutem in discrimen adducerent. Nunc urbis Romæ qvæstio succedit: qvi erat tertius in divisione locus. Postrema narrationi, conclusio futura nostri muneris, omniumq; nobilissima, & eadem difficillima tractatio, Venetiæ nostræ reservantur.

Ac de Roma, qvæ nullo magis vitio, nullo graviùs unqvam morbo, qvàm imperii magnitudine, laboravit. Primùm illud occurrit, nulla omninò in civitate post homines natos, aut virtutes, & honestas actiones aliqvando floruisse magis, aut æqvè malas artes, & exitiosa publicis rebus consilia valuisse. Primis Reipubl. temporibus, cum nulli dum de plebe magistratus creabantur, summa senatus potestas, summa fuit auctoritas. Utraqve cum per aliqvot annos viguisset, inclinare tum primum cœpit, cùm tribunipl. creati sunt. Creatos autem culpa senatus, historiæ declarant. Nam, si prima repetere, &, qvæ cuiqve rei causa sit, placet animo perqvirere: tribuniciam potestatem, qvæ deinde senatus opes fregit ac debilitavit

tavit maximè, ipsius vitio senatus Romæ constitutam, facilè constabit. Qvid igitur? an tu, dicet aliqvis, senatum reprehendis, qvia tribunospl. creari passus sit, cum plebs eum magistratum non jam vocibus posceret, sed armis extorqveret? non amplissimum ordinem, qvia permiserit, qvod recusari sine Reipubl. præsenti jam periculo non poterat, imprudentiæ condemnas? Ego qvidem minimè: habeo enim rationem necessitatis, cui parere, sapientis semper est habitum. Secesserat armata multitudo in sacrum montem: flagrabat ira & odio in ordinem nobilium; avaritiam, superbiam, crudelitatem senatus accusabat: se bella gerere, urbes capere, pro patria sangvinem effundere, mortem obire clamabat: pro his meritis inopiam, & injurias pati: senatum commodis frui, senatum honoribus abundare; plebem servire, qvæ, ut cæteri liberi essent, qvotidie sua corpora hostium telis objiceret: qvem non moverent hujusmodi qverelæ? qvem non terrerent, cum ii, qvi hæc qverebantur, alii pila, alii gladios manibus tenerent? rectè fecit senatus: tribuniciam potestatem, à plebe flagitatam, concessit; non libenter, sed, ut impetum sedaret, majorem temporis qvàm suæ voluntatis rationem duxit. Hæc, ut dixi, rectè, nec sine summo consilio: sapiens enim, cum necessitate non pugnat: at illud neqve rectè, neqve prudenter; qvod, ut in eam necessitatem res deduceretur, sive negligentia, sive superbia commisit. Occurri principiis oportuit, & nascentem pestem extingvi. Nam, cum

omnes

omnes civitates, qvæ suo milite bella gerunt, qvotidianis propè seditionibus fluctuare necesse sit: qvo malo & veterum memoria, & nostra ætate florentissimas civitates occidisse constat; summæ difficultatis, ac divinæ cujusdam sapientiæ videtur esse; ita rem moderari, ut consistat; neqve permittere, ut multitudini, qvæ satis ipsa per se levis est, nulla paulò justior ad motum accedat occasio. Erant in plebe Romana qvamplurimi, qvibus ære alieno obstrictis, unde solverent, non erat. Hi cum ad tribunal consulum, qvi tum, nondum creatis prætoribus, de creditis pecuniis jus dicebant, à fœneratoribus vocarentur, egestatem excusantes, & domesticas miserias ad eliciendam misericordiam commemorantes, tamen non audiebantur. Magistratus nectendum fœneratori debitorem tradebat, ut, qvamcunqve creditor vellet, servitutem serviret. Iniqva, & homine prorsus indigna sive consvetudo fuit, sive lex. Tu mihi libertatem lege eripias, cum libertatis causa leges constituantur? an ego ullam legem potiorem ea lege ducam, qva DEUS, ut homo liberum animal esset, ac cæteris animantibus imperaret, æterno jure sanxit? pecuniam aufers: non relinqvis, unde vivam, unde liberos alam: fero: relinqve libertatem; ut mercenario saltem opere ipse mihi, & esurienti familiæ victum qværam Cum his acerbè magistratus agebat: acerbius etiam fœneratores: qvi cives Romanos, nexu vinctos, gravissimo servili opere fatigabant, & nexorum in terga flagellis, ac verberibus sæpe sæviebant.

Hìc ſenatus miſeris civibus conſulere, cauſam libertatis ſuſcipere & potuit, & debuit; nexos è vinculis eximere humanitatis fuit; diem ſolvendi laxiorem egentibus ſtatuere, æqvitatis: uſuris modum facere, juſtitiæ. Hæc & facienda fuerunt, &, ut fierent, cum à patribus plebs, atqve conſulibus fruſtra petiiſſet; ad extremum, ut homines deſperatio præcipites agit, armata multitudo in Sacrum montem, tria millia ab urbe paſſuum, ſeceſſit. Tum, ut plebejorum animi ſtimulis iracundiæ perciti, continerentur; ſenatus periculo territus, de creando plebejo magiſtratu, qvia res aliter convenire non poterat, aſſenſit. Itaqve tribunipl. primùm qvinqve, deinde decem, creati ſunt. Ab hac radice ortum qvicqvid inter cives diſcordiæ, qvicqvid ſeditionis, qvicqvid bellorum fuit. Per annos qvingentos, id eſt, usqve ad exitium Reipubl. tribunipl. contra nobilium potentiam ſeditioſis concionibus vociferari, plebem ad novi commodi ſpem, ad nova incitare conſilia nunqvam deſtituerunt. Specie libertatem tuebantur, reverà ſenatum oppugnabant. Primò magiſtratus, deinde & ſacerdotia plebi communicata. Ad extremum is, qvi ſolet, exitus conſecutus eſt. Nam plebs ubi, qvod paucorum erat, ad ſe transtulit, rurſus idipſum, qvod multitudinis eſt, in unum confert. Facit hoc inſcitia, facit inopia, facit ea, qvæ in magno numero ſemper exiſtit, voluntatum & opinionum diſſimilitudo. Ita popularis adminiſtratio, qvæ maximè libertatis imaginem præ ſe fert, occultè tamen, ſi ſpectemus exi-

tum,

tum, tyrannis est: qvòniam ex ea ferè semper exoritur tyrannus: sicuti deinde ex tyranno status optimatum generatur. Hujus mutationis exemplum satis illustre Roma est. Primò, regum summa potestas fuit: deinde senatus, hoc est, optimatum major, qvàm populi: tum populi major, qvàm senatus: postremò rursus unius maxima, & singularis. Populus enim C. Cæsarem extraordinariis imperiis auxit, eoqve extulit, unde, cum se monarchiæ proximum esse homo acutus intelligeret, privatam conditionem despexit; altiusqve maluit, ut humani mos ingenii fert, adscendere, qvàm ad inferiora, qvæ reliqverat, descendere. Neqve verò me fugit id, qvod à doctissimis viris memoriæ proditum est; firmissimas illius Reipubl. vires esse, & qvæ non facilè ab externis viribus debilitentur, cujus non simplex, neqve unius generis administratio est, sed ita mixta, ita temperata, ut in triplici forma unum consilium, unam qvasi mentem significet. Neqve ego tum in civitate præclarè agi negaverim, cum & unus, & pauci, & multi maximas res gerunt; nec tamen aut unus, aut pauci, aut multi præcipuè dominantur. Verum ut harum trium partium in suo qvæqve munere modum servet, & ea, qvam habet potestatem nunqvam abutatur, ego qvidem hoc fieri posse non arbitror. Sunt enim hi tres ordines admodum dissimiles: & inter dissimilia perpetuus æqvabilitati locus esse non potest. Nam, qvemadmodum in musicis, qvò plures chordæ percutiuntur, eò svavior concentus efficitur, qvia

varius ille multarum fidium uumerus, in qvo ſumma diſcordia eſt, arte conciliatus, & ad concordiam perductus, incredibili qvadam jucunditate aures, animumqve permulcet; ſed hæc tamen jucunditas ideò brevis eſt, qvia de multis fidibus aliqva ſtatim remittitur, & diſcrepat: ſic multorum ordinum adminiſtratio videtur, illa qvidem eſſe omnium optima; qvia, qvò longius ab unius imperio diſceditur, eò propius ad libertatem acceditur; ſed qvia multos idem ſentire difficile eſt, facile diſſolvitur. Qvid autem ex diſſolutione exiſtat, multarum civitatum miſerrimus exitus declarat. Qvare, cum ſit neceſſe, ut de tribus poteſtatibus, qvæ pares ſint, aliqva aliqvando ſe efferat, & reliqvis duabus inſultet; ante providendum eſt, ut ea, unde magis hoc imminet periculi, qvæqve ad temeritatem proclivior eſt, inferiorem locum obtineat, & reliqvas duas neqve dignitate, neqve viribus adæqvet. Qvæ verò de tribus ea ſit, qvæ facilius inſaniat, & cum inſanierit, cohiberi non poſſit, hic ſine dubio populus eſt. Qvi ut inferiorem in civitate conditionem æqvo animo ferat, ita fiet, ſi cum eo ſemper juſte, nunqvam ſuperbè, interdum etiam liberaliter ſenatus aget. Tum populus nihil appetet, nihil molietur: novos magiſtratus, novas leges, nova imperia non deſiderabit: libera ſervitute libenter ſerviet: putabit enim ſe non hominibus ſervire, ſed legibus. Hæc ſi Romæ ſenatus initio caviſſet; qviqve furentis multitudinis impetus, qvæqve vis eſſet, maturè cogitaſſet: non, ut cum

ſervis

servis agi solet, ita cum civibus agi passus esset: necti liberos homines vetuisset: usuras hoc est, inopiæ causam minuisset: ipsam autem inopiam publica benignitate sublevasset. Qvæ qvia non fecit, idcirco illa, qvæ dixi, consecuta sunt, ex desperatione secessio, ex secessione tribunatus, ex tribunatu ordinum contentio, ex contentione libertatis interitus. Primis temporibus omnia potuit senatus; mediis multa senatus, multa populus; extremis omnia populus. Itaqve & primis temporibus, & mediis florentissima Respubl. fuit, extremis facilè concidit. Nullum enim jus, nullam potestatem à senatu tribunorum temeritas non abstulit. Ærarii dominus per multa secula senatus fuerat. Antiqva tamen jura tribunus pl. P. Clodius neglexit, lege lata, qva Pisoni & Gabinio Coss. simul cum provinciis pecuniam qvantam voluit, de publico dedit. Senatus lege Sempronia consulares provincias proconsulibus decernebat. Decretas tamen idem Clodius abstulit, Vatinii scilicet tribuni pl. improbitatem imitatus: qvi anno proximo C. Cæsari Galliam Cisalpinam cum Illyrico, invito senatu, sua lege dederat. Legati etiam ex auctoritate senatus diligebantur. Vatinius immutavit, & ipse sibi sua lege legationem detulit. Ipsa comitia qvodammodo senatus in potestate fuerant; qvia magistratum non gerebat is, qvi ceperat, nisi patres auctores essent. Hoc qvoqve amissum, nec fieri jam solere, Cicero significat in oratione pro Plancio. Triumphum à senatu petere

imperatores è provincia redeuntes diu consveverant. Inventus est, qvi cum senatus triumphum negasset, ad populum confugerit, & populo jubente, triumphârit. Qvî poterat ea Respubl. consistere, & ad interitum non ruere, in qva, qvod senatus improbabat, populus jubebat; qvod decernebat senatus, infirmabat populus? jus enim intercedendi tribunipl. habebant: qvo jure, ne senatûs consulta fierent, impediebant. At, impedire jussa populi, si senatus vellet, non erat, ut tutò posset. Ilicò enim, incitantibus tribunis, erumpebat seditio, ilicò vis, ilico cædes. Cujus periculi metu sæpè senatus iniqvissima tulit. Nam ut omittam alia, qvæ sunt hujus generis sexcenta, regna ipsa sine senatus consulto barbaris hominibus ex tribunorumpl. libidine esse donata, scriptum est. Qvæ licentia cum retineri non posset, eò progressa demum est, ut omnia perdiderit. Nec dissimilis erit eventus, qvacunqve in civitate pares cum senatu vires populus habebit: non qvod, ubi ad æqvalitatem populus pervenit: diuturnum esse non patitur. Qvare, cum ex duorum ordinum æqvalitate statim oriatur inæqvalitas: æqvalitati pernicioſæ tutam inæqvalitatem antepono: & eum ordinem præesse rebus malo, qvi potestate minus abutitur, qvàm eum, cujus potestatem summa statim licentia, summa temeritas consequitur.

MARIO

MARIO NIZOLIO PARMAM.

EPIST. III.

Respondet Nizolio, à qvo Parmam invitatus fuerat, eóq; se dicit venturum ad salutandum veterem suum patronum Alex: Farnesium.

Form: Significandi, qvòd epist. nobis fuerit grata. Epistola tua mi Nizoli, &c. (A)

Laus Nizolii ex cujus fonte se eloqventiam suam hausisse scribit. (B)

(A) EPistola tua, mi Nizoli, ut amici hominis, vehementer amandi summa me voluptate affecit, ac meam vehementer incendit cupiditatem Parmam adeundi: non qvod urbs, aut urbis ornamenta, me moveant: (alii hæc mirantur, apud me vulgaria sunt) sed avio incredibiliter patronum veterem meum, meum dico? imò verò literarum ac studiosorum omnium, ipsumq; literis excellentem, Alexandrum Farnesium Cardinalem salutare: qvem cognovi Romæ, & colui puerum adolescens, eximia jam tum indole præditum, & earum laudum principiis, qvas deinde auctus ætate simul & judicio perfecit, magna omnium expectatione florentem. Qvo qvidem tempore vehementer urbs ipsa excitavit me, atq; acuit in studio liberalium disciplinarum, adspectu ipso antiqvitatis, & multiplici ac varia hominum eruditorum scientia: sed, ut ingenuè vereq; fatear, propriè me expolivit

aula Farneſii moribus, ac literis; cùm viverem conjunctiſſimè ac familiariſſimè cum duobus præſtantiſſimis viris, Marcello Cervino, & Bernhardino Mafæio: qvorum alterum Pontif. Max. alterum Cardinalem, utrumq; immortalitate digniſſimum adverſa bonis artibus iniqva mors eripuit. Qvare, qvod me Parmam vocas, & multis verbis in vitas amantiſſimè, non me literæ tuæ ſopitum excitarunt, ſed currentem potius, ut ajunt, incitarunt. Qvod utinam cum voluntate cætera congruerent: jam jamq; vobiſcum eſſem. Sed vides anni tempus: vides itinerum difficultatem: ſcis, qvàm imbecillo ſim corpore, qvam tenui, & ad incommoda, injuriasq; cœli perferendas parum apto. Timeo etiam à militibus; à qvibus otium non eſt: excurrere enim dicuntur, & prædas facere. Non igitur veniam, cum à vobis unius diei vix abſim intervallo? veniam opinor; qvæq; adverſantur, & impediunt, contemnam omnia, volui omninò meis oculis, Farneſio videndo, ſatisfacere volo hanc à me ipſo gratiam inire, & ſalutationis officio expetito ſanè, ac debito, perfungi. Te verò, optime ac doctiſſime Mari, cujus conſvetudine & ſermone careo multis adhinc annis, qvem mihi tamen ex animo nunqvam eripuit, neqve tempus, neq; longinqvitas, qvo ſtudio complectar? qvantam hauriam, cum præſens præſentem alloqvar, voluptatem? dilexi eqvidem, à qvo primum die te cognovi, tuos mores, tuam naturæ comitatem, ac ſvavitatem: doctrinam verò, ingenium, induſtriam ſuſpexi ſemper, extuliq; laudibus ad cœlum: nec injuria. Nam ſi Romanæ

lin-

lingvæ ſtudium colere & illuſtrare, laus eſt: qvis hoc te uno aut curavit ſtudioſius ætate noſtra aut cumulatiùs præſtitit? ego ipſe, qvem tu eſſe aliqvid vis in hac Latinè ſcribendi facultate; in qvo vereor ne te fallat amor: nam judicium in dubium vocare non debeo: ſed, ſi qvid ſum, magna ex parte de tuo fonte fluxi. (B) Theſauros enim Ciceronis omnes, in illo præclaro tuarum Obſervationum libro congeſtos, reperi; & uſus ſum facilè: qvos colligere diſperſos, immenſi laboris fuiſſet, ac temporis. Laudas igitur beneficium tuum, cum me laudas, & qvodammodo præmia capis meritorum tuorum. De loco in oratione pro Sexto, diſputas eruditè: nec à judicio tuo mea diſcrepat opinio, qviddam tamen ſupereſt, qvod me leviter pungat. Qva de re cum erimus inter nos collocuti; vel ego tuam ſententiam, ut veram, vel tu meam ſeqveris gratiæ ſaltem cauſa. Vale, & Farneſio Cardinali, ſimulq; Antonio Mirandulæ, Epiſcopo, uni omnium doctiſſimo, atq; humaniſſimo, meis verbis ſalutem plurimam dicito. Aſulæ.

SILVIO ANTONIANO, FERRARIAM.

EPIST. IV.

1. Excuſat ſe cur non ſoleat literas elaborare accuratè; imò literas non eſſe accuratè ſcribendas oſtendit.

2. Reſpondet laudib. amici, nec ſe eas cognoſcere dicit. (A)

3. Qve-

3. Quæritur de corporis viribus collapsis, sed ingenium tamen non esse debilitatum ait. Jaceo enim nunc &c. (B)

ACutè admodum, mi Silvi, nec minus amanter scribis. Ego autem in amore facilè possum tibi respondere: planeqve respondeo: ingenii signa, prædico tibi, ne prorsus ulla meis in literis expectato. Non soleo ferè studiosiùs epistolas elaborare: primùm, qvia, si qvid scribitur ad familiares, planè familialiter agendum puto: odi illa nimis ambitiosa, constructa verbis, & sententiis exqvisitis: deinde, qvia ne si velim qvidem in epistolis agere accuratius, relinqvitur ut possim. Urgeor qvotidianis amicorum salutationibus, negotiis, & rei domesticæ cura penè opprimor: oculorum verò valetudine sic interdum vexor, ut nullam partem capiam qvietis. Qvale malè merearis de amico tuo, si velis ei, tàm valdè occupato, tàm graviter affecto, diligentiæ onus imponere. Imitetur epistola sermonem, excurrat liberè nullis adstricta legibus, & svavem qvandam, perfecta non indignam amicitia, negligentiam præ se ferat. Alioqvi officium scribendi, sæpè inter absentes necessarium, gratum qvidem semper, injucundum & grave nimis, accurata reddet industria. (A) Qvod me ornas laudibus; non efficis, ut ipse mihi placeam, aut assumam plus qvàm soleo: id assеqveris, ut me tibi devincias magis, cum ex amore fluere ista video, nimis in me honorifica, præclara, singularia: qvæ optavi eqvidem semper, adeptum me nunqvam putavi. Sed videlicet, affingere veritati, vobis poë-

tis

tis religio non est: idq; facitis libenter; ne, consvetudine intermissa qvodam modo vestra juraminuantur. Ne tamen, si poëticè scribis, artificium tuum: sin, ut scribis, ita sentis, error etiam delectat. Hæc enim me tibi commendat opinio, & amorem augeat necesse est: fortis etiam ut spero, fructum pariet. Nam meis laudibus, tuo commoti testimonio, cum te excellere ingenio, florere magnorum principum gratia constet, non pauci fortasse assentientur. Qvod utinam, id qvod in meis consiliis erat summum, Ferrariæ mihi vivere per valetudinem licuisset. Næ ego te, singulari virtute adolescentem, ita meis studiis, & officiis essem complexus, ut nemini prorsus tuorum familiarium, ne Riccio qvidem ipsi, apud qvam filii locum obtines, in te amando concederem. Qvid, inqvies, si te, depulso morbo confirmares? Utinam id aliqvando eveniat: sed id qvidem sperare jam vix audeo. (B) Jaceo enim nunc, & langveo miserrimè: nec mihi cœli mutatio profuit, nec novis remediis locus est; qvæ jam omnia frustra consumpsi: uno tamen bono mea mala compensantur, qvod, etsi vires corporis magna ex parte, ingenium tamen, qvalecunq; est, vis morbi minimè debilitavit, aut fregit. Itaq; singulis noctibus aliqvid scribo, aut legenti puero aures præbeo. Sic assequar fortasse, ut, qvi me non vident, carentem publico, & communi luce, vivere tamen intelligant, atqve ita vivere, ne qvando cum aliis plane totus extinguar. Tu fruere, optime Silvi, ista valetudine, & isto otio: cùm illa tibi naturæ munere satis firma contigerit, hoc habeas

beas tui Principis liberalitate uberrimum. Vale. Venetiis. 1558.

BARTHOLOMÆO RICCIO, FERRARIAM.

EPIST. V.

Respondet Riccio, à quo jussu Cardinalis Estensis Ferrariam fuerat vocatus; quam conditionem se accepturum quidem dicit, sed hoc tempore posse negat propter 3. causas: videlicet 1. propter frigus. 2. propter lites affinium. 3. propter Librum de Legibus qui sit sub prælo.

Formul. Approbare id quod amicus scripsit. Item. Vera narras &c. (A)

Form. causas recensere. Vides jam duas &c. (C)
Literæ sacræ jubent nos bona opera exercere. (B)

(A) VEra narras, optime Ricci, atque ita narras, ut in magna tuarum literarum prudentia, facilè tamen amor interluceat. Mihi ut scribis, conditiones hoc biennio delatæ sunt multæ, omnes cum emolumento, nulla sine dignitate. Fecit tamen sive valetudo mea, sive voluntas, seu fati potius, quæ in rebus humanis dominatur, occulta quædam vis, ut omnes rejecerim. Hanc postremam, delatam à summo Cardinali, Hippolyto Estensi, unam avidè sum complexus, unam omnibus antepositi: nec est in meis consiliis quidquam antiquius, quàm, ut in illius aula, eximii Principis, ac viri præstantissimi, consenescam. Itaque, quod hor-

hortaris, ut ad vos qvam primum me conferam; non efficis, ut cupiam, qvi cupiditate jam ardeam, dolorem potius auges, cùm intelligam, qvod maximè volo id me conſeqvi, hoc qvidem tempore, minimè poſſe. Nam: ut omittam, qvod hæc me frigoris acerrima vis, & intemperies cœli ſemel aut iterum cubiculo egreſſum peſſimè accepit, & in eadem clauſtra, in easdem, ubi multis jam menſibus jacui, tenebras retruſit: præterea pietas me retinet. Fratres habet uxor mea duos: qvos ego ambos unicè diligo: contraqve ipſi mihi ſingularem non modò benevolentiam, verùm etiam obſervantiam præſtant. Probi ſunt adoleſcentes, ingenio, modeſtia, virtute etiam ornati; una re minus laudandi, qvod inter ipſos parum convenit. Orta eſt inter eos poſt obitum patris de hæreditate diſſenſio; inde lis, inde odium. Qvod niſi ego me interponerem; niſi utrumq; prenſarem rogaremqve per parentis manes, per ſolitudinem matris, per exiſtimationem familiæ: conflictarentur aſſiduè turpibus judiciis, gravi jactura famæ, magno rei familiaris detrimento. Hoc ego dum verſor in negotio; dum in eo ſtudium operamq; pono, ut uxoris meæ fratribus conſulam: putem mihi eſſe verendum, ne qvis me, ſana præditus mente, reprehendat? non puto. Non igitur hoc, te judice, pertimeſcam. Hem, Ricci, qvi ſacris in literis non ambitione, ut multi, ſed ita verſatus es, ut ſcientiam, è libris petitam, vita exprimeres; qvæ ſunt illa præclara, qvæ nos ille bonarum actionum magiſter, optimus edocuit? non hæc ſunt, egentibus ſubvenire,

nire, errantes in viam, dissidentes ad concordiam revocare? ama igitur me de hoc officio. Non postulo, ut laudes. Jam enim didici, vel ætate doctus vel morbo admonitus, (B) rectè factorum fructum à DEO potius, qvàm ab hominum judiciis, expectare, omnemq; laudem non in honore verborum, sed in ipsa re atq; in una virtute constituere. (C) Vides jam duas esse commorationis meæ causas, utramqve satis gravem. Accedit tertia, ne ipsa qvidem levis, ut imprimam librum meum de legibus Romanis: qvem poscentibus multis debere jam diutius vix possum. Eoq; magis in hanc voluntatem incubui, qvòd inscriptus emittetur Hippolyto Cardinali. Tu, mihi Ricci, fac tibi ita persvadeas amabiliorem mihi Ferrariam fore tua causa. Tuis enim sermonibus, tua humanitate, tuo lepore frui, interruptamq; multorum annorum consvetudinem licebit aliqvando resarcire. Qvod ut sit maximè diuturnum, opto vehementer, & ut tu amantissimè auguraris, etiam spero, Vale. Venetiis. 1556.

ANTONIO AUGUSTINO, ROMAM.

EPIST. VI.

Hortatur Anton. Augustinum, ut in Festo emendando pergat; qvemadmodum in Varrone fecerit.

Laus Ant. Augustini ab ingenio, judicio, doctrina, labore.

Acce-

ACcepi tuum Varronem, missum ab Octavio nostro, delatum à Lævino. Qvid qværis? te dignus est. Qvòd si operam eandem posueris in Festo; plurimum tibi Romanæ literæ debebunt. Aggredere. Qvid enim tibi non succedat? qvi (ut omittam illa, qvæ pleno jam theatro spectata sunt, ingenium, judicium, doctrinam) qvantus qvantus es, totus labor, totus industria es. Ac meherculè non solum communi nomine, sed proprias etiam tibi ego agam, atqve habebò gratias. Nam, qvem in eo libro emendando laborem suscipere cogitaveram, qvem fortassè, & aliis pressus oneribus, & natura, ac valetudine imbecillus, non ferrem, eo me levabis. Vale. Venetiis. Egregio juris consulto, Pyrrho Tarro, veteri mihi necessitudine conjuncto, salutem plurimam. 1554.

EIDEM ROMAM.

EPIST. VII.

Rogat Anton. Augustinum, ut lapides aut nummos, si qvos habeat, in qvibus mentio fiat legum Rom. secum communicet.

Form. Facere mentionem literarum jam antè scriptarum. Ego verò &c.

EGo verò & scripsi jam, nisi me fallit memoria, satis apertè: & nunc, qvando tibi ita placet, iterabo eadem libentissimè. Lapides aut nummos, si qvos habes, in qvibus mentio fiat legum Romanarum; eos si nobis impertieris, habebo gratias, tuumqve etiam beneficium ipsa fortas-

sè, me narrante, posteritas audiet. Tabulas video mihi legisse Romæ nescio qvas: sed neqve tum descripsi; qvi magni non facerem ea, qvæ nunc qvidem tanti puto, nihil ut potius mihi sit: Neqve verò, qvo in loco, aut apud qvem eas legerim, satis nunc in memoriam revocare possum. Qvare ad te confugio, universæ arcam antiqvitatis, arcam tamen ejusmodi, qvæ pateat amicis tuis, hoc est, bonis viris. Qvo me in numero qvia esse vis, triumpho. Alexander autem tuus facilè nostrum artificio vincet. Tu enim excellis: at nos qvid sumus? aliqvid fortassè si cum aliis, nihil certè, si tecum Augustine comparemur. Plura nec possum, qvod eram occupatus: qvanqvam hoc qvidem qvotidianum est: nec debeo hac in re, qvam tibi non solùm amicitia nostra, verum etiam literæ ipsæ, qvibus tibi scio nihil esse carius, etiam me tacente, magnopere commendant. Vale, & Silvestrum Aldobrantium, virum excellentem, meum perveterem amicum, nisi grave est, saluta meis verbis plurimum. Venetiis.

EIDEM ROMAM.

EPIST. VIII.

Rogat eundem Anton. Augustinum, ut secum communicet, qvæ ad Leges Rom. pertinent, vel è libris, vel è lapidibus & nummis vett. collecta.

Laus Ant. Augustini ab antiqvitatis scientia. (A)

NIsi qvis casus meis consiliis occurrat, editionem cogitabam ejus libri, qvem de legibus Roma-

Romanis qvinqvennio ante à me conscriptum, debere diutius multis flagitantibus non possum. Ad hunc librum qvantum ex antiqvis lapidibus accedere possit ornamenti, præclarè intelligo. Porrò, tu is es, qvi hoc in usu, atqve hoc in genere scientiæ, tùm qvia Romæ vivis, tùm qvod in studiis totus hæres, penè solus excellas. Qvanqvam hoc in tuis laudibus minimum est: alia sunt in te, qvæ ego non desino prædicare, haud sanè paulo præstantiora: qvæ non est hîc commemorandi locus, ac ne significandi qvidem; ne tu me nimium esse blandum, & qvasi tuæ diffidentem humanitati, ad hoc artificium confugisse existimes. Peto igitur à te, atqve etiam rogo, (qvanqvam hoc verbum amicitia nostra, tuaq; maximè bonitas respuere videtur) si qvid habes, qvod ad leges Romanas pertineat, è libris excerptum, & veterum lapidum, aut etiam nummorum observatione collectum, id mihi ut impertias. Benè mereberis de literis, vel potius benè de te meritis gratiam referes: qvandoqvidem earum ope, ac merito tantus es: benè etiam de me ipso; cujus laudi, pro nostra necessitudine, meoq; erga te studio singulari, debes velle consulere: qvanqvam hoc certè non admodum specto; ambitionem enim pænè habeo in extremis: prima mihi est omniumqve rerum antiqvissima publica, studiosorum hominum utilitas: qvo mei labores intenduntur, mea, qvæcunq; est, dirigitur industria. Excute, si me amas, atqve evolve funditus illa tua scrinia, in qvibus conditi rerum antiqvarum thesauri asservantur. (A) Nemo enim, si possessio li-

terarum divitiæ sunt; qvod homines eleganti judicio sanaq; præditi mente opinantur; nemo, inqvam, optime Augustine, te ditior est. Nec verò de tuis copiis multum imminues, si, qvod futurum speramus, inopiæ nostræ subveneris. Qvi si etiam nobiscum plurima communicares; multò id tamen, qvod dares, minus esset, qvàm qvantum tibi, libris assiduè tractandis, qvotidiè qværitur. Verùm modestè tecum agimus; petimus à te minima de maximis; itaq; facilè impetrabimus. Vale. Venetiis.

EIDEM, LEGATO PONTIFICIO. VIENNAM.

EPIST. IX.

Gratulatur Anton. Augustino de legatione ipsi delata, veritus ne bonæ literæ, ipsa ad aliud vitæ genus translato, jacturam faciant.

2. Hortatur illum ad edendum Festum, & alia, qvæ jam chartis explicavit.

QVia mihi honore tuo nihil est antiqvius, propterea non mediocrem cepi lætitiam: tibiqve sum absenti gratulatus, qvo primum tempore delegatione tibi delata ab Romanorum Regem, tum ex amicorum literis, tum ex multorum sermonibus cognovi. Illud, ut verè dicam, molestiæ nonnihil adsperšit, qvod veritus sum, ne nostræ literæ, qvibus, in urbe dum vivis, tua studia splendorem, & utilitatem addunt, te discedente, & in Austriam usq; ad

ad longè diversum vitæ genus translato, jacturæ plurimum facerent. Quod si, secus esse, significaveris: (jam enim versaris in ipsa re, quæq; tua futura sit in universo ferè munere occupatio, usus te monere, & erudire facilè potest) cumulabis mea gaudia, & habebo gratiam iis, qvibus honestare tuam virtutem his honoris insignibus, nullo nostro, hoc est, artium, doctrinarumq; liberalium, detrimento, curæ fuit. Ac primùm illud, pro meo incredibili erga antiqvitatem studio, etiam atqve etiam à te petam, vel potius, qvando pollicitus jam es, à te exigam, ut Festum Pompejum tua emendatione perpolias, atq; illustres; aut si habes ita emendatum, ut tibi, acerrimi ac severissimi judicii viro, satisfaciat, edendum omninò cures, neq; deberi nobis eam utilitatem diutius patiare, qvam cum in illo verè aureo libro dispersam videamus, colligere tamen vix possumus, vel planè nullo modo possumus, locorum, ut scis, penè innumerabilium difficili scientia impediti. Benè collocabitur industria tua: & hunc sibi comitem adjungi, ne solus eat per ora virûm, Varro tuus æqvo animo patietur, Rogandus non es in tua laude, communi præsertim studiosorum commodo conjuncta: tu, si de illa non laboras, hoc saltem commovere te debeat. Qvod utinam aut mihi cum hac mente pars aliqva doctrinæ tuæ, aut tibi mea mens, & plane incredibilis ad communicandam virtutem animi propensio, cum ista tam exqvisita, tamqve multiplici omnium pænè literarum scientia contigisset. Næ ego, qvod ad me attinet, multa non finerem igno-

rari, qvæ scire præclarum est, qvæqve in tenebris, nisi tu eruas, perpetuò jacebunt. Nec tamen persvadere mihi possum, te velle nobis tam iniqvum esse, ut tantam doctrinam, si qvid tibi accidat humanitus (homines enim sumus: nec ego mihi, nec tu tibi de vitæ diuturnitate præstare qvidqvam possumus) exstingui tecum velis. Qvid ea, qvæ chartis jam, & voluminibus explicasti? cur diutius premis, optime Augustine? cur ex ingenii tui fontibus expleri nostram sitim non vis? sed, opinor, aliqvando facies: & faveo libenter meæ spei, paulò minus, qvam tuæ gloriæ; cui scio me optime consulere, cum hæc ad te scribo. De me, si qværis; vexamur oculorum anniversario morbo: nec tamen labori parcimus: scribimus aliqvid qvotidiè, aut legenti puero operam damus: aliqvo fortasse valetudinis damno: sed nihil est tanti, ut à literarum svavissima consvetudine sejungar. Onuphrius Panvinius, ille antiqvitatis heluo, spectatæ juvenis industriæ, & ingenio, ut probitate, præstans, hîc est, eritq; ut video, in aliqvot menses. Imprimit suos Fastos cum commentariis; & interim adornat alia. Sæpè litigat obscuris de rebus cum Sigonio nostro. Sed utriusq; bonitas, mutuus amor excellens, ad cognoscendam veritatem judicium facit, ut inter eos facilè conveniat. Sigonium de facie non nosti: ejus tamen scripta, non dubito, qvin legeris. Ea doctrinam, & ingenium declarant: humanitatis, & studii erga te tuiq; similes testis ego sum: qvem debes ipsum. Suo merito, præterea tuæ præconem eruditionis, diligere. Vale, Venetiis.

El-

EIDEM ROMAM.

EPISTOLA X.

Gratulatur Ant. Augustino de reditu, eumq; ad Festum cum suis correctionibus divulgandum, & ad jus Latii illustrandum hortatur.

UBI te ad urbem rediisse cognovi, vehementer sanè, pro meo erga bonas literas perpetuo ac singulari studio, sum lætatus. Te enim absente, silere mihi prorsus Romanæ musæ videbantur, Scripturam ad te superioribus diebus; easq; literas ad aulam novi Imperatoris miseram; qvas acceperis, nec nè cupio scire. Appellabam te, qvod jam promiseras, de Festo cum tuis correctionibus divulgando. De qvo nunc ego magis urgeo, qvia nisi fallor, spatii plus habebit. Aggressus ne sis, & qvousq; opus perduxeris, ac de perpolitione qvid speres. si ad me scripseris, gratissimum facies. Simul illud, si qvid qvod ad jus Latii pertineat, aut observasti scriptum à veteribus, aut ingenio tuo, qvo vales plurimum, consecutus es. Nam Latinos reliqvis omnibus sociis antecellere satis constat: qvo autem jure, qvibus honoribus & commodis, adhuc qværo. Et ut nonnulli ex Livio alii ex jure civili, qvæ rem aperire videantur, in medium afferant, nihil tamen intelligo esse ita firmum, ut in eo possit cogitatio consistere. Qvod tu fortasse præstabis. Vale. Venetiis.

BENEDICTO RHAMBERTO, RUSTICANTI.

EPIST. XI.

Hortatur Rhambertum, ut habeat rationem valetudinis, cui conservandæ qvædam præcepta dat, inter qvæ illud, ut hilariter & jucundè vivat.

SVadebam, ut exires; qvòd ægrotans, qvantum esset in cœli mutatione, cognovissem: nunc idem angor, te profecto: neqve me congressus, neqve sermo cujusqvam juvat: solus, ut in litore, oberro. Qvi etiam, etsi scio qvàm sit prudens, & in omni re moderatus; tamen, ut est amor sollicitus, offensiones in te omnes timeo, commune omnium est, ut rure, veluti qvandam vivendi licentiam nacti, liberius agamus. Amabo te, mi Rhamberte, noli istam consvetudinem imitari; serva tuam veterem continentiam. Et qvoniam mihi, ut sæpè tecum locutus sum, adversus non dissimilem destillationem præsens auxilium fuit exercitatio: te qvoq; ipsum, nisi fallor, hoc uno maximè senties, allevari; si modò hoc tenebis, ut meridianum in solem ne te committas; multò verò minus in ventum, qvi sit inclementior. Nam sunt auræ qvædam leves, qvarum spiritus non hominum generi noxius, sed etiam vitalis: & ego, has sæpè ultrò secutus, sensi languentes in me vires earum qvasi flabris excitari. Sed, ô Rhamberte, audi me hoc verissimè monentem. Nihil agis nisi jucunde vivas. Si vis te tibi restituere; des te ad hilaritatem oportet, & ex animo tuo dispellas,

spellas, si qva tristium cogitationum residet nubecula. Hanc esse præstantissimam medicinam, vel potius unam esse medicinam, me qvidem, superioribus temporibus eodem morbo laborantem; docuit eventus. Qvare te rogo, ut pro eo, qvanti ipse tibi es, qvantiq; etiam nos apud te sumus, qvorum salus in tua salute posita est; des operam, ut veterem morbum nova ratione cures, & aliqvando istam turbam medicorum malam in crucem jubeas abire; qvi te pharmacis non solum diversis, sed etiam contrariis integrum jam annum lacerant, dum latentem in obscuro veritatem tuo periculo qværunt. Vale. Venetiis. 1564. mense Sept.

MARIO CORRADO, BRUNDUSIUM.

EPIST. XII.

Gratias agit Mario Corrado de scriptis ad se literis elegantibus, & laudibus in se collatis; doletq; ei virtutem in extremo Italiæ angulo latere.

Form. agendi gratias. Debeo tibi tot jam nominibus &c.

Form. Deferre alicui amorem. Ibid. Itaqve cum te nunqvam viderim &c.

DEbeo tibi, mi Corrade, tot jam nominibus, prorsus ut non videam, qvi solvendo esse possim. Scripsisti ad me sæpè: tantumne? sunt alia: humanissime, elegantissimè: laudes in me contulisti eas, qvas si agnoscam, ipse me nimium videar

amare. Tibi tamen habeo gratias de ista tam liberali, tamq; erga me prolixa voluntate; eamqve si gratus, i, e, si vir bonus esse volo, ut certè volo, puto mihi esse inter summa beneficia collocandam. (A) Itaq; cum te nunqvam viderim, fero tamen in oculis: & qvanqvam habebas, qvi te talem diligant; qvos necesse est esse qvamplurimos; ego tamen primas in amore partes appeto, secundis non libenter acqviesco. Non soleo blandus esse nec auribus dare, qvod negari possit veritati. Qvare velim mihi credas affirmanti; neminem me tibi Latinâ in oratione anteponere, conferre admodum paucos. Hoc ego ita judico: nec tu meum judicium in dubium revocare debes: cum mihi jam in epistolis tuis tantum in hoc genere tribueris. Unum doleo, tuam istam latere virtutem in extremo Italiæ angulo, neq; in hac luce versari, ubi fructum caperes earum laudum, qvæ tibi debentur, judicio, ac testimonio præstantium virorum: Qvòd si te cohortando possem adducere: ut de migratione cogitares; aggrederer, & in hanc rationem totus incumberem: verùm neq; mihi de statu rerum tuarum constat; &, si cohortatione moveri potes, ipsa te res, neqvaqvam tibi, ut opinor, obscura, vel me tacente debet incitare. Qvod scire vis de meis antiqvitatibus, hæc sunt. Liber nunc imprimitur de legibus: qvem cùm erit absolutus, curabo ad te perferendum. Edidi jam commentarium in orationem pro Sexio, & proximis diebus in epistolas ad Brutum, & ad Qvintum fratrem: qvem tibi nunc utrumq; mitto Majora vellem, & fortasse possem; verùm infirmitas

tas corporis facit, ut labore debiliter; lippitudo autem, ne legere diutius liceat, aut scribere. Magnam etiam mihi temporis partem eripiunt salutationes amicorum, magnam domestica negotia: sexcenta præterea, qva me à studiis avellunt. Sed feramus: humana sunt, nec præcipuè nostra, sed communia cum multis. Tu me, velim, ames, & si par pari referre vis, amore non vulgari, Vale. Venetiis.

FABIO STELLÆ, BRIXIAM.

EPISTOLA XIII.

Respondet Fabio Stellæ, à cujus patre invitatus fuit Brixiam, qvò etiam se venturum dicit, simul ac per valetudinem timet. NB. Videtur autem lecticam postulare, cùm equo (nisi forte Gradario) vel rheda uti nequeat.

Form. Literæ tuæ mihi fuerunt gratæ: Eqvidem cum natura sum, tum valetudine &c. (C)

Epistolarum elegantiam commendare. Epistolam miseris tam elegantem, &c. (A)

Deferre alicui amorem. Ferreus sim &c. (B)

Significare nos amico gratificaturos, nisi qvid nos impediverit. Qvod utinam adire ad vos (D)

CUm tu ad me, Fabi, qvem de facie non dum, adductus humanitate, (A) epistolam miseris tàm elegantem, distinctam notis non amoris minus, qvàm ingenii: (B) ferreus sim, nisi te, patremq; tuum sic amem, ut amare solemus ea, qvæ nobis in vita prima

prima sunt. Sed qvid, si me ipsum etiam vestra causa plus amem? qvid enim? cum ego me à parente tuo, magni nominis viro, summis virtutibus ornato, diligi videam, à te verò etiam laudari, excellentis ingenii adolescente optimè ad virtutem animato; non ipse mihi pluris sim? non gaudeam haberi à vobis, qvalis esse semper volui, &, ut essem, laboravi. Sed voluntati exitum respondisse nunqvam duxi? (C) Eqvidem, cum natura sum, tum valetudine & morbo subtristis; nec ad hilaritatem facilè traducor; tuæ tamen literæ, patrisqve tui vix credas, qvid animo meo jucunditatis instillarint, qva voluptate, qva lætitia perfuderint, Itaq; officii vestri memoria sustentor: eaq; sic fruor, ut beneficiis omnibus anteponam. (D) Qvod utinam adire ad vos, ac studio vestro satisfacere liceret. Nihil esset optatius: & esset iter Pastorio comite jucundius. Verùm nescio qvo fato contigit, ut, qvo primum huc die perveni, cum tota pænè familia cœperim ægrotare, uxor qvidem gravissimè: nec dum valet; ego satis leviter, sic tamen, ut jaceam. Corpori enim imbecillo qvævis commoditas vix ferenda. Qvamobrem, affectus morbo, à viribus infirmus, eqvo me non auderem committere, vel placidissimè incedenti. Lecticam, inqvis, mittemus. Hac eqvidem veherer commodius: sed, mi Fabi, hoc genere deliciarum mei ordinis homines uti non solent: ad fortunatos pertinet. Itaq; differam per aliqvot dies, qvoad vires colligam, id est, qvoad eqvo, aut etiam rheda liceat uti. Eqvos qvidem hîc, qvales infirmitas nostri corporis requirit,

qviret, id est, qvi alterno gressu cura molliter explicent; qvos Gradarios antiqvitas appellabat, facilè possum invenire: sed insolentiam hujus cœli non nihil metuo: rheda autem, vereor, ne succussu lædat. Omnia tamen, ut video, moderabitur humanitas vestra. Vale, & patri tuo, præstanti viro, multam salutem meis verbis. Asulæ.

EIDEM BRIXIAM.

EPIST. XIV.

Laudat Stellam adolescentem ab humanitate, pudore, ingenio, (constantia in juventute) perpetuitate laudis in adolescente rara, contemptu earum voluptatum, qvibus adolescentes delectantur, studio literarum & imprimis sacrarum: pro qvibus dotibus ut DEO, à qvo hæc omnia profecta sint, gratias agat, pietatem colat, & hortationem hanc æqvi boniq; consulat, monet.

NB Locus Com. de Lubricitate adolescentiæ.

NB. nihil fieri insciente aut nolente Deo.

AGnosco tuis in literis & patris tui, summi viri, singularem humanitatem, & Pastorii nostri, hominis integerrimi, nec eloqventia minus, qvàm doctrina, præstantis, egregiam disciplinam. Et cùm ego te propter illos diligam: (est enim, ut scis, uterqve mei, & ego item utriusqve amantissimus) tum verò ad meam in illos benevolentiam, qvæ summa est, non nihil tamen tua causa videtur accedere. Patet, atqve elucet in epistola tua pudor ille, ingenio dignus adolescente, qvi maximè commen-

mendat ætatem: patet etiam, qvo sit pudor amabilior, plusq; sibi gratiæ conciliat, ingenium. Qvæ perspexeram equidem in te ac laudaveram, qvo tempore diversatus Brixiæ sum in ædibus vestris, exceptusqve, & cultus à parentibus tuis omni genere officii: sed nihil præstantius, nihil admirabilius, qvàm laudis in adolescente perpetuitas. Primùm enim lubrica ipsa ætas est; nec reperitur facilè, qvi consistat: deinde tenduntur sæpè bonis, qvibus capiantur, insidiæ: & multa sunt ad depravandum parata, improbum consilia, æqvalium exempla, voluptatum illecebræ. Hæ sunt illæ Syrtes, qvibus incerto cursu navigantes absorbentur: hæc illa saxa, qvo salutis cum aperto discrimine impingitur. Nec verò, poetas cum & hæc, & hujus generis alia cecinerunt, simpliciter locutos velim existimes. Utuntur similitudine rerum, qvæ subjectæ sensibus sunt, ut animos erudiant, moribusqve nostris, ac famæ consulant. Itaqve sapientem appellarunt eum, qvi maris pericula, voragines, & scopulos, & dubiis agitata ventis loca visitasset, atqve illa perdendorum hominum avida monstra, virginum facie simulata, prædulciq; cantu blandientia, contempsisset. Qvæ sunt omnes, mihi crede, imagines humanæ vitæ: qva nullum est mare difficilius, & in qva, nisi rationis qvasi gubernaculo regamur, qvàm facilè fluctuemus, qvamqve multa, & qvàm gravia rei familiaris, existimationis, ac vitæ naufragia contingant, si te propter ætatem nondum usus docuit, disce à libris, vel disce à patente tuo spectatæ sapientiæ viro, qvi se ex hac tempesta-

pestate tanqvam in portum recepit sacrarum literarum; qvodq; habet à foro, qvod à publicis muneribus otii, totum id in theologia libentissimè consumit. Qvem tu imitaris, ut audio, si minus in studio doctrinæ, at in voluntate, in moribus, vitæqve instituto. Contemnere te ajunt, qvæ cæteris ad adolescentibus cum voluptate fiunt: abhorrere à lusu, venatione, cursu, aleâ: levia ducere hæc, inania, indecora, turpia: deditum esse literis, vel qvibus ad humanitatem informamur, vel qvibus ad excellentem disciplinarum cognitionem aditus aperitur: maximè verò solitum ea meditari, & curare diligenter, qvibus æternæ vitæ salus comparatur. Divina sunt hæc munera, mi Fabi, non à nobis profecta, aut elaborata, nec omnibus imperita. Tibi contigit, ut ita sentires, & ita velles: habe gratiam Deo, qvi te tantis in tenebris, atq; errroribus præcipuo qvodam lumine illustraverit. Aliis non idem contigit: mirari noli, neq; causam qvære. Abdita sunt, nec humanis comprehensibilia mentibus arcana, cœli. Stet illud modo, nihil usqvam fieri, nihil evenire aut insciente, aut nolente DEO: qvæq; ille vult, & qvæ permittit, ea neqvaqvam revocare ad nostrum judicium debemus, neq; rectè ne fiant, an secus, interpretari. Et omninò velim te, cùm de divinis rebus cogitas, minuere opinionem scientiæ, demittere animum, ac mentem, unamq; putare certissimam doctrinam, pietatem in Deum, aut benevolentiam, & studium erga illos, qvi nobis à Deo commendantur. Qvæ non dubito qvin sæpe ita cogites, ut credas; nec te ita puto credere, ut re ipsa

ipsa non præstes: cum te omnes ita vivere confirment, ut à tuis moribus procul ab sit arrogantia. Veruntamen, si tibi laudo id, quod amas, & quod amandum existimas, non à te gratiam ineo? non hæc tibi, licet parum necessaria, jucunda tamen commemoratio est? sequitur illud. Ipse mihi satisfacio. Nam, quæ laudatio videtur, eadem, si attendis, cohortandi etiam vim habet. Quo genere, pro mea in te benevolentia, magnopere delector. Atq; etiam in hujusmodi sermones ego soleo libenter ingredi; quia, si nihil aliud, ipse mihi fructum fero, dum ea tracto, quibus amore summi boni studioq; incendor. Te autem, cum hæc legis, lætari oportet vel tua causa, qui tuum intelligas judicium nostra sententia comprobari; vel mea, quem sentire tecum videas, & iisdem gradibus parare adscensum ad ea, quæ quanta sint, & eo conjicitur, quod ipsa tantum spes tranquillitatem parit animis nostris, eosq; non è malis modò, sed à malorum quoq; metu vindicat. Macte igitur ista voluntate, & isto sensu. Maturè vidisti quis esset rectus ad gloriam cursus. Sequere judicium tuum: nec tamen contemnes nos, si quando hortamur: & ipse nos vicissim, ubi langvemus, hortare, Sic erit mutua gratia, sic amabibus etiam magis inter nos, mutuo beneficio provocati. Vale. Venetiis 1558.

JOHANNI BAPTISTÆ PASTORIO, BRIXIAM.

EPIST. XV.

Gratias agit Pastorio de munere misso, eiq; amorem suum offert, & ut se vicissim deligat, præcatur.

Form. Facere mentionem vet. amoris. Ego verò te tua causa. &c.

EGo verò te, mi Pastori, tua causa dilexi semper. Habes enim, qvæ tibi amorem concilient, doctrinam & humanitatem. Munera, qvæ mittis, me tibi obstringunt magis, benevolentiam in te meam augere non possunt. Qvæ enim à virtute profecta sit, non his tanqvam adminiculis nititur, sed consistit ipsa per se, eoqve jam processit, ut ad summum perveniisse videatur. Præsta te mihi, obsecro, qvalem adhuc cognovi, amantem mei, & in amicitia constantem. Minus erit hoc omnium munerum præstantissimum. Qvod ego, qvi sim mei erga te animi ipse mihi conscius, qvasi debitum exspecto. Vale. Asulæ.

VINCENTIO STELLÆ, BRIXIAM.

EPIST. XVI.

Respondet Stellæ patri, à qvo Brixiam fuit vocatus eoq; se venturum dicit, simul ac lecticam & rhedam ab ipso nactus fuerit.

SUperioribus diebus, qvo magis incitabar cupiditate veniendi ad te, viſendæq; urbis, ut audio, pulcherrimæ, qvi eſſem literis & tuis, & filii tui, id eſt, utrisq; tuis, amantiſſimè invitatus; eo me revocabat magis pudor meus; neqve tam, qvid tua permitteret humanitas, qvàm qvatenus mihi per modeſtiam meam progredi liceret, cogitabam. Ac ſæpè mecum ſic: An tu ad hominem, qvem nunqvã allocutus? qvem ne vidiſti qvidem? adde: qvem virum, qvàm nobilem, qvàm gravem, qvàm diſtrictum magnis rebus? ego autem qvis? infirmus natura ſemper, nunc etiam valetudine impeditus, exqviſita qvadam ratione, & cura tuendus. Contendebam eqvidem cum animo meo: nec vici facilè; Sed vici tamen aliqvando, & decrevi omninò ad vos primo qvoq; tempore me conferre. Vereor enim, dum valetudinis commodum expecto, & ida go, ut, qvas morbus ademit, vires colligam, in hyemem ne incidam, id eſt, in imbres, & frigora: qvorum altero viæ corrumpuntur; alterum ſcis eſſe λεπτῶ χρωὶ πολεμιώτατον. Nam illud, in qvo tibi fortaſſe, vel domeſticis tuis, incommodare mea mollities, & paulò faſtidioſior in victu conſvetudo poteſt, id non ſpecto. Aut enim exiguum qviddam erit, & feretur facilè: aut, ſi magnum illuſtrabit benignitatem tuam. Statutum igitur de re: nec eſt, cur ſententiam mutem: videndum de ratione itineris: qvam tu ad meam voluntatem: meumq; conſilium, qvæ tua eſt humanitas, totam rejicis. Ego autem nihil puto commodius, nihil aptius ad virium infirmitatẽ ſuſtentandam, qvàm lecticula geſtari. Sed habet ſpe-

ſpecies illa, qvod ad Fabium tuum ſcripſeram, qvidam nimis honorificum: nec ego is ſum, qvi, qvod ſuperat fortunam meam, eo libenter utar. Verum ignoſcetur valetudini: qvam ſatis infirmam, atq; imbecillam, concuſſus & vexatio facilè frangerent. Rheda qvidem, qva mearum bene perita curationum ancilla cum filiola & puero vehatur, opus eſt hæc ſi habebo vel potius cum habebo; (vis enim me à tua liberalitate omnia expectare) dabo me ſtatim in viam, & ea qvidem ſpe, ut aliqvem è cœli mutatione fructum capiam, maximum qvidem ex tua humanitate, qvam cantari ab omnibus audio. Vale. Aſulæ.

EIDEM BRIXIAM.

EPIST. XVII.

Rogat Stellam, ut maturè mittat lectticam & rhedam: niſi enim id fiat, conſilium ad ipſum veniendi neceſſario abjiciendum ſcribit.

QVod veritus ſum, fieri video, ut imbribus madeſcat humus, & pulvis in lutum coacta vias impediat, ac turpi fœdet aſpectu, frigoris etiam acres morſus hoc triduo ſentire cœpimus. Qvæ cum ſint inter habentibus incommoda; tum verò, majora ut timeantur, hyemis propinqvitas facit: ut mihi vel maturè, nulla interpoſita mora, veniendum ad vos, vel totum conſilium neceſſariò abjiciendum intelligam. Febricula omninò tentamur qvotidiana; ſed, opinor, decedet, cum primum ex hoc me domeſtico mœrore ereptum ſtatuam in tuis ædi-

bus, id est, in aliqva, ut spero, jucunditate, atq; lætia. Injurias autem cœli, lectica circummuniti, possumus contemnere. Qvamobrem, qvod tuo commodo fiat, dabis negotium tuis, ut Saturni die, aut, qvi seqvitur proximo; vehicula perducant. Lecticario mandetur, atqve etiam aurigæ rhedam moderanti, ne qvid approperent, nisi me jubente; & omninò rationem itineris ad meam voluntatem accommodent. Hoc tu, scio, Stella vel me non scribente, mandasses. Nihil enim te præterit, ob eximiam prudentiam: nihil porrò non vis amicorum tuorum causa, ob humanitatem prudentiæ parem. Vale. Asulæ.

† †

EPIST. XVIII.

Svadet, ut librum qvam primùm edat.

Form. rogandi: Rogo etiam pro eo. (A)

EGO verò, comprimi à te mea causa librum tuum, minimè volo. Qvin, si ad me refers, ut edas qvamprimum, svadeo: (A) rogo etiam pro eo, qvantus est amor in me tuus; qvem non esse mediocrem, tuæ literæ significant. An ego ita sim bonis artibus infensus, ut industriæ tuæ impedimenta opponam, & excellentis ingenii fructus, cum benè maturi sint; condi potiùs, ac domesticos intra parietes asservari, qvàm in publicum afferri, & communicari cum omnibus velim? Illa de tuis hortis, & nostris fontibus, eleganter à te, nec sine sale prolata sunt. Verum agam tecum perliberaliter, atqve hanc partem libenter dissimulabo, tibiq;

biq; totam largiar. In reliqvis etiam habebo rationem amicitiæ noſtræ nuper inſtitutæ: majorem tamen fortaſſe veritatis. Tua ſcripta, proximè edita, doctrinam habent, & acuratam antiqvitatis obſervationem. Itaq; vigebunt omnibus, & laudabuntur. Qvod ſi qvid eſt, qvod deſiderari poſſit: primum id leve eſt; deinde, ut ſcis, non imminuit, ſed auget nævus in formoſo corpore pulchritudinem. Vale. Venetiis.

EIDEM. † †.

EPIST. XIX.

Amico, operam ſuam in emendo horologio offerenti, reſpondet, & mandat, definiat pretium, qvo ſibi horologium emi cupit.

Form. Accuſationi de intermiſſione literarum reſpondere: Noli officium &c.

NOLI officium literarum à me reqvirere: nunqvam ſcripſiſti, qvin reſcripſerim, qvod ſi contra, qvam res eſt, videtur; alieno vitio fit; à me qvidem prorſus abeſt culpa. De horologio qvod iterum jam ſcribis, vincit pudorem meum humanitas tua. Jam enim ſtatueram oneris tibi nihil imponere, publica explanandi juris cura occupato, qvotidie aliqvid ſcribenti, unde ad nos utilitas, ad te ipſum gloria permanet; negotium amico dederam: & ille curatorum promiſerat; nec tamen biennio fidem ſolvit. Qvare accipio libenter, qvod das. Tu mihi, qvod tuo commodo fiat, horologium Auguſtæ elaboratum: ego tibi, qvan-

tam scripseris, pecuniam statim curabo; qvale velim, jam antea significavi: factum eleganter, artificio non vulgari. Audieram, qvæ dicuntur egregia, minoris triginta scutatis emi non solere. Hoc qvidem esse nimium: nec rei familiaris ratio ferret; cui consulere, qvia copiosa non est videor debere. Porrò genus hoc ornamentorum ita soleo cupere, ut non insaniam; cupio autem valetudinis, non libidinis causa. Cum enim me satis tristem natura finxerit, accersenda extrinsecus jucunditas est, qvam à me ipso petere non possum; eoq; magis, qvod plurimus in cubiculo sum, affectus jam qvadriennio per totam hyemen oculorum morbo, molesto tamen potius, qvàm acerbo. Nolim igitur impensam esse supra decem scutatos, aut omnino qvindecim, eamq; ita fieri, si horologium probetur oculis eruditis: Itaqve vide, cui negotium mandes. Nam neqve omnes intelligunt; & aliis alia probantur. Ego formam & artificium, non materiam, cupio emere. De tuis Instit. egi diligenter; hortatus sum, lucri maximi spe proposita. Ubi ad pretium ventum est: Audire se negarunt. Itaqve tibi auctor sum, cum iis transsigas, qvo faciles tam habuisti, & in tuo merito satis, ut audio, liberales. Sturmium saluta meis verbis, eumqve communi literarum nomine excita ad scribendum. Utinam, qvantum valet, tantum velit. Optimè consuleretur studiis nostris, optime etiam ipsius gloriæ: qvam si vult esse amplissimam, habet unde consequatur. Vale. Venetiis.

† †

EPIST. XX.

Respondet amico, à quo adolescentes aliquot sibi fuerant commendati, & illis officia sua prolixè pollicetur.

WOlfgangum Werter, cùm aliqvot abhinc annis Patavii adolescens daret operam Bonamico, dilexi multis nominibus plurimum. Nam, ut omittam, qvod & in adspectu species qvædam index nobilitatis, & in sermone atqve in moribus probitas elucebat; incensus literarum studio colebat me, atqve observabat diligentissimè; sic ut in magna freqventia amicorum nemo tamen mihi esset illo carior, nemo jucundior. Tueor illum amorem, & qvoad vivam, tuebor, eiq; absenti memoriam, benevolentiamqve, qvam debeo, fratribus præsentibus officia, qvæ potero, accuratè præstabo. Hoc cum mea sponte facturus essem qvantum, optime †. Mihi accessisse voluntatis existimas, qvod eos tu, vir inter maximos summus, & in exercenda virtute semper occupatus, commendandos mihi tuis literis putasti? nam, si qvis est, qvi de tuo ingenio, de doctrina, imprimisq; de eloqventia benè & sentiat, & loqvatur: is ego sum; planeq; meos eò sensus libenter conferam, ut, qvi tibi cari sunt, eosdem ego qvoqve diligam. Qvare si vis, da mihi ornandos, atqve amandos, qvi ad nos veniunt, amicos tuos. Officiis eos, si potero; sin minus, studio certè, & humanitate complectar. Ac ne dubita futurum, ut, qvo tu sis apud me pon-

dere, cum intellexerint, gratias tibi, qvod eos tua commendatione sis prosecutus, diligenter agant. Audio te qviddam pangere in Rhetoricos Aristotelis libros: qvod qvale expecto; auguror futurum, præclarum scilicet, ac te dignum. Urge igitur; ut & communi utilitati, & tuæ gloriæ consulas. Vale.

EIDEM. ††.

EPIST. XXI.

2. Nunciat amico Venetiis pestem sine discrimine in omnes grassari, &

2. Amico de publico statu felici gratulatur.

3. Hortatur amicum, ut ad scribendum se conferat, & illa edat, qvæ familiaribus pollicitus sit, præsertim cum otio abundet. Idemqvæ se conari ait, sed impediri. 1. Valetudine adversa. 2. Salutationib. amicorum. 3. Curis domesticis.

Form. Ordiendi à re ipsa, Nos hic (ordiar à re tristi, qvando læta non suppetunt) &c.

Nos hic, optime †, ordiar à re tristi; qvando læta non suppetunt) annum habemus pestilentem; & pulcherrimam civitatem qvotidianus deformat adspectus mortuorum: furere jam cœpit morbus, & insultat in omnes palàm, sine discrimine, qvi antea repebat sensim, & latenter, nec ferè qvenqvam, nisi obscuri loci, infimæqve sortis attingebat. Qvare divina imploranda remedia; humana qvàm jaceant, sæpe docuit eventus.

Vobis

Vobis rectè istic esse audio, perpetuoqve sit opto; tum ab hujusmodi morbo, qvi non modò privatas domos exhaurit, verùm etiam urbes devastat: tum à cunctis discordiis, ac bellis, & intestinis, & externis. Te verò florere omni laude, valere auctoritate, valere gratia, esse unum, ad qvem omnes confluant consiliiq; auxiliiq; causa, nisi plurimum læter, malè sententiam de virtute, unde tibi ista fluxerunt; malè etiam de me ipso; qva tuam vitæ rationem probavi qvidem semper, secutus autem sum, qvatenus licuit: licuit enim certè multò minus qvàm volebam. Unum si addis, ut ingenium tuum, qvo nullum vidi præstantius, langvere non sinas, & otii tui rationem constare velis, hoc est, ut aggrediaris ad scribendum illa præclara, qvæ te audio tuis familiaribus esse pollicitum; aut si jam habes instituta, perpolias, nobiscumq; & cum posteritate communices: ne tu † omnium fortunam vincis, & solidam planè possides fecilitatem. Eqvidem, qvod ad me attinet, idem conor pro mea virili parte: & hæreo, qvoad possum, in scribendo: sed mea ratio qvàm non sit eadem, qvæ tua cognosce. Valetudine sum ea, qvæ facilè in morbos incurrat: imbecilla prorsus, & incommoda: itaqve sæpè in cursu institutorum meorum, cum progredi maximè vellem consistere sum coactus. Accedunt, qvæ temporis haud exiguam partem auferunt, salutationes multæ multorum: in qvibus videtur esse honor; & est omnino qvædam species: sed valeat ambitio; odi omnia, qvæ detrimentum studiis afferunt. Qvid domestica? non enim tantum à me pendent ii, qvi

meos

meos intra parietes vivunt, uxor, liberi, familia: sed fratres qvoq; suas in me uno rationes habent sitas: uterq; meis consiliis, alter etiam meis opibus, qvantulæcunq; sunt, nititur, ac sustentatur. Vides rerum mearum imaginem, ut in tabula depictam. Nec tamen obrui me sino fluctibus molestiarum; sed enitor sæpè, & conseqvor interdum, ut ex omnibus curis; atq; occupationibus emergam, meq; saltem per aliqvot horas in portum recipiam literarum. Qvo si frui diutius liceret, in cœlo essem: qvia non licet, hortor te, cui otii satis est, ingenii verò, scientiæ, judicii multò plus, qvàm mihi, ut hæc omnia studiosorum ad utilitatem conferas. Qvod si facies: glorioſum tibi erit ex ipsa re, qvem video præstare posse maxima; cæteris non modò re, verùm etiam exemplo fructuosum. Fortasse enim, te præeunte, alii, qvoqvo modo poterunt, invitati laude subsequentur. Ego meas antiqvitates, etsi, ut ille ait, spissum opus est, aliqvando tamen, ut spero, pertexam. Vale. Venetiis.

† †

EPIST. XXII.

Qveritur de dissensione inter se & amicum, ex qvibusdam opinionibus orta: Item, qvod, qvæ improbat, statim sugillet: qvæ probat, prætermisso amici nomine in suos commentarios referat: Deniqve rogat ut sibi qvoq; liceat ab eo dissentire, salva tamen amicitia.

Form. Gratæ fuerunt mihi literæ.

Form.

Form. Excusare libertatem in scribendo. Agam enim tecum liberè &c. (A)

GRatæ mihi tuæ literæ, gratissimus verò, qvi te ad scribendum animus impulit. Atq; ego te antea diligebam; qvod ingressum esse minimè vulgarem in viam literarum, longeq; per eam processisse, intelligerem: sed auxit amorem in te meum hæc, à me nunc minus exspectata, eoq; jucundior, voluntatis erga me tuæ minimè dubia significatio. Soleo enim amare in hominibus humanitatem, haud paulo plus meherculè, qvàm doctrinam. Ac doleo factum esse antea, casu dicam, an voluntate tua? ut oriatur inter nos qvibusdam ex opinionibus dissensio; iis tamen de rebus, qvæ si dilucidè pateant, qvod accidere potest utroq; nostrum disputante, studiosis fortassè nonnihil in eo consuletur. Id qvod est in meis consiliis, & fuit semper antiqvissimum. Nam qvod mea qvædam improbas: si rectè sentis, habeo gratiam: errare possum; & corrigi volo. Sin, ubi de meo sensu judicas, tua te fallit opinio: ego tamen, qvæ à studio veritatis culpa manat, libenter ad laudem converto. Itaq; qvod ad hanc partem spectat, nemo audiet me qverentem: excusabo te potius, atq; etiam, qvoad licebit, ornabo. Qvod autem, qvæ meis in scriptis non improbas, ea dissimulas, & in tuos commentarios, meo nomine prætermisso, qvasi novæ transfers. Miratus sum, & reqvisivi paulisper in eo modestiam tuam. (A) Agam enim tecum liberè, sicuti natura mea postulat, & inter bonos viros æqvum est. Illa de judiciis extraordinariis, qvæ te scri-

scribis edidisse, si dederis operam, ut ad me perferantur, etsi ea discrepare significas à sententia mea, gratissima tamen erunt, & gaudeo te tam esse diligentem in meis scriptis pervolutandis, & occasionem mei admonendi, & corrigendi tam libenter quærere. Sic enim intelligam ubi corrigendi finem feceris, nimirum, qvæ supererunt, à te omnia probari. Unum peto; sit conditio par: des mihi, ut idem liceat per te, qvod licere tibi per me volo. Si qvid ego de tuis itidem non probavero, noli gravius commoveri. Judicemus pariter, ego de te, tu de me utram in partem libet: amemus tamen inter nos, ut boni viri solent; & si qvid fortasse de judicio, nihil tamen de benevolentia, detrahatur. Libros qvos petis, habeo nullos. Cicerone excepto. Nec ejusgeneris, nunc qvidem, tibi qvidqvam polliceor. Qvæ verò ipse composuerim, paucis mensibus habebis, si valebo, commentarium in epistolas ad Qvinctum fratrem, & librum de legibus Romanis: qvi est antiqvitatum mearum sextus. De Sextiana oratione, si scriptam contuleris cum impressa, qvæq; loca varia sunt, miseris; amabo te: idqve ut facias, rogo. Vale. Venetiis.

HIERONYMO FURNARINO, RAVENNAM.

EPIST. XXIII.

Respondet Furnarino, à qvo Epistolæ suæ laudatæ fuerant, & eas nihil splendoris habere ostendit, si cum antiqvi-

tiqvitate conferantur : aliqvid verò habere, si cum insci-tia hominum hujus seculi conferantur.

Form. Gratificandi amico : Vides me tibi satisfacere. (A)

Form. Præcisionis: Sed qvid ago ? dum tecum svaviſſimè &c. (B)

Form. Offerendi munus literarum. Mitto ad te munusculum. (C)

(A) VIdes me tibi satisfacere, &, qvod olim petieras, id nunc, tuæ memorem voluntatis, re præstare? non enim, ut solebam, plebejo sermone tecum ago : sed eo, qvem in qvadam epistola patricium appellasti, qvi qvàm tibi sit in deliciis, qvantumq; in eo studii posueris, & industriæ, facilè ex ea ipsa epistola potui conjicere. Verùm, qvod ad me attinet, non ego meas literas ejus esse generis intelligo, ut ab homine patricio scriptæ videantur esse. Qvid enim habent, ut ita dicam, notabilitatis, qvid splendoris aut in sententiis, aut in verbis? conor eqvidem; ex hujus me cupiditas laudis multos jam annos incitat: sed moratur rei difficultas, occupatio domestica, valetudinis infirmitas: scribo tamen assiduè, qvantum licet, & qvoqvo modo licet. Animos videlicet mihi facit, qvod inter nos dictum sit, multorum insciti a: cum qvibus interdum me confero non sine voluptate; sicuti contra, cum in antiqvitatem ipsam intueor, contemno me, planeq; ipse mihi displiceo. Vera enim illa fuit, suisq; absoluta numeris eloqventia: nostra infantia est, mi Furnari ne nos balbi, nos elingves pænè su-

sumus in Latina lingva. (B) Sed qvid ago? dum tecum svaviſſimè loqvor, nulla certa re propoſita, paginam, verbis undiq; ſua ſponde confluentibus, implevi. Erit igitur, qvod initio ſcribere ſtatueram, idem clauſula mearum literarum. (C) Mitto ad te munuſculum tenue, amoris tamen ſignificationem in te mei, commentarios, à me nuper editos, in epiſtolas ad Brutum, & Qvinctum fratrem: qvos cupio, diligenter legas, id ſi aſſeqvor à te; & à tui ſimilibus; honeſtabor, & gratia meis laboribus optima referetur. Vale. Venetiis.

LÆVINO TORRENTIO LEODIUM.

EPIST. XXIV.

Monet Torrentium, ut aliqvid in lucem edat qvo nomen ſuum ab oblivione vindicet, utq; ſe apud Epiſcopum Leodienſem in gratiam ponat.

Form. Excuſationem de intermiſſione literarum accipere. Mirabar, &c. cur deberi &c. Hanc mirationem ſuſtulit. (A)

MIrabar, cum in tuis verbis tanta ſit humanitas, qvæ tuo meherculè etiam elucet in vultu, cur deberi mihi tam diu paterêre tuas literas; qvas, ubi Leodium perveniſſes, miſſurum ſtatim pollicitus eras. (A) Hanc admirationem, in qva moleſtiæ qviddam inerat, ſuſtulit prorſus epiſtola tua, ſcripta ſanè elegantiſſimè; in qva cauſam tui ſilentii confers in peregrinationem, & negotia. Qvod ſi

jam

jam in otio consedisti; exerce ingenium tuum præclaris in studiis, non ut amicus tuus, qui nihil unquam parit, cum tamen parturiat semper, sed ut edas aliquid, quo tuum nomen, æterna cum laude conjunctum, ab hominum oblivione, omniq; prorsus interitu vindices. Leodiensem Episcopum, de quo multi multa narrant, omnia præclara, summoque digna principe, si quid habebo artis, ut facultatis, ornabo laudibus: sin, quod suscipiam, præstare non licebit: amabit ille tamen ut opinor, voluntatem, tu me interim de meliore, ut ille inquit, notâ commendabis; ejusque in me benevolentiam, si qua est, ea, qua apud illum vales, gratia fovebis. Vale, nosq; sæpè literis, si otium est, saluta. Venetiis.

SEBASTIANI LEONI CORDUBENSI. ROMAM.

EPIST. XXV.

Respondet hortationi Leonis, à quo monitus fuerat, ut in studiis literarum modum servet: & ostendit in aliis quidem rebus, ut acquisitione opum, & honoris studio modum esse servandum, non in indagatione doctrinæ: quæsine labore percipi inquit, quæ voluptatem summam affert, cujus contemptores bestiis similes sunt. Ac proinde se illius & aliorum monitioni non posse locum dare dicit: simulq; eos hortatur, ut ipsi quoq; doctrinæ studia diligenter colant.

Formul. Hortandi. Sinite meam vocem &c. (A)

So-

SOles in noſtris ſermonibus, humaniſſime Leo, qvod mihi maximum eſt argumentum amoris tui monere me, atq; etiam rogare, ut pro tenuitate valetudinis meæ literis utar moderatius & in ſtudio virtutis, qvod difficillimum eſt, temperantiam adhibeam: amabiliter tu qvidem, & officiosè admodum: ſed, hoc mihi perſvadere ſi vis, prius illud perſvadeas oportet, non magnopere eſſe de gloria laborandum: inanes eſſe noſtras cogitationes: ſtulta conſilia, qvæ ad eam dirigantur. Ad qvam cauſas non tu qvidem unqvam tantam afferes eloqventiam, ut in re tam præſtanti mihi qvidem probes modum eſſe ſervandum. Qvanqvam, qvod ad rem attinet, tu qvoq; mecum ſentis, vel potius ego tecum; in literis affirmas eſſe vivendum, & optandam in primis ſcientiæ cognitionem; ſed cum eo tamen, ut ſalutis ratio habeatur. Obſecro te, mi Leo qvid tu exiſtimas de iis, qvi divitias immoderatè appetunt? nunc errare videntur? certè. At ipſi aliter putant; itaqve perſeqvuntur inſtitutum. Qvid de iis, qvi honores ſitiunt? non dubito, qvin hos qvoqve ſentias peccare. Et peccant ſanè: timida eſt enim ambitio, ideoqve miſera: neqve tamen pauci ſunt, qvos inficit hæc labes. Ego & cum his intelligo me errare, & præterea cum multis: ſed diverſa ratio eſt. Illi eas res plus æqvo appetunt, qvas conſecuti meliores nunqvam, deteriores etiam plerumqve efficiuntur: ego in earum artium indagatione ſum nimius (ſic enim ipſe exiſtimas) qvarum cognitio evellit ex animis vitia, inſerit virtutes; itaqve vides errorum aliorum

cum

cum turpitudine esse conjunctum, meum non modò non turpem, verum etiam laudabilem. At morbis sæpè tentamur. Primùm, hoc qvidem non est præter naturam; ars enim præstare non potest, ut rectè semper valeamus: Nam, si posset, ii, qvi scientiam medicinæ tenent, ipsi nunqvam ægrotarent. Deinde, est præclarum in maximis laborare: & qvacunqve re virtutem emas, parvo emas. Non posse autem nos ad ea, qvæ summa sunt, sine sudore pervenire, indicat illud, qvod poëtæ ne Herculi qvidem, Jove nato, nisi maximis exantlatis laboribus, cœlum dederunt. Te ipsum rogo, qvi me mones; qvem ego studia doctrinæ video nunqvam intermittere: ullamne voluptatem ea cum voluptate putas esse comparandam, qva legentes, aut scribentes afficimur? potest esse tanta svavitas, qva non major ea sit, qvæ perfundit animos nostros, earum rerum intelligentia fruentes, qvæ sunt ad benè beatèq; vivendum necessariæ? Qvod si qvis doctrinam contemnit: haud scio, qvid iste curet. Negligit animum; qvo nihil potest esse præstantius: se ipse ignorat; qvo nihil turpius: corpori servit, ignaviæ deditus; qvod est illi commune cum belluis, qvibus id præcipuum, ut alantur ventriq; indulgeant, à natura tributum. Itaq; seqvar meum institutum, neq; te, mi Leo, neqve alios audiam, studiosissimè monentes; qvorum eqvidem amo voluntatem, judicium tamen cogor paullulum reqvirere, &, ut ipse qvoqve erga vos amici partes, vestro exemplo, suscipiam, (A) sinite meam vocem in aures vestras influere, qvæ

vobis artium studia optimarum assiduè cantat; qvæ vestra vobis bona commemorat, eaq; ut agnoscatis, & qvantùm licet, exerceatis, hortatur. Cui si parebitis, fructum capietis eum, qvem ipsi mihi, cùm meam reprehenditis in colenda virtute constantiam, studetis eripere. Vale. Ex ædibus nostris.

MARCO ANTONIO LOMBARDINO, PATAVIUM.

EPIST. XXVI.

Gratiarum actio de munere sibi misso, cum petitione, ut se amare pergat.

Benignitatis laus. (A)

Form. Rogandi constantiam amoris: Conserva mihi, si vis me esse felicem, tuum amorem &c. (B)

(A) SCis, optime Lombardine, benignitatem à Philosophis, magis etiam à Christianis hominibus laudari. Rectè id qvidem: nihil enim est, qvod hominem æqvè cum DEO conjungat; sed illa cautio reqviritur, ut adsit cum voluntate prudentia. Thesauros plerumqve videas in aliqvem conferri ab iis, qvi dominantur. Qvære causam: laudabilem nullam reperies. Qvis igitur beneficium illud prædicabit, in qvo neqve meritum accipientis, neqve judicium dantis agnoscitur? Eqvidem pro magnis opibus existimo hesternam illam animi tui significationem. Qvod enim ad me munus misisti, tum est ipsum per se gratum, qvia pertinet ad ea commoda, sine qvibus, imbecilli valetudine

tudine qvi sunt, ægrè sustentantur; tum verò multò gratius, qvia judicii tui laude commendatur. Nisi enim tibi meæ vitæ ratio, nisi ea, in qvibus assiduè versor, studia probarentur; me tu certè, qvi probitatem colis, qvi doctrinâ ingenioq; excellis, beneficio non afficeres. Qvando igitur ex ista tua in me liberali voluntate, qvid de meis moribus, qvid de literis sentias, facilè possum conjicere; contemno Principum divitias; beatus esse possum in tua benevolentia; unde honor, & decus, unde præclara virtutis argumenta, unde etiam commoda manabunt. (B) Qvare conserva mihi, si vis me felicem esse, tuum amorem: qvem certè intelligas mihi deberi, si tibi, mea qvæ sint erga te studia, liceat intueri. Illa verò, qvæ à tua benignitate proficiscuntur, persvade tibi, hoc potissimum nomine, qvia sunt amoris argumenta, mihi esse carissima: neq; ego te unqvam ex beneficio, sed beneficium semper ex te ipso pendam. Librum de Magistratibus, qvem petieras, habeo eqvidem absolutum, nondum tamen edendum. Itaq; comprimetur, usqve dum accuratè perpoliam. Proœmium degustabis: qvod ad te cum hac nocturna epistola statui mittere. Vale. Ex ædibus nostris, ante lucem.

PROOEMIUM LIBRI DE MAGISTRATIBUS Romanis.

QVod in privata domo paterfamilias, idem in civitate præstat lex. Ille præcipit filiis, qvid agant, & qva ratione agant: hæc jura civibus man-

dat, & ad pietatem, ad rectum spe præmiorum invitat; à delicto, proposità pœna, deterret. Quemadmodum autem rei privatæ non hoc uno consulitur, si sit qui imperet: verùm illud præterea requiritur; ut imperanti domestici omnes pareant: sic in civitate, nisi legem aliquis tueatur. &, ut ei cives, quasi parenti optimo filii, audientes sint, potestate imperioq; perficiat; non est in ipsa lege præsidii satis, optimeq; ac laudabiliter vivendi præscripta norma negligitur. Quò sit, ut tàm legi necessarius videatur esse magistratus, quàm lex ipsa civitati. Ac mihi, hoc de genere consideranti, longè videtur optabilius esse, ut iniquæ legi præsit optimus magistratus, quàm ut improbus æquissimæ. Nam, si summam potestatem cum optima mente conjungas: vir bonus in jure dicendo, præter æquabilitatem, & justitiam, nihil spectabit; si quid erit in lege vitiosum, pro sua sapientia corriget; si quid ambiguum, in eam partem interpretabitur, quæ ad pietatem, ad communem civium utilitatem, ad Reipubl. salutem propensior esse videatur: sin autem, qui non optimè sunt à mente constituti, iis potestatem addas, & voluntatem viribus confirmes, legis vocem magistratus non exaudiet; quid majores voluerint, sanxerint, servarint, non attendet; ad suum arbitrium, suamque libidinem omnia revocabit. Quod cum faciet; Reipubl. quæ tota à jure, & æquitate pendet, non solum facto, sed multò etiam magis exemplo nocebit. Nam, quia præeuntem sequi non difficilè est: propterea, qui imitentur, quàm qui inveniant, plures non modò

dò in rep. administranda, verùm etiam in omni arte reperias. Malè C. Cæsar, qvi libertate, vi & armis oppressa, ea, qvæ omnium erant, possedit unus: sed longè improbior, ac neqvior L. Sylla; qvi ut auderet sperare Cæsar ea, qvæ consecutus est, exemplo suo perfecit. Qvod si, qvi legibus præfuerunt, tales fuissent, qvales eos qvi leges ipsas condiderant, fuisse legimus; stetisset in suo gradu Resp. qvæqve artes in civitate libertatem auxerant, eædem facilè conservassent. Verùm in hominibus, non in legibus vitium fuit. Primi omnium duo fratres è Sempronia familia, Tiberius & Cajus Gracchi, malo publico eloqventes & ingeniosi, serere inter cives discordias cœperunt, infimæq; plebis animos novorum commodorum in spem turbulentis concionibus excitare. Qvi etsi decreto Senatus justa vi oppressi, debitas eorum audaciæ pœnas exsolverunt: tamen exitiosæ consvetudinis initium attulit ille dies, qvi civili sangvine gladios primus infecit. Qvod enim non modò justum, sed nec usitatum antea fuerat, id postea ne novum videretur, effectum est. Itaqve, cum aliqvot pòst annis P. Sulpicius primùm ut visus est, non pessimè animatus; deinde, sive ambitione inductus, sive iracundia concitatus, ab optima causa desciviſſet; eademq; ferè, qvæ duo Gracchi, in tribunatu plebis, aut certè non dissimilia moliretur: facilè ad vim & ad cædes prolapsa res est: neqve priùs arma qvieverunt; qvàm civium magna parte trucidata, aut ejecta, unius libido antiqvis legibus par, atqve etiam superior esse cœpit. Qvod neqve

tunc, neqve postea contigisset, si, qvàm sapientes in scribendis legibus majores fuerant, tàm in creandis magistratibus cauti posteri fuissent. Nam, etsi non rectè geritur publica res, nisi præstantibus viris, acriqve ac magno animo præditis committatur; tamen periculosa inprimis hæc est, & lubrica sanè deliberatio: propterea qvòd non langventibus in animis, sed in erectis mentibus, ac maximis ingeniis dominandi cupiditas exoritur. Honorum spe, fateor, ad labores, ad industriam, ad subeunda etiam pericula homines excitantur: sed in libera civitate est, qvatenus cuiqve credatur; & in danda potestate si modus retinebitur, modus item in gerenda servabitur. Legitimis enim potestatibus, & moderatis imperitis alitur libertas: neqve facilè qvisqvam vult, qvod se posse desperat: &, qvi tantum potest, qvantum si consequatur, ceteri nihil possent, hic si malus est, potestate fit deterior; sin ita moribus exploratis, ut antea nihil neqve fecerit indignum bono viro, neqve voluerit, interdum tamen, ut humana mutantur, à rectis cogitationibus ad iniqvas libidines traducitur; & peccat eo ipso, qvia peccare permittitur, ut possit. Qvocirca patriam meam singulari sapientia institutam, ac divino qvodam consilio temperatam licet existimare: in qva neqve magistratus iidem continuantur, qvod est servandæ ac diutissimè retinendæ reipubl. vinculum firmissimum: neqve cuiqvam tantum uni committitur, ut extraordinario jure elatus libertati, communiqve otio moliri periculum possit. Qva moderatione factum est, ut post annos

annos M. CXXIV. (tot enim ab Urbe condita numerantur) non modò reſpubl. ſit, verùm etiam ita ſit, ut omnibus rebuspublicis, qvæ nunc ſunt, magnitudine opum; iis autem, qvæ fuerunt, imperii diuturnitate antecellat. Qvæ qvibus inſtitutis ac magiſtratibus uſa, ab humili, tenuiq; principio ad tantam dignitatem, atqve amplitudinem pervenerit, neqve eſt hîc narrandi locus, & hoc argumentum viri ſapientiſſimi ita non modò copioſè, verùm etiam peritè ornateqve tractarunt, ut, ſi qvid velis adjungere, idem ſit, ac ſi in Apellis aliqva perfectiſſima imagine, puta in Venere illa Coa, elabores. Nobis Romana civitas propoſita eſt, qvæ qvàm multas habuerit partes ad imitandum præclaras, ex eo patet, qvòd ita bello ac pace viguit, ut illius vim & potentiam omnes reges populiqve extimeſcerent, æqvitatem & abſtinentiam ſubjectæ urbes nationesq; diligerent. Formam ſenatus, qvòd in ea publicum conſilium fuit, ordinem comitiorum, jura legum tribus libris expoſuimus. Nunc de magiſtratibus eorumq; poteſtate diſputabimus; tum, qvia locus ipſe admonet, (hoc enim legibus adjunctum, & tanqvam adnexum videtur) tum etiam, qvia Ciceronem, cui video in iis libris qvos de Legibus conſcripſit, hunc ipſum ordinem placuiſſe, libenter imitamur.

CÆSARI FERRANTIO, PATAVIUM.

EPIST. XXVII.

Respondet Conciliatoriæ Epistolæ, & 1. causas affert, cur ipsum diligat, videlicet 1. propter mores, 2. propter studium suum erga Episcopum Svessanum, affinem ejus. 3. propter progressus in Philosophiæ studio; cum quo 4. ut literas sacras conjungat, ipsum hortatur.

Form. Amorem amici ex literis ad nos scriptis æstimare. Ego verò istum erga me animum. (A)

Form. Studia sua alicui deferre. Quod si qvid acciderit, in qvo &c.(B)

(A) EGO verò istum erga me animum, istam, qvæ significatur in epistola tua, benevolentiam amplector libentissimè, & amo prorsus amore singulari. Nam, ut omittam, qvod ita postulat humanitas: tui te præterea mores, tua modestia, & major jam ætate virtus egregiè commendat. Qvæ cum ipsa me movent; tum verò in affinem tuum, Episcopum Svessanum, studium ejusmodi meum est, multis abhinc annis ex incredibili ejus humanitate, doctrinaq; susceptum, ut eos etiam, qvi modo aliqva illum necessitudine attingunt, qvosq; ille caros habet, complectatur. Qvo tu in numero ut esses affinitate primùm, id est, naturæ qvodam qvasi munere, tibi contigerat; postea verò cum natura voluntatem, & cum voluntate studia conjunxisti, excolendis artibus iis, unde fluxit honor ac dignitas affinis tui, & unde eadem ad te manabunt; si te illi, imò verò si te ipse tibi qvàm simillimum præbueris. Qvis enim tantos processus tàm adolescens in Philosophia fecit, qvantos illa

tua

tua in aula perillustris Cardinalis Estensis celeberrima disputatio, multis præsentibus, ostendit? Qva tamen de laude ita sentire volo, ut maximam esse putes, si cum ætate tua conferatur; sin res ipsa spectetur, longè statuas majorem esse posse; qvodqve viæ confeceris, id qvidem esse multum, nec tamen tantũ qvantum adhuc spatii superfit. Sed mihi crede, omnis in eo tuorum studiorum sita perfectio est, si, qvemadmodum nunc id cogitas, & id, opinor, agis unum, ut intelligas, humanæ res qvantum alii aliæ præstent, ita, qvantum infra divinas humanæ prorsus cunctæ sint, aliqvando simul cogitabis. Næ tu, Cæsar, si te ad hanc, qvam ignorari à plerisq; video, præclaram disciplinam contuleris, magistros habebis haud paullò meliores, qvàm qvibus nunc uteris, aut etiam per omnem vitam uti potes. Exstat sanctissimorum virorum multis libris expressa doctrina, qva instruimur, & erudimur ad æternæ vitæ salutem. Habes præterea domesticum exemplum affinis tui summi viri: cujus in vitam si inspexeris, excitaberis ad omnem laudem, coles autem præcipuè veritatem, qvam ille tuetur acerrimè, habuitq; semper antiqvissimam. Neqve verò impedio, qvò minus, ut cœpisti, Marco Antonio Genuæ, & si cui præterea velis, operam des: eloqventiam qvoqve si adjunxeris, ut res graves & obscuras ornatè ac splendidè tractare possis, minimè improbabo: sed illa præstantiora sunt, qvò te hortor, ut aliqvam omnino transferas industriæ tuæ partem. De libris ad te missis, habeo gratiam humanissimo, & in primis eru-

erudito juveni, Sebastiano Leoni, utriusqve nostrûm æqvè familiari: qvi mihi hanc instituendæ tecum amicitiæ occasionem obtulit: qvam avidè arripui. Jam enim incenderat me studio tui, cùm de ingenio, de studiis, deniqve de tua ad optimas res propensâ voluntate multa prædicasset. (B) Qvod si qvid acciderit, in qvo tibi opera mea usui possit esse, id si ipse intelligere potuero, mea sponte suscipiam; sin secus, à te admonitus efficiam, ut esse tuam apud me plurimi voluntatem intelligas. Vale. Venetiis.

VIDO LOLGIO, PLACENTIAM.

EPIST. XXVIII.

Nunciat Lolgio, se valetudinis curandæ gratia constituisse ad aqvas Lucenses accedere, sed non priùs, qvàm id tuto & salubriter fieri qveat; atqve proinde rogat ipsum, ut ad se Pisas veniat.

PAulò antè dederam ad te literas; qvas, conjecturâ dierum, putabam tibi jam esse redditas: hæ nunc alteræ consequentur. Scripsi, te absente me cessare in literis, & omnino tuam operam, tuamq; illam in meis rebus officiosissimam sedulitatem vehementer requirere; sed meum consilium esse, te ishinc ne prius commoveres, qvàm ego alicubi consedissem. Id ego volebam scilicet invitus, qvi te socium & administrum meorum studiorum summè desidero: sed volebam tamen tui commodi causâ: primùm, qvòd hanc eqvitandi jactatio-

tionem, qvæ me qvidem delectat, tibi otii cupido suspicabar non placere: deinde, qvòd, si accidisset, ut istas regiones peteremus, qvod post balnea facturi videbamur; intelligebam fore, ut adire commodiùs ad me posses intervallo minore. Nunc audi, cur sententiam mutaverim. Cardinali nostro, cui nimium sæpè calculus molestus est, multis jam remediis frustra tentatis, accedere nunc ad aqvas Lucenses valetudinis causa deliberatum est; nosq;, ut scis, idem cogitamus: iis aqvis qvi uti volunt, id maximè spectant, ut sicco tempore utantur. Hæc est qvasi methodus qvædam, qvam servantibus salubres dicuntur esse: permistæ cum imbribus putrescunt, gravi periculo bibentium. Nos porrò, ô Lolgi, qvi didicimus à Philosophis, bonam valetudinem expetere, sapientis esse; valdè in hac qvidem parte sapimus, &, ut optimè valeamus, accuratè, qvæcunqve vires tuentur, aut augent, persequimur; qvæ posse videntur infirmare, ac minuere, declinamus. Itaqve ad balneorum medicinam, priùs non accedemus, qvàm id & tutò, & salutariter fieri posse intelligamus. Nunc qvidem alienum tempus est. Vides, qvæ pluviæ, qvàm penè hyemales dies. Hæc dum ita se habent, nos opportunitatem exspectantes, in his oppidis & villulis jucundè satis oberrabimus. Qvod qvoniam qvàm diuturnum sit futurum, divinare difficile est; & ego, dum te careo, multis commoditatibus unà careo, tuqve ut ternis jam literis significare videris, non abes à me sine molestia: meâ causâ rogo, tuâ hortor, ut qvanqvam nondum consedimus, matu-

rè

rè tamen, nisi qvid gravius impedit, revertaris. Et, ut scias, qvo me loco convenire possis: Pisis ad Idus Junias & ultra, ut opinor, aliqvantò, sed ad Idus Junias certè commorabimur. Vale. Pisis.

HANNIBALI CARO, RAVENNAM.

EPIST. XXIX.

Commendat Caro amicum, rogans, ut ipsum juvet in consequendo debito, ad qvod exigendum eò sit profectus.

FOrolivienſibus malè sit, qvi te longius à me abstrahunt. Sed istorum motus præfecti prudentia sedabit, tuqve, ut scribis, Ravennam brevi recurres. Ibi velim, ne qvid causſæ sit, qvo minùs ad me qvamprimum. Ego volebam ad te, sed impediunt multa, maximè Ciceronis editio; cujus tempus adventat, vel potius jam adest. Itaqve occupationum onere valdè premor; sed mihi nulla res esse potest tanti, ut ab hoc scribendi officio divellar. Nunc est, qvod à te velim. Qvi tibi has literas attulit, est & mihi, & fratribus meis valdè familiaris. Ejus opera multis in rebus usi sumus egregiè fideli. Cum Ravennam venturus esset, qviddam ut exigeret, qvod ibi habet in nominibus, petit à me, ut se tibi commendarem. Dixi, cum causam optimam haberet, commendatione eum non egere; tamen me esse facturum. Si qvid me amas, Care, vel potius, qvantum me amas, tantum hunc hominem adjuva. His temporibus, cum

cùm fides ubiqve sit angustior; vereor, qvi debent, ne non facilè dissolvant. Si res in judicium venerit, noli pati, virum bonum, amicum meum, exhauriri longi temporis impensa: beneficium non conferes in ingratum. Memorem enim cognovi. Sed tu eum ne spectes: me vide, qvi à te peto. Mihi enim gratius facere nihil potes. Nam, etsi, qvod ad nos attinet, ipsi qvidem inter nos magis, qvàm amamus, amare non possumus: tamen valdè laboro, in qvo me ambitio qvædam movet, ut homines nostram conjunctionem, tuamqve in me benevolentiam perspiciant: qvarum alteram vitæ æqvalem fore, alteram ejusmodi jam esse confido, ut nihil addi posse videatur. Vale. Venetiis.

EIDEM, RAVENNAM.

EPIST. XXX.

Hortatur Carum, ut, cum jam sui juris sit, & herum habeat, qvalem velit, operam Musis det; eumq; rogat, ut qvampriumum ad se veniat.

VIrum te duco, qvi compedes illos frangere, & aliqvando te in libertatem vindicare potueris. Id qvod ego, qvi nervos ingenii tui benè cognitus haberem, prorsus ita fore sperabam. Ut autem etiam cum Gvidiccione, id est, cum homine doctissimo & ad tuam naturam aptissimo, tibi vivere liceret; hoc verò ne optare qvidem unqvam sum ausus. Qvod qvando accidit; benevolentiæ in te meæ est, gratulari, qvod evenerit; prudentiæ autem tuæ, non committere, ut frustra eveniisse videatur.

He-

Herum habes Care: herum autem dico? cujus ea ſvavitas eſt, is in te amor, ut potiùs æqvalis, potius germani fratris loco tibi ſit: ſed, qvoqvo nomine appelletur, eum certè habes, qvalem vis. Qvare, qvod mihi, aliorum arbitratu cùm vivebas, promittere ſolitus eras, id ego nunc, qvando tui juris es, non à te petam, ſed exigam, ut operas Muſis, jam diu à te non ſanè tuâ culpâ, tamen prætermiſſas, eô, qvocum es, permittente, atqve etiam cohortante, reddas. Sed ita procul dubio te eſſe facturum, vel potius jam facere exiſtimo. Itaqve hoc ne monendus qvidem es; illud autem etiam rogandus, ut ad nos qvamprimùm venias; ut poſſim urbanitatis tuæ ſales ex intervallo reguſtare. Pedibus, puto fore commodius: nam mari præ frigore obtorpueris. O dulcem congreſſum! in qvem ego, vix credas, qvàm multa reſervem; qvæ literis commiſſa, eandem ſvavitatem non habent. Vale.

EIDEM, RAVENNAM.

EPIST. XXXI.

Hortatur eundem Carum, ut ſe ab iſtis occupationibus, qvibus diſtinetur, vindicatum in literas totum abdat.

Formul. Hortandi: Mi Care, induc animum &c. (A)

FEſtivum Molſæ noſtri poëma libenter legi, explanationem verò tuam libentiſſimè: & ſum admiratus acumen ingenii tui ſummo judicio conjunctum: qvorum alterutrum non ita multis con-

tin-

tingit, utrumqve verò pauciſſimis. Qvòd ſcire vis, qvid alii ſentiant? idem qvod ego, nihil eſſe in illo genere profectius. Qvò magis te hortor, ut hanc facultatem ad graviora ſtudia transferas, & aliqvando te, ab iſtis occupationibus vindicatum in literas totum abdas. Qvod ſi maturè feceris, cerno jam animo, qvantæ tibi hoc conſilium laudi, qvantæ nobis, qvi te amamus, lætitiæ ſit futurum. Memini, qvid tu mihi te facturum eſſe dixeris: neqve te arbitror oblitum, qvid ego tibi in eam ſententiam reſponderim. (A) Mi Care, induc animum, nullos præſtantiores eſſe fructus, qvàm qvi è virtute colliguntur, &, cùm hoc feceris, qvod & facis, & feciſti ſemper, tum illud tecum exiſtimato, ac pro certo habeto, incredibilem eſſe exſpectationem, qvam de te apud homines concitaſti: qvam ſi ſuſtinere, ac tueri vis, contende, dum integrum eſt, omni ſtudio, ut ex hoc vitæ genere, in qvod olim te non tuum judicium, ſed vis qvædam temporum, tanqvam in aliqvod piſtrinum detruſit, qvamprimum te eripias. Qvod qvia tibi deliberatum eſſe mihi ſæpè oſtendiſti, non ero longior in te cohortando: tantûm hæc attigi amore impulſus; ut intelligeres, in ſummis meis occupationibus me tamen de tua laude cogitare. De Ardinghello neſcio qvid atrocius eſt allatum: qvod ego ſanè, qvàm pro eo ac debui, moleſtè tuli. Hominem enim eruditum, & cum tibi amiciſſimum, tum à nobis, ut viſus eſt, non alienum cognivi. Velim, ut id ad me planiùs, qvid fuerit, & unde fuerit, perſcribas. Vale.

EIDEM, RAVENNAM.

EPIST. XXXII.

Respondet ad varia. Laudat ejus Epistolam. Rogat, ut artificem typorum fundendorum in proposito confirmet, ut mandata exhauriat. &c.

Formul. Causas scriptionis allegare. Literis tuis &c. usq; *ad* respondeo. (A)

Form. Literarum elegantiam commendare: Ut tuas elicerem, qvarum sermo &c. (B)

(A) Literis tuis, qvas tu Idibus Qvinct. dederas, ego Nonis accepi, rescripseram, qvo modo mihi tunc occupatissimo licuit: postea, cum eas per otium in manus sumpsissem, accuratiusq; perlegerem; sensi me qvasdam partes, qvibus nunc ex intervallo respondeo, imprudentem omisisse. Qvod etiam si ita non fuisset; ego tamen aliqvam scribendi sententiam aliundè arripuissem: non solùm, ut qvasi tecum loqverer; qvo nihil facio libentius; (B) sed etiam, ut tuas elicerem, qvarum sermo & purus inprimis est, atq; ornatus, & humanitatis, ac benevolentiæ notis maximè insignis. Vel qvas mense proximo dedisti, qvàm amabiles, qvanti consilii, qvàm multi officii? qvod munus, qvæ partes in iis à te sunt hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi prætermissæ? qvam accuratè, qvàm distinctè, qvàm peritè tuam de meis typis sententiam explicasti? qvibus qvidem typis, spero fore, ut emendatissimis utar, qvando

ad

ad te & ad Thomam nostrum missi sunt: qvorum alterum in labore patientissimum, alterum in judicio elegantissimum cognovi. Qvod autem ita scribis, homines hoc animo esse, ut nihil à me nisi perfectum, absolutumq; exspectent: facis tu qvidem officiosè, & peramanter, qvi ad me excitandum aliorum qvoqve opiniones, & judicia colligas: sed hoc ipsum genus, qvod perpoliri à me vis, ut perficiatur, in te est. Qvare, qvoniam ita casus tulit, ut unus ferè hoc tempore tantum meâ causâ possis, qvantum ego tuâ semper volui: etsi mei commodi, atq; etiam honoris ratio postulare videtur, ut in te rogando pluribus verbis utar; tamen id non faciam, ne majorem desiderii mei, qvàm humanitatis tuæ, rationem videar habuisse. De artifice autem confirmando, qvoniam in hoc vides esse omnia, & me longinqvum nihil posse intelligis, omnem curam tu suspicias oportet: qvi ut idem nobis sit, qvi antea fuit, facilè cùm prudentia, tum commoditas illa tua præstabit. Qvanqvam non dubito, qvin ipse per se, vel sine ullo artificio tuo, ad id, qvod reliqvum est, perseqvendum ita, ut volumus, animatus sit. Profectò enim constantiæ rationem sibi habendam ducet. Sed tamen, qvoniam gloriæ magis studio, qvàm emolumenti cupiditate, incensus, ad opus est aggressus; subjicies tu qvoqve idem in sermone qvasi igniculos, ut vehementius inflammetur. Ficus tuas qvòd ais te in apertum referre velle, ut aliqvando venales circumferantur, qvæ qvotidiè ab omnibus, te insciente, degustantur: ego verò, ut id facias, magnoperè ivadeo.

Qvòd autem meorum typorum exſpectationem nimis longam eſſe dicis; mihi qvoqve ita videtur; idqve cùm meâ causâ, tum tuâ non mediocriter doleo. Figurarum opus, qvod te hortante ſum exorſus, texitur illud qvidem diligenter, ſed vereor, ne plus oneris ſuſceperimus, qvàm qvantum noſtra imbecillitas ſuſtinere poſſit. Qvod ſi ita erit; accurres, ut, parte aliqva nobis detracta, & in te translata, relevemur. Sed, amabo, qvid ſibi vult, qvod in tuarum literarum clauſula poſuiſti? te ſi qvæ eſſent inter nos ad ſignificandum notæ, qviddam occultius fuiſſe ſcripturum. Eqvidem, etſi, qvale ſit, videor mihi jam intelligere; tu tamen ut apertiùs declares, valdè velim. De mandatis meis, ea, qvod tuo commodo fieri poſſit, ſi exhauries; per mihi gratum, perqve jucundum fuerit; ſed illud primo qvoq; tempore, de qvo ſe Martellus tuus curaturum recepit: qvi ſi ſtetit promiſſis, reliqva ego à te exigo; ſin autem, qvod pollicitus fuerat, nondum exſolvit, eum tu literis appella. Nam de ceteris non ita valdè urgeo: ages cùm licebit, vel dicam etiam, cùm libebit. In hoc autem niſi mihi qvàm primùm ſatisfacis, prædico tibi, flagitatorem habebis acrem, & moleſtum. Vale. Et amicis communibus ſalutem à me plurimam. Venetiis.

OCTA-

OCTAVIANO MAGIO, ROMAM.

Respondet officiosæ Epistolæ Octaviani Magii, cujus literas se accepisse gaudet, iisq; ob elegantiam Latini sermonis laudatis, illum monet, ut Octavium quendam Romæ colat, virtutem amplectatur, prava sodalitia fugiat.

PRofectò nihil tàm accidit contra voluntatem, qvod aliqva demum jucunditas non temperet. Sic sunt humana. Angebar animi, (qvid enim dissimulem?) tuis factum occupationibus, ne te complecterer discedentem; nunc idem gaudeo, evenisse qvod nolebam: qvando tu, arrepta inde tui purgandi occasione, literas ad me misisti, officio primùm refertas, & humanitate singulari; deinde latinè loqentes egregiè, sic, ut ejus urbis, in qvam te cum Aloysio Mocenico, præstanti viro, Venetæ Reipubl. legato, contulisti, veterum eloqventiam redolere videantur. Qvare cùm animo sum lætatus erga me tuo, fuitq; voluntatis ad me amandum propensæ gratissima significatio: tum verò ex ista, qvam adolescens admodùm consecutus es, Latinæ lingvæ facultate, istoqve, qvo te video florere, ingenio, tantum accessit ad lætitiam, qvantum ne conabor qvidem verbis explicare, sensu ipso vix, atqve mente comprehendo. Atqve eqvidem tibi eò etiam gratulabor magis, si tua bona noveris, id est, si &, qvæ habes jam, studio tueberis; &, qvæ ostenduntur, ac deferuntur à fortuna,

magni facies; qvantumq; in te erit, nunqvam dimittes. Non enim, mihi credas, tanti esse tibi Roma debet, qvia Roma est, qvæ præstantes olim viros tulit, imperii terminos cum Oceano conjunxit; qvanti ob unius hominis consvetudinem, cujus est humanitas doctrinæ par, doctrina vero, qvæ potest esse maxima. Is est Octavius meus; qvi urbem, à qva cæteri honestantur, sua ipse virtute nobilitat. Hunc tu virum nactus cole, si sapis; & pete tuam gloriam ex illius consiliis: utere, qvantum licet; &, ut liceat plurimùm, exopta. Ipse te, si vacabit, nunqvam à suo congressu, nunqvam à sermone excludet. Commendaticiis ad eum literis minimè opus est: nec fert hominis humanitas; & tu illi, qvod epistola tua significat, satis jam notus, fortasse etiam familiaris. Qvod reliqvum est, non te fugit illud. Magistratus virum indicat. Itidem hæc legatio, qvi sis, qvi futurus aliqvando, patefaciet. Qvamobrem incumbe ad laudem: amplectere virtutem; illa rejice, qvæ bonis artibus, ac moribus adversantur: qvæ te sæpe in ista ætate, tuorum commodorum, tuæq; tanqvam hostes gloriæ, circumvenient, nec facilè, nisi prudentiam summam adhibueris, depellentur. Vale, & salutem die meo nomine exqvisitæ eloqventiæ viro, Julio Pogiano, cujus tibi amicitiam, & consvetudinem valdè gratulor. Venetiis.

EPI-

EPISTOLARUM PAULI MANUTII,

LIBER III.

HIPPOLYTO ESTENSI CARDINALI, FERRARIAM.

Lib. III.

EPIST. I.

Primò gratias agit Cardinali Estensi, qvod ipsum eo in loco, unde fortuna ipsum depellere conabatur, velit retinere. 2. Excusat se, qvòd non potuerit ad ipsum venire. 3. Rogat ipsum, ut benevolentia ipsius sibi conservetur. 4. Petit, ut si fortè qvibusdam literis sit offensus, id sibi ignoscat.

Formul. Causas scribendi indicare. Valde me levavit N. oratio &c. cepi lætitiam, qvantam aliqvis ex insperata exoptataq; re maximam capere possit, measq; statim partes esse duxi &c.

VAlde me levavit, in hac mea satis graviter affecta valetudine, oratoris vestri, Hieronymi Faleti, viri præstantis oratio: qvi cum sermonem mihi, Ferrariæ tecum habitum, exposuisset, multaqve, ùt solet, de ingenio tuo singulari, de summa gravitate, ac sapientia, nonnulla etiam de tua neqvaqvam à me, ùt audieram, aliena voluntate narrasset; cepi lætitiam, qvantam aliqvis

ex insperata, exoptataq; re capere maximam possit; measq; statim esse partes duxi, ut ad te scriberem, ageremq; gratias, qvòd in eo loco, unde me depellere fortuna conaretur, tua me retineret humanitas. Qvo sanè mihi nihil optatius, nihil hoc tempore, cùm infirmus langveo, ad animum meum sustentandum, opportunius potuit accidere. Atq; eqvidem ita statuo, actum esse mecum miserè prorsus, atq; infeliciter, qvòd meam ad te veniendi cupiditatem incredibilem pestilentia primùm, deinde morbus impedierit; & in eo magnum studia mea, measq; res adiisse damnum: qvibus à te, pro tuo instituto, veteriq; consvetudine, consultum iri optimè, pro certo existimabam. Qvod qvando ita accidit; & qvando me à tuo convictu non mea voluntas, non judicium, aut ulla mentis inconstantia, sed corporis imbecillitas, atq; hæc anniversarii, ac penè jam perpetui morbi vis importuna sejungit; peto à te, Princeps humanissime, id saltem qvod in tua, non in fortunæ manu situm est, tribuas, & largiare, ut benevolentia mihi tua & qvæ fuit antea, & qvæ, si ad te ivissem, futura erat, eadem conservetur. Hoc si asseqvor, beatus hac una re sum; cetera parvipendo. Ea porrò mihi ut conservetur, ita postulo, si me, qvalis in aula tua fuissem, talem esse absentem intellexeris, id est, observantem tui, tuaq; in laude omni studio & cogitatione defixum. Qvod si qvibusdam literis animus à me tuus est offensus; qvòd in iis dicar minùs fortasse, qvàm decuit, de te, aut de tuis modestè locutus, qvod certè secus est: sed si me tùnc à mea con-

consvetudine impetus qvidam abduxisset iracundiæ, nosti pro tua sapientia ingenium humanum: magna vis doloris est; impellimur sæpè longius, qvàm ratio concedat: & facta qvæ sunt, paulò pòst infecta frustra cupimus. Te tamen ita decet ignoscere dolori meo, si ex justa, ut ego arbitror, causà susceptus est: sin aliter tibi videtur, ignoscere tamen debes, ut eluceat magis in culpa humanitas: qvæ si omni digna Principe virtus est, te videtur Principe dignissima; qvem ad omnem laudem natura genuit, disciplina erudivit, multorum annorum consvetudo assvefecit. Vale. Venetiis.

FRANCISCO MOLINO, PATAVIUM.

EPIST. II.

Hortatur Molinum, ne occasionem discendi negligat, & ut se Mureti contubernio dignum præstet.

Form. Excusandi admonitionem: Plura non debeo &c. (B)

Formul. Hortandi. Ut N. contubernio dignum te præstes. (B)

QVod meas epistolas descripseris, valdè te amo: & costodiri à te malo, qvàm ad me mitti. Qvod autem, non esse tibi scriptionem illam infructuosam, significas, prorsus non abnuo; verùntamen, qvod tibi hoc in genere multò & plura, & meliora domi qvotidiè nascantur, hoc eqvidem nomine haud paulò magis tibi gratulor. Qvam tu, si sapis, agnosce, & opta diuturnam occasionem.

Vivis cum excellente viro, adolescens, præstanti ingenio, optima valetudine. Vivis Patavii, id est, in urbe scientiarum laude celeberrima, qvò, tanqvam ad mercatum, virtutis cupiditate ita omnes confluunt, ut inanes redire turpissimum ducant. (A) Plura non debeo. Novi enim, ad qvem: & hæc ipsa minimè necessaria videbam: sed obseqvendum amori fuit in te meo; qvi me tacitus, ut tecum de tua laude loqverer, hortabatur. Patri verò tuo, & optimè de me merito, & iis virtutibus, qvæ nobilem virum decent, in primis ornato, qvid est, qvod à me deberi non intelligam? Exstabit igitur in te, si qva re potero, studium meum: illum autem colam sensibus intimis in omni vita studiosissimè. Vale, (B) &, ut Mureti contubernio ac disciplina dignum te præstes, qvanti tuam laudem facis, qvæ mihi maximæ curæ est, tantum enitere. Venetiis.

MARCO ANTONIO MURETO, PATAVIUM.

EPIST. III.

1. Gratias agit Mureto de judicio.

2. Rogat, ut sibi describat Legem vet.

3. Monet, ut, si qvid peperit ejus ingenium, ad se mittat.

Form. Salutandi alium: Molinus meus &c. (A)

Formul. concludendi, ob chartæ inopiam. Charta me deserit &c. (B)

Bea-

BEasti me tuo judicio: si modo plus est à te veritati, qvàm amicitiæ, tributum. Qvod ego, qvi faveo meæ laudi, facilè mihi patiar persvaderi. Sed, amabo te, visne nihil Legem illam diutiùs deberi? nescis, qvàm sim studiosus hujus generis monumentorum? describe aliqvando: aut, si, stantem in media via describere, minùs honestum videtur, nec pudor tuus fortasse fert; da negotium homini diligenti; qvando Achilles noster vel negat, vel certè prorsus agit eo modo, ut negare videatur. Salutabis tamen eum meis verbis: cui certè fortunam opto, qvalem si magister ejus haberet, omnia bona, merenti pessimè, contingerent. Si qvid peperit ingenium tuum, dignum penè dixi utroqve nostrûm, sed si qvid te ipso dignum, mitte: ut constes humanitati tuæ atq; etiam constantiæ. Es enim pollicitus. (A) Qvid Molinus meus, flos omnium lepôrum, omniumq; virtutum? ut valet? jube eum salvere qvàm potes humanissimè. (B) Charta me deserit, ut vides, tecum svavissimè loqventem. Vale.

EIDEM PATAVIUM.

EPIST. IV.

Rogat Muretum, ut Tragœdiam sibi describat. Form. Clausulæ: Hæc aliena manu. (A)

UNam tragœdiam duobus ipsis diebus, cùm assiduè scripserim, absolvere non potui. Meorum oculorum, ut videor, res non est, ac ne digitorum qvidem. Qvid? ego habeo tuos articulos? huî, qvantum interest! reliqva igitur ad te rejicio. Vin-

ces me facilè celeritate, æqvabis in diligentia, si volueris. Finge, operam te dare, cùm describes, homini literarum & prorsus ignaro, & prorsus cupido. Finge, amico singulari: qvem explere officiis, si liceat, optabile sit. Qvanqvam hoc non finges. Nam, cùm à domesticis discessi, nihil habeo te carius. Veruntamen, hæc si sibi proposueris; de qvo rogandus non es; monere tantum volui; nihil qvidqvam omittes in describendo. Habes, qvam ego in me desidero, mentis constantiam, pectoris firmitatam. Hæc mihi morbi diuturnitas eripuit: qvæ video esse in te, utinamq; diu videam ἐν τῇ ἀκμῇ. Habes oculos in legendo, manum in scribendo exercitatem: vacui verò temporis qvantum vis: & vis in rebus meis plurimum; qvi te sæpè dixeris, professusq; sis ad meum arbitrium tua studia conferre. Nam, qvod ad gymnasii curam attinet; nec dies instat publici muneris, &, si instaret, opera hæc bidui tota est, bidui, inqvam, tibi nihilo longior: mea verò & diuturni temporis, & laboris esset non ferendi. Ad hæc si accesserit voluntas, qvæ mihi non venit in dubium, & inductio illa animi, qvæ magnas res facilè conficit: negotium habeo absolutum. Serva, mi Murete, qvod in te est, amicum tuum integellum: parce valetudini: nostram imbecillitatem, tuorum officiorum ope, sustenta. Scis, ἐμῷ βλέποντι, qvo amore, qvo consilio, qvo etiam præsidio fortunæ tuæ nitantur. ὄυλις ἐμεῦ ζόντι nosti reliqva. Hæc alienâ manu scripsi, cùm paululùm langverem. Totâ enim ferè nocte, nescio qvo casu, somnum oculis non vidi meis, aut vidi

tristi-

tristium imaginum turbâ permistum. Tuum Euripidem remitto, unaq; meum; qvem cupio similem esse tui. Ex ædibus nostris.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. V.

Accusat Mureti silentium &c.

MOnstri simile, Muretus non respondet: immemorne nostri? nefas credere: & hanc suspicionem longè animus respuit. At occupatus? hoc fortasse: verùm, ullane cursum amoris interrumpit occupatio? omitto jocum. Mi Murete, garrit sæpè amor; at tu siles: cum tamen, ùt opinor, ita me ames, ut fortassè nemo magis; qvod certè facis mutuò. Qvod si, qvia Legem illam describere per tua negotia non licet, ideò non scribis: rogo te, abjice istam curam. Abrogentur potius omnes leges, qvàm tuarum literarum fructu diutius caream. Nec tamen detrahi multum de otio tuo, meâ causâ, volo. Scio, tempus qvàm utiliter ponas. Illa satis erunt: Mi Manuti, valemus: & valere te, valdè cupimus. Τὰ ἠθικὰ sunt in manibus. Cum Molino tuo, cum Sosiano sæpe sum: planè vivo. Hac sententia, sed aliis verbis; id est, elegantissimis, qvibus ipse abundas, si scripseris; satis planè cupiditati meæ, (qvid enim dicam voluntati?) satis etiam officio tuo feceris. Video te exspectare aliqvid de meo discessu. Dies appropinqvat, vel potius jam adest. Jam, ut ille ait, sarcinulæ collectæ sunt omnes, nec ferè, qvod agam, supereſt. Itaqve

nonis

ronis Sept. cogitamus. Cum illo, qvi mihi nunqvam placuit, impuro homine, si qvid adversus me, suscipe, ut ego in tuis injuriis soleo; & sustine prælia: nervos enim habes. Ille, nostram vicem, ulciscetur sua malefacta. Nam invidiâ rumpitur: & habet, qvod intimis eum sensibus dies noctesq; excruciet. Nos laudabilia cogitemus, & ad præclara illa studia incumbamus: de isto ne meminerimus qvidem, qvi bonos omnes, hoc est, sui dissimiles, odit iniqvissimè. Vale, & amicis nostris (sunt enim ferè communes) plurimam salutem. Venetiis.

Scriptis literis, & jam obsignatis, hesternæ tuæ sunt allatæ, Græcè loqventes non minùs argutè, qvàm eleganter. Qvi possum paria paribus? si pergis, clamabo me circumveniri. Meherculè non tam aqvis ulli fontes, qvàm ingenium tuum scatet Græcis & sententiis, & dictis. Macte: extra jocum, amo te qvotidiè magis; qvia tu scilicet ad perfectam virtutem qvotidiè accedis propiùs. Sed pauca de re. Videsne, qvàm facilè tum ferantur, tum abrogentur leges? Ubi sunt, qvi tribunitiam potestatem accusant? illa qvidem, cum bona mente conjuncta salutaris. Sed hæc ne nimiùm curemus. Utere fortunâ tuâ. Ego alias regiones specto, invitus, nostri dissidii causâ: sed conjungemur animis; corporibus disjuncti. Id est maximum, in maximo dolore, solatium. De Philopono, qvia comes futurus est itineris mei, velim ineas rationem, si eum hîc reliqvisti, ut ad me qvamprimùm. Colligo omnia, ne qvid me moretur in discessu: non enim id agitur unum, ut voluntati meæ, sed illud simul, ut fidei satis fiat.

Re-

Respondet Muretus Volum. II. Epist. 1. Qvi possum, paria paribus?

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. VI.

Significat, Sigonium Bononiæ professorem futurum, & Muretо spem facit successionis in locum Sigonii.

TU vide, cui committas: ego enim binas tantùm accepi. Prioribus respondi nudius tertius, meamqve tibi de Bononiensi re non modò sententiam, verùm etiam voluntatem ostendi. His alteris, qvæ mihi redditæ sunt heri vesperi, si rem spectо, rescribere nihil est necesse; sunt enim ejusdem argumenti: sin tuam voluntatem; qvæ qvanta sit, ex tuis literis apparet: sunt eadem iteranda. Sic igitur faciam. Affirmo tibi, Sigonium nostrum si Bononiam ierit, præsensq; contenderit, certum futurum. Habet auctoritatem, ex hujus loci dignitate partam, mirè suis amplificatam scriptis, præsertim his postremis, insigni doctrinâ, judicio, ingenio, diligentiâ refertis. Studia Bononiensium civium facilè colliget. Civitas enim est ad humanitatem nulla propensior. Accedit, qvòd aut petet solus, aut cum iis, qvos neq; nominis fama, neq; verò, ut à nonnullis accepi, literarum scientia magnopere commendat. Bargæus enim, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, conditionem illam certè non spectat. Qvi enim Pisis dominetur, & sua virtute, qvam novimus excellentem, & Principis gratiâ, cujus in ditione natus est; qvo consilio ad res novas animum adjiciat?

at? Ergo, si Bononiæ Sigonius; vides, qvid seqvatur. Diis hominibusq; approbantibus in ejus locum ascendes. Qvo mihi nihil esset optatius. Nam speciem habet Bononiensis conditio majorem, ut in gymnasio Italiæ celeberrimo: emolumenti certè haud paulò plus hîc video futurum. Atq; etiam de dignitate videro. Tractantur omnino literæ splendidius in publicis gymnasiis: & docetur loco superiore virtus majore cum gloria: sed clarissimum Venetiarum nomen qvasi luminibus obstruit Italicarum omnium civitatum: & hîc ortum decus facilè manat, ac diffunditur per omnes gentes, propter hujus urbis communionem & qvasi societatem cum orbe terrarum universo. Hic venit in mentem; Cur tu igitur migras? Alia ratio est: ego urbem linqvo, non cum urbe emolumentum. Qvin hoc augeo vehementer; illam prorsus amittere non videor, qvia Romam specto. Habes meam sententiam: qvod qvidem ad te attinet. De Sigonio autem, qvia nihil est tam amplum, qvod ejus virtus non æqvet, meam, ut opinor, divinationem exitus non fallet. Nisi si qvid attulerit casus; qvalia fert hominum vita. De Molini nostri valetudine, cùm rescribes, adde verbum, si me amas Vale. Venetiis. Nonis Septembr. qvo me die discedere cogitantem nova res detinuit.

El-

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. VII.

Muretum ægrotantem hortatur, ut in studiis sibi parcat, & modum servet.

QVid homini non timendum? cùm te, tam validum, istis lateribus ista ætate, nihil tale metuentem, animus reliqverit. Valdè me percussisti tam gravi nuncio, eoqve magis, qvod ignorare te causam scribis. Nam, tuendi tui qvam rationem inibis, si te morbus invasit imprudentem? tuam continentiam narras: eqvidem ita credo. Unde igitur fluxit vitium? Parce tibi in studlis, mi Murete, pro eo qvanti ipse tibi es; aut, si te ipse non diligis, qvem omnes penè diligunt, pro eo, qvanti ipse apud te sum: qvem tu nisi magni facis, egregium simulandi tenes artificium. Nescis modum esse retinendum in omni re? nescis, virtutem nimis appetere, virtutem non esse? Age igitur, jam te respice, si minùs antea: tibi consule; & eam qvære gloriam, qvæ te viventem oblectet, non qvæ discedentem è vitâ proseqvatur. Ita diu jucundè vivam, ut acerbè nunc vivo, qvia sollicitus de te sum. Medicos habes doctrina singulari, qvorum consilio uti possis: cælo uteris clementissimo: in rebus tuis nihil, opinor, est incommodi. Genus enim vitæ non honestum minùs, qvam utile, delegisti: etsi te scio de re & lucro minimùm laborasse; illa verò habuisse prima, qvæ nec mihi postrema unqvam fuerunt, deeus & amicitias nobilium virorum. Hæc cùm ita sint,

modò

modo paulò minùs mentem, & paulò magis corpus exerceas, rectissimè tibi erit: nosqve, tui peramantes, afficies maximâ lætitiâ. Qvod auguror futurum: &, ut meam spem, qvantum in te est, exitu confirmes, teipsum tuâ, nec minùs meâ, causâ rogo. Kal. April. omninò te, sin id minùs, Catullum tuum exspecto. Diem unum prorogari, ère, mea non est. Vale.

Respondet Muretus Vol. I. lib. I. Epist. 3. Heri redeuntem.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. VIII.

Respondet expostulationi Mureti, qvi indignè acceperat ironiam, vel jocos à Munitio usurpatos, & se imposterum vitaturum dicit, qvod in utramqve partem flecti posset. 2. Deinde excusat se, qvod de Plauto edendo scripserat; & ejus editionem Mureto perlubens permittit, qvanqvam desperet, ipsum novi aliqvid orsurum, qvi commentarios jam ad exitum perductos nolit perpolire.

PLanè non assequeris, ut video, qvorsum illa de Momo scripta sint à me. Non enim id spectavi, tuam ut remorarer industriam, sed ut acuerem potius, atq; incitarem. Tu autem ita commotus es, ita mecum vehementer ac penè iracundè agis in epistola tua, ut vix tibi temperes; ac ne satis qvidem, cum velles, temperare potueris, qvin aculeos etiam in me nonnullos emitteres. Deinde qvasi blandiris in extremo, verbis utens amantissimis, atqve hono-

honorificentissimis ; cùm ea mihi tribuis, qvæ si respuerem, ipse me non amarem. Tanti enim mihi sum, qvanti ab iis, qvibus ego plurimum tribuo, fieri me sentio. Ac putabam, mi Murete, meos tibi sensus benè cognitos omnes esse : qvod si paululum à mente qvandoq; aberraret oratio, non esse facturum, ut eò mea verba detorqveres, qvò neq; meum judicium, neq; nostra jam penè fraterna necessitudo ferret. Qvod qvando secus video contingere ; aberit posthac à meis literis omnis ironia, aberit jocatio, qvicqvid deniq; ejus esse generis intelligam, ut in utramq; partem flecti possit. De illo ne meminero qvidem, si potero : hominem enim contemno : silentium qvidem, qvod potero, ipse mihi imponam. De Plauto : videor tibi scilicet, qvod ajunt, in alienam messem. Sic enim illud interpretor, *Ame, ut scis, efflagitabatur.* Tu vero, me perlubente, rem suscipies : si modo, qvod contrà mihi videbare, animum induxisti, ut efflagitantibus brevi satisfacias. Verum, si præclaros de Finibus commentarios, ad exitum jam perductos, paucorum dierum studio perpolire non vis, & magno literarum damnô pateris jacere ; qvi sperem te aut velle hoc tempore novi aliqvid ordiri, aut, si ordiaris, posse pertexere? Magni negotii est, qvantum otii res exigat, tuis occupationibus eripere ; non minoris, à te ipso, ut velis, impetrare. Facio tamen æqvissimo animo, ut in te rejiciam, ac transferam, hoc, qvicqvid oneris, aut laudis est ; consulatur, modò publicæ utilitati. Id, non modò à te, qvem foro in oculis, sed si vel ab iis, qvos & de facie, & de no-

mine prorsus ignoto, præstabitur, æqvè lætabor. Qvare non solùm per me licet, verùm etiam, si pateris, precibus tecum ago, ut ad emendandas, illustrandasq; Plautinas comœdias tuam excellentem industriam conferas. Vereor tamen, ne qvod summè cupio, id frustra rogem, atq; exspectem. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. IX.

Respondet Mureto ad Volum. I. lib. I. Epist. 4. De Tibullo & Propertio.

Rogat Muretum, etiam ad Tibullum & Propertium emendandos animum adjiciat, respondens exceptioni de occupationibus, ad qvas forte velit confugere.

REm tenes: optimè tres poëtæ conjungentur: ille M. ANTONII MURETI COMMENTARIO ILLUSTRATUS; reliqvi duo, si rem suscipis; qvod ita liberaliter, ac benignè polliceris, ut à me non minorem verbis, qvam re gratiam ineas; AB EODEM EMENDATI. Qvod si, ut significas, ad emendationes aliqva præterea fiet accessio: næ ego tunc, verè mutuam inter nos esse benevolentiam, intelligam, ac velle te mecum officiis certare: in qvo antea (dicendum est enim) potuit esse illustrior amor tuus. Confugies videlicet ad occupationes: ego ad illud: Nulla potest esse occupatio tanta, qvæ amoris & officii cursum debeat interrumpere. Me ipso qvemqvamne tu magis impeditum à negotiis, districtum à curis unqvam nosti? qvis tamen amicorum (amicorum

corum autem? imò verò etiam alienorum) negotia curat libentius? tuâ sanè causâ noctis etiam partem cogitando sæpe consumpsi, cùm tamen corpusculi tenuitas maximè qvietem postularet. Sarcies igitur, si qvid omissum: vel, si nihil, auge superiora; qvood certè potes, &, si meum in re animum spectas, etiam debes. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. X.

Respondet Mureto ad Volum. I. Epist. 13. Si nihil est. *Ejusdem ferè argumenti.*

REmitto scholia, ut habeas corrigendi facultatem. Qvanqvam est, cur addas potiùs, qvàm mutes. Qvid enim? totusne qvartus liber ita mendosus aut obscurus est, nihil ut assequare, nihil scriptione dignum excogites? mihi non probabis, nec omninò cuiqvam, tuum in Catullum præstantem commentarium qvi legerit. Confice igitur, qvantum qvidem per te licet. Licet autem tibi, qvod, ut ego sentio, qvàm pauciſſimis. Nos opus nostrum intermisimus tuâ causâ, tuum ipse opus nostrâ causâ ut urgeas, atq; absolvas. Nec dubito qvin, si adniti volueris, & qvasi cum ipsa re contendere, qvod ego interdum soleo; magna ex parte præstes id, qvod præter opinionem meam, ut aliqvid ἐκ τῶν ἀδυνάτων, abjecisti. De rebus tuis, qvæ mihi mehercule magnæ curæ sunt, consilium dies afferet; animus certè meus fluctuat: ita multa in utramqve partem occurrunt Placet constantia; ita; sed si cum uti-

utilitate conjungatur. Utilitatem porro non lucrò magis, qvam dignitate, metiamur. Qvod tu qvoq; videris significare in illo loco, *Vellem hic paulo ἀνθρωπότερον vivere liceret.* Verùntamen, mi Murete, si qvid agimus minùs interdum splendidè, contrà qvàm nos præclara liberalium disciplinarum studia docent, excusamur temporum iniqvitate, & multorum exemplo; qvi cum affluant iis rebus, qvæ sæpe à nobis, fortunæ potiùs culpâ, qvàm nostrâ, desiderantur, qvotidiè tamen aliqvid ultrà appetunt: qvam meus magister Egnatius, si audires verba, summam stultitiam; si vitæ rationem spectares, planè singularem sapientiam judicabat. Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Volum. I. lib. I. Epist. 16. Moriar, si qvicqvam.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XI.

Svadet Mureto, ut Terentium illustrandum suscipiat. Se, ait, Plautum esse aggressurum, in qvo sperat, se aliqvid præstiturum, nisi nimis crebrò interpellaretur.

QVinctilis Kalendæ, qvem tibi ego diem desnieram, præteriérejam, ùt vides. Itaqve, si qvam ex meis literis de perpoliendo Catullo tuo curam susceperas, eâ te libero. Temporis enim coactus angustiis, mandavi meis, ut alia qvædam prelo subjicerent. Mensem, qvod ad me attinet, vel integrum, eoq; amplius, licet interponas. Interim ad Terentium omnem tuam industriam, svadeo, conferas

feras. Novi omninò te laudis in studio nunqvam langventem: sed in hoc libro, qvi maximè omnium versatur inter manus, ipse te debes incitare, & eò magis, qvod erit, qvi editum statim arripiat, syllabatimq; omnia dimetiatur. Admodum enim severè, ac studiosè judicat aliena; sua verò premit, exire non patitur, diu licet evigilata, acerbus etiam in se ipsum, minimeq; indulgens. Ego accingor ad Plautum. Nec desperarem aliqvid à me, si minùs ingenio, saltem diligentiâ, posse præstari: sed interpellant salutatores à manè ad vesperam; honesti illi qvidem, cupidi virtutis, officio, & amore erga me, ut videntur, incensi; tamen interpellant. Scis illa Ciceronis nostri, ad Sebosi, Arriiq; adventum ingemiscentis. Hui, unumne ego Sebosum, unum habeo Arrium? videlicet: sexcentos: qvibus, velim nolim, horæ dandæ sunt omnes. Ex qvo qvantum molestiæ, qvantum hauriam acerbitatis, ipse, qvi meam consvetudinem, ac meos planè sensus tenes, facilè potes conjicere. Nam rem familiarem, etsi minimè abundo, jacere tamen æqvo animo patior: studia verò mea negligere nullo modo possum. De tuo adventu spem nonnullam injeceras: eam rursus extenuant postremæ tuæ literæ. Ego illud scilicet primùm, ut habeas rationem valetudinis; secundo loco, qvod tuo commodo fieri possit, ut te nobis restituas, exopto. Qvid Molinus noster, qvid agit? qvid autem ego hoc qværo? nimirum ille totos dies tecum, id est, in virtute totus est; nec tamen complexus doctrinam dimittit, judicio adductus suo, meo consilio confirmatus. Vale. Hæc ante lucem, cubans

bans in lectulo, amanuensi meo, & jam meorum studiorum socio, dictavi, nobili adolescenti Cyprio Herculi Podocatharo, qvi cras Patavium cogitat, teq; meo nomine salutabit. Illa superiora familiari meo, Sebastiano Leoni, qvi se fortè obtulerat, dictaveram inambulans, qvod eram paulo crudior: nec ferè mea manu libenter uti soleo.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XII.

2. Respond. commendationi Mureti; & se amare scribit eum, qvi literas ejus attulisset. 2. Hortatur, ut Catulli commentarium mittat, & duos ejus comites ornet. 3. Filium qvinquennem se missurum Epidaurum, scribit, ut ibi informetur. 4 Hortatur ipsum ad crebras literas scribendas.

QVi mihi tuas attulit literas, ei ego meam omnem operam, si qva in re vellet uti, atq; omninò qvicqvid valeo, tuâ causâ detuli. Visus est meam amicitiam plurimi facere, & à me, præter eam, nihil expetere. Qvod illi facillimum fuit impetrare. Nam cum omnibus naturâ pateo; tum verò, qvi à te diliguntur, amore meo nunqvam excludentur. Catulli qvod apud te reliqvum est, biduo si miseris, satis opportunè facies. Deinde mihi orna duos comites ejus, utrumq; dignum, ubi nervulos ingenii tui contendas. Etiam illud, mihi tribuis petenti, qvod ante omnia, & unum fortassè, spectare te puto. Cras, ad summum perendie, tria Catulli folia mittam. Filiolum meum Hieronymum, nondum

dum qvinqvennem, Aldo parem ingenio, valetudine firmiorem, mandare Epidaurum ad hominem eruditum, meiq; peramantem, Paulum Bosium, cogitabam. Ibi moribus, & primis literis imbuetur. Nam ego me ad hæc humilia demittere nullo modo possum. Qvid præterea? nihil scilicet: imò aliqvid. Scribe, amabo te, mi Murete, ut instituisti, qvàm sæpissimè, Meherculè, è summis, atq; assiduis non modò negotiis, verùm etiam animi curis, tantùm in tuarum epistolarum elegantia, & svavitate conqviesco. Atq; etiam, dum ipse ad te scribo, qvia te mihi præsentem statuo, mutuumq; inter nos sermonem fingo, incredibili voluptate perfundor. Vale. Venetiis. Hercules meus, qvia festus hodiernus dies est, abest. Ideo hæc mea manu, decies interpellatus, exaravi.

Respondet Muretus Volum. II. Epist. 2. Qvòd te à curis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XIII.

Probat Mureti consilium, qvi svasu Jannotti Patavii manere decreverit, spreta conditione Ferrariensi; eoq; nomine sibi gratulatur, & studia sua ipsi pollicetur. Deniq; à Molino sperat, se artem memoriæ, qvam tenet, impetraturum.

AIsne? Jannottus ita svasit? vix adducor, ut credam; tibi tamen cur non credam? ego meherculè, qvod Jannottus probare videtur, id non solum probo, verùm etiam mirificè cupio. Qvid enim mihi svavius tua consvetudine? qva nihil ju-

cundius. Tuo verò sermone qvid utilius? qvi solet esse tum eruditus, ingeniiq; notis adspersus, tum etiam benevolentia refertus in me singulari. At, Ferrariensem conditionem ut acciperes, auctor fui. Id qvidem (tu scis: facilè enim potuisti conjicere) valdè contra meam voluntatem: cui nihil potest esse molestius, qvàm à te divelli. Sed qvid? an ego paterer tuam fidem in dubium vocari? qvâ maximè probitatis nititur opinio. Dixeras de Turulone, præstanti viro, non solùm animi, verùm etiam fortunæ bonis ornato: cujus mihi fuit, item ut esse debet, auctoritas gravissima; nec ausus sum repugnare: dedi manus. ἐπόν, concluſi. Qvod si Jannottus, qvem novi rerum agendarum usu peritissimum, antiqvi hominem officii, pollicetur sese impetraturum: suscipio; qvod abjeceram, consilium; nec jam amplius ἐπόν, sed hîc, hîc nimirum φιλοσοφητέον, idq; nobiscum, summa cum animi voluptate clamo. Ergo, qvod jam instituera, observabo omnia, omni enitar studio, omnibus inserviam. Volo te benè sperare, me agente, bonis faventibus, invidis & obtrectatoribus imbecillis. Molino parum abest, qvin vehementer invideam. Qvid ni? artem memoriæ tenenti. Veruntamen impedit amor, à qvo abesse solet invidia: etiam ea spes, qvòd ille, qvo eum bono alienus homo impertivit, civi suo, homini amantissimo, fortasse etiam benè merito, certè nunqvam denegabit. Esset enim sui dissimillimus, id est, humanitatis expers. Sin recusat: allegabo ad illum, qvem? qvem putas? te scilicet, cui debet omnia: si modò in virtute omnia posita sunt:

qvam

quam ille discit te magistro. Καὶ σὺν τῷ δύ' ἐχόμεθα; quid non impetremus? Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XIV.

Primò negat, se Mureto plus oneris impositurum, quàm occupationes ejus fuerant. Deinde illum hortatur, ut Tibullum & Propertium eodem modo, quo Catullum jam expolierat, adornet.

PRofectò nihil est uberius amore in me tuo: nec amori cedit ingenium; itaque meâ causâ & vis omnia, & idem facilè præstas. Quod cùm ita sit; nimis tamen facerem impudenter, atq; adeo neq; ipse te amarem, nec amore tuo dignus essem, si plus tibi oneris imponerem, quàm occupationes patiantur tuæ. Scholiis, quæ polliceris, contentus ero; quandoquidem video te commentariolo non vacare. Tu modò, qui Catullum expolieris, da operam, ut in Tibullo, & Propertio, qui locum illi proximum in elegantia verborum, atq; in sententiarum concinnitate obtinent, quàm simillimum tui te præbeas; ita tres pulcherrimi poëtæ & sine dubio inter Latinos in illo festivo genere principes, veterem suum splendorem, ereptum vetustate, atq; hominum insciti, tuo maximè studio recuperabunt. Ego autem ipse mihi gratulabor, & quodammodo gratias habebo, quia te ad hanc industriam excitaverim. Nec desinam eadem ratione de literis, quando per humanitatem tuam licet, benè mereri: cum eo tamen, ut tibi, homini occupatissimo, studiosorum

rum utilitatem, id est, tuam laudem verecundè commendem. Molino meo salutem, & simul age gratias de scriptis mels. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XV.

Mureti silentium accusat: ut & Molini. Verbum Calvier *in antiquo Codice repertum ait. Ut absoluto Propertio ad Terentium accingatur, monet.*

BInis jam literis de Marcello: nec tamen à te verbum. Valdè te distentum esse oportet, qvi tam longis diebus, tàm pone tuas ædes habitantem alloqvi non possis. At qva de re? primùm meâ, deinde eâ, in qva non ultra sex aut septem verba sermonem continuare sit necesse. Qvare, si te nimis ursi, velim ignoscas; tum, si per tuas occupationes licet, frustra ne ursérim, efficias. Qvid? Molino nostro negotium dederis; non recusábit, nostrâ utriusq; causâ. In qvo danda opera est, ut omnino responsum ab illo aliqvod exprimatur. Nam ex hominis diuturno silentio adductus sum in suspicionem, ne parum sincerè mecum agat, & exactum neget, qvod jam in usum suum erogaverit. Qvod eqvidem cupio esse falsum, & me de amico pervetere scelestè suspicari. Nunc audi, qvod tua magis interest. Qvanqvam nihil ad te pertinet, qvod me qvoq; ipsum non attingat. Nec te puto aliter esse animatum erga me. Veruntamen audi, qvod certè non exspectas. Qvænam ei deberi à te putes evangelia, qvi librum invenerit antiqvum, & illam aperuerit

ruerit latebram, ubi, Calvier, illud sit aliqvando deprehensum? eqvidem incessi omnibus lætitiis, ut ait ille. Sedabuntur enim illæ turbæ, & comprimetur qvidqvid erat sermonis adversus te dissipatum. Qvod ego & tuâ, & eorum, qvos dilexi semper, causâ vehementer cupio. Verùm primùm qvidqve explicemus. Nunc Tibullus instat, denuo prelo subjectus. Is, & qvi seqvitur, Propertius, absolvendi tibi sunt. Deinde ad Terentium accingere. Interim da operam, ut Bembi libro uti possis: cujus ope qvin maculas eluàs benè multas, & suos versibus numeros, alienâ culpâ perturbatos, restituas, etsi non dubito, tamen hortor ut adhibeas diligentiam. Cupio enim de te omnes benè sentire: cupio comprimi os paulò liberiùs loqventium; qvi non modò te, verùm me qvoq; videntur ignorare, non sine causâ ea, qvæ soleo, de tuo ingenio, ac judicio, prædicantem. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM,

EPIST. XVI.

Nunciat Mureto, amanuensem sibi restitutum esse, atq; hoc nomine valde lætatur.

PAululum nunc qvidem ego exorior: posteaqvàm mihi amanuensis meus, qvem abduxerant aliena consilia, optans, optanti restitutus est: cujus operâ, & officiò meis oculis, vel planè totius corporis veletudini consulitur egregiè. Jam me labefactabat, jam nutare cogebat labor; stomachumqve adjicere qvotidiani vel operis vel officii scri-

scriptio necessaria cœperat; & is, qvem Bononiâ exspectabam, differebat adventum usq; eò, ut, venturus esset, necne, vãldè jam suspicarer, atq; subdiffiderem. Qvi si venerit, erit omninò aliqvid, sed, ut arbitror, nihil ad Herculem: qvem scis meam non modò orthographiam, totamq; interpungendi & distingvendi rationem tenere, verùm ita manum qvoq; cùm velit, imitari, ut te ipsum, peritissimum literarum meatum cognitorem, aliqvando fefellerit. Scribe, inqvis, ubi tantùm necesse est: ita scribes rarò. Non ita est; possem studia mea, qvæq; habeo instituta, qvæ multa sunt abjicere: literis verò salutantium amicorum, aut aliqvid à me postulantium, qvaternis in die minimùm, sæpe octonis, & denis, non respondere qvî possum? ut omninò aut amittenda valetudo, aut humanitas deserenda videatur. Qvare locum habes gratulandi. Debes enim meis perinde commodis gaudere, ac tuis, magis etiam fortasse; qvòd ego minùs qvàm tu, possum incommoda sustinere. De Tibullo, cessator esse noli, etiam si tibi ego cessandi facultatem prolixè detulerim. Est enim, ùt scripsi antea, unius preli opera, ne tibi crebra appellatione molesti essemus, intermissa. Verùm istos ego qvotidiè poëtas, qvos in manibus habes, amo vehementius. Causam qværis? qvia tuas, amantissimè ac diserti ssimè loqventes, eliciunt epistolas: qvarum non modò svavitate, verùm etiam fructu aliqvo, occasione sublatâ, carerem. Qvod cùm ita sit; cupio tamen, atq; etiam, si pateris, rogo, rationem habeas rerum mearum: qvibus qvo longior, eò gravius procrastinatio damnum

mnum inferet. Vale. Ante solis ortum, albescente die. Venetiis.

Respondet Muretus Vol. I. lib. I. Epist. 12. Heri ad te.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XVII.

Respondet Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 6. Si Pegasi.

Quæritur, nulla Catulli folia ad se perlata esse.

Quæ si perierunt, magnum damnum se fecisse asserit.

TU vide, cui credideris. Nam ad me nulla dum perlata sunt Catulli folia. Quæ si periere: damni factum est eò plus, qvòd nec ad illa, qvæ sunt apud te, licet transilire. Qvandoqvidem ordo foliorum non servatur; nec pagina paginæ, nec versus versui respondet. Itaq; magnam utriusq; nostrum causa sustineo molestiam; vereorqve, ne, qvod aliena culpa contractum est, nimis ego id graviter luam. Tota enim typographiæ ratio mutetur necesse est, nisi hæc, qvæ ne funditus interierint, magnopere timeo, hodie folia recuperantur. Qvod utinam ex hac difficultate, in qvam alienâ vel socordiâ, vel perfidiâ conjectus sum, tuæ me literæ eripiant; qvas ad meas hesternas cras exspecto, & ad has omninò perendie. Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Vol. II. Epist. 4. Ardeo iracundiâ.

EIDEM, PATAVIUM.

Scriptam esse apparet hanc epistolam statim post præcedentem, & ante acceptam qvidem à Mureto responsionem.

EPIST.

EPIST. XVIII.

Lætatur ob reddita Catulli folia, quæ perdita fuisse putabat.

SEdata jam tempestas omnis est, & navigamus in portu. Redditæ mihi sunt hac ipsa hora, quæ tu tribus antè diebus miseras. Qvinqve Catulli folia delata priùs ad eum, qvi libros in Asulana tractat officina; hodiè tantùm, ut ipse asseverat, an, ut ex literis tuis oportuit, nudiustertius, divinare non possum. Hoc certè video, per communes tabellarios non esse missa: qvorum fides in reddendo desiderari non solet. Sed profectò fortuita multa; qvibus perturbari, & fluctuare vitam hominum, necesse est: qvæ cavere consilio, aut ratione si liceat, benè cum multis ageretur. Penderet enim à prudentia felicitas. Nunc æqvè omnibus occurrunt incommoda: Usq; qvaqve casus, & fortuna dominatur. De filiolo meo, amabo te, qvemadmodum animo; sic lingvâ faveas, primùm amoris nostri, deinde ominis etiam causâ. Auferet ille qvidem omnem jucunditatem: & planè divellar à me ipso; sed hoc tamen antepono, nisi fallor, salutare consilium; &, ut ei consulatur, animum vinco. Qvod iterum jam ad me, Molini manu, gratulor, penè etiam subinvideo. Meus enim à me, nec ut puto, rediturq, Tiro discessit: qvo consilio, de ipso cognosces. Cùm ad me retulisset, neq; svasi, neq; dissvasi; ne dissentirem in hoc ab ipsius patruo, in illo autem à me ipso. Svasi etiam potiùs. Contra voluntatem, inqvies & judicium? sic sum. Avertere à me volui, qvæ poterat

rat exoriri, suspicionem utilitatis, & commodi mei. Clausula sit, qvod initium Epistolæ fuit. Restitutus mihi videor, inventis Catulli foliis. Tu qvoq; redi ad tuam tranqvillitatem, nec institutum omitte. Vale.

Respondet Mureto Vol. II. Epist. 5. Qvàm pænè furvæ.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XIX.

Respondet Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 8. Ego verò te nihil.

Consultus à Mureto, cui Opusculum suum inscribat, respondet, se id nescire: qvandoqvidem divitum inscitiâ bonæ artes jaceant: Nominat tamen duos, qvibus id inscribi posse existimat.

QVid? tu me putas hoc in genere acutissimum? fuit, cùm ipse qvoqve mihi planè ita persvaderem: nunc nihil minùs. Nam hoc toto biennio prorsùs nihil vidi? &, ut omittam cetera, meum illud tantarum vigiliarum munus, non tibi venit in mentem, qvàm miserè perierit? itaq;, qvi mihi ipse tam malè consuluerim, invitus adducor, ut alteri consilium dem, Vides jacere bonas artes; illa sordere, qvæ præclara ducebantur. Cujus maximè vitii culpam sustinet eorum inscitia, qvi putant scilicet in opibus esse omnia, & fortunæ pedisseqvam esse virtutem: stultè: nam illi & viventes audiunt pessimè, verissimisq; maledictis proscinduntur; &, ubi è vita discesserint, æterno silentio damnati, apud omnem posteritatem ignorabuntur. Nos autem nunc qvidem fruimur svavissimâ omniũ, & jucun-

cundissima voluptate, qvæ manat ex honestis cogitationibus, ac studiis: nec erit, opinor, ulla, qvæ nostræ vitæ cursum definiat, dies. Non in omni ætate decus, ac dignitatem pariet ea, qvæ nunc, auri, argentiq; vis. Suus cuiq; aliqvando, pro animi ingeniiq; præstantia, persolvetur honos. Interim vivamus nobis ac literis, sejuncti ab iis, qvos nutu appello, id est ab ipsa planè barbarie; ne qvam ex eorum convictu labem contrahamus. Munusculum tuum non video, cui deferas. Inania tibi nostra, mihi nec peregrina solida videntur: siqvidem ipse, qvod jam significavi, diu peregrinatus, oleum & operam. Nobilitatem & virtutem si qværis, est Bononiæ Camillus Palæottus, Mediolani Bartholomæus Capra, duo qvavis laude, ut ego sentio, excellentes viri. Capram nunqvam vidi, sed hominum sermone, tanti facio, qvanti, si ille sciat, studio me, non dubito, qvin mediocri complectatur, & in amicitiam planè intimam recipiat. Palæotto, qvæ est hominis humanitas, usus sum, qvam diu Bononiæ fui, familiarissimè. Omnes in eo disciplinæ sunt, nobili viro dignæ: morum autem elegantiâ, comitate, officiô summus est. Hi sunt nobis ornandi, & diligendi: Crassos qvosdam, ac Midas nunqvam omninò nostra meliores laudatione faciemus. Qvin ita desipiunt, ita ipsi se ignorant & ignorari ab omnibus putant, ut in sinu sibi gratulentur; qvasi sint, qvos esse fingimus: cùm nos ea ipsa, qvæ desideramus in illis, ad cohortandum, non ad laudandum, colligamus. Habes meam sententiam, qvos vites, qvos deligas. Nominare præ-

præterea multos possem: sed incerta ratio est: & illi duo excellunt? Occurrit illud: Ad ignotos, non facillima ὑπόθεσις. Aliis, fateor: te qvidem ab hac difficultate vindicat ubertas ingenii tui. Alterum est: Ambitionis, aut etiam levitatis cavenda suspicio. Locus omnino aliqvis calumniæ dabitur: sed omniane curanda? nimis misera conditio. Valeant iniqvi: rectè sentientes probabunt: nec nos ii sumus, qvi à multitudinis depravato judicio pendere debeamus. Vale.

Respondet Muretus Volum. II. Epist. 6. Qvod igitur.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XX.

Legitur & inter Epistolas Mureti Volum. I. lib. II. Epist. 21. & ipsi respondet lib. I. Epist. 9. De Propertio.

Laudat in Mureto ingenii δεξιότητα, atq; eo nomine cùm ipsi gratulatur, tùm etiam Italiæ, cui novum decus accessurum sit, ipso in ea sedem locante.

MIhi verò, ita vivam, etiam atq; etiam probatur. Et, cùm in qvovis genere magnus omnino sis, in hoc maximè videris excellere. Planè (ut omittam reliqva) ingenii tui qvasi qvandam δεξιότητα sum admiratus! Ita concinnè, ita aptè, facili qvodam sententiarum nexu rem ducis, donec ad ipsum pervenias: in qvo te, ubi scis hærere, multos, circa omnem adulandi suspicionem, summâ explicas cum dignitate. Gratulor tibi de ista facultate, & eò magis, qvòd, si locis impertitur gloria, novum decus accedet ad Italiam nostram:

in qva sedem, auctore atq; auspice me uno, ita locasti, ut cogitare nihil prorsus de migratione videaris, Nec verò secus debes. Valde enim ad literarum elegantiam, planeq; ad omnem humanitatem tibi profuit hoc cœlum, è qvo jam per qvadriennium spiritum hauris. Itaqve noster eris perpetuò, mi Murete, si gratus esse vis: qvod profectò vis: soles enim hanc virtutem præter cæteros efferre. Tibulli principium mitte, ut cum epistola conjungatur. Scholia, non dubito te operam daturum, ut tua videantur, id est, lita luminibus ingenii, & qvantùm res paritur, erudita. Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Volum. II. Epist. 7. Epistolam meam.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXI.

Respondet. Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 5. De Torqvato.

1. *Monet Muretum, ut Propertio illustrando operam det, & illum una cum Tibullo dedicet Torqvato Bembo.*

2. *Germano sibi commendato, qvantumvis peregrinitas repugnet, tamen studia sua non defore promittit.*

GRæcos typos, meumqve de Syriano edendo consilium probari tibi non mediocriter, significas. Sic putaram: & in utroq; nunc mea tum opinio, tum voluntas, te approbante, qvi mihi multorum instar es, magis magisq; confirmatur. De Catulli clausula, parùm commodè: sed nihil, Mureto

retô petente, recusandum. Video te Propertium negligere: cùm ego me illis verbis, qvæ sunt in prima Catulli pagina, qvasi prædibus obstrinxerim: AB EODEM CORRECTI, SCHOLIISQVE ILLUSTRATI. Itaq; nec integrum jam est: &, si sit, cur tu poëtam elegantem, maximeqve omnium Latinorum fabellarum varietate, hoc est verè poëtica eruditione florentem, abjicias? Etiam illud: oblitusne es, ei te commentarium publicè esse pollicitum? Scholia, saltem, si commentario non vacas: & utrumq; Torqvato: aut, si uni utrumq; non vis, Propertium, cui videtur: inops enim ab amicis non es; sed malim utrumq; Torqvato; qvi nobilitatem à patre, virtutem habet à se ipso. Dices, tibi otium deesse. Si hoc impedit; faciam, ut abundes. Inibo enim rationem ejusmodi, ut operæ meæ, qvarum tibi molesta nunc celeritas est, gradu testudineo pergere videantur. Germano tuo cupio meherculè satisfacere: sed adversantur multa, maximè peregrinitas, haud satis apta nostris moribus, & ignoratio sermonis Italici. Meum tamen illi studium nullo loco deerit, si monuerit; sin ipse aliqvid videro, in qvo liceat ejus rationibus consulere, aggrediar, &, qvantum in me erit, perficiam. Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Vol. I. lib. I. Epist. 9. De propertio.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXII.

Respondet Mureto ad Volum. I. lib. I. Epist. 11. Heri ad te.

Scholia Muretii in Tib. & Propert. laudat; utq; pergat, monet.

VEhementer mihi arrisere tua scholia, sic inqvam, ut ferè se commentario æqvare videantur. Perges igitur, diis benè juvantibus. Cupio tuum Plinium: qvem dare poteris amanuensi meo: cui reditum patruus, nuperè Cypro advectus, multis à me verbis impetravit. Exspecto reliqva; qvod tuo tamen commodo fieri possit. Nam, ut tuis consuleretur studiis, & commodis; cessare de duobus prelis unum maluimus, qvàm te nimis urgeri. At tamen rogo, des operam, ne longiùs ducatur. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXIII.

Qveritur de suis calamitatibus.

OMi Murete, qvot me premunt onera! qvibus angor curis. Accedit imbecillitas valetudinis, qvam, do eqvidem operam, ut omninò tuear, ac sustentem: sed vacillare interdum necesse est: ita multa incurrunt in nos; qvæ nec vitare licet; nec sumus ad sustinendum pares. Tu me, tuus amor, tua virtus multum levat. Qvod spero perpetuum, nec, ut ait noster, constantiæ causa, sed voluntatis ac judicii. In erratis cur numeras Mœror, & Flamma? qvorum alterum vetustas universa, alterum consvetudo probat. Etiam, Sæcula, tum scribebant. Nam Varro in Etymologiis Varro non videtur; itaqve & à Qvinctiliano meritò ridetur. Exspecto Tibulli folia, qvæ supersunt, & scholia, Vale.

EIDEM,

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXIV.

Respondet Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 12. Ego veri Herculi.

Gratulatur Mureto de Ferrarienſi conditione, ſi verâ ſunt, quæ ſparguntur: Sin minùs, hortatur ipſum, ut Patavii diu commoretur. 2. Queritur de Mureti amico, qui ad alium de ſe falſa detulerit.

MOlino dixeram, qvæ tibi ſi narravit, iteranda non ſunt; ſin omiſit, committenda literis non videntur. Nec tamen te diutius celabo: interim hoc unum; qvo fortaſsè contentus eris: ad alios potius, qvàm ad te, pertinere, nec ullam omnino tuæ dignitatis & exiſtimationis partem attingere. Hìc ſermo increbuit, ex qvadam tua, ut audio, ad Lambinum epiſtola, captum tibi jam eſſe de Ferrarienſi conditone conſilium. Qvod ſi ita eſt; magnopere gaudeo, ac tibi Deum ea, qvæ cogitas, vehementer cupio fortunare. Sin autem hæc inania ſunt, ac temerè jactata: æqvè lætor; teq; hortor, pro mea in te benevolentia ſingulari, ut habeas rationem in primis non modo tranqvillitatis, verum etiam conſtantiæ tuæ, velisq; Patavinam commorationem eſſe qvàm longiſſimam. Ego tamen, qvidqvid egeris, meam non modò voluntatem, verùm etiam ſententiam cum tua conjungam; ſed vereor, qvod minimè velim, ne qvis, in te non rectè animatus, ſermonis materiam nactus, levitatem objiciat. Jam enim qviddam inaudivi. In Tibulli

qvartum, aveo scire, cur nihil volueris. Nam, posse te, certum est. Nos opus intermisimus, donec à te plurima colligantur. Scis consvetudinem preli. Urgebit te, qvo tempore minùs exspectabis, & opprimet nec opinantem. Qvare cum otio nostro tuum negotium metiri non debes, sed, cùm jacere nos videmur, ipse nihilo minùs ad industriam excitari. Amicus ille tuus, cujus ingenium, ùt in adolescente, laudabamus, detulit qvædam ad N. qvæ si ille vera putasset, incenderetur adversùs me, & institutam amicitiam, qvam spero fore diuturnam, abrumperet. Te unum testor, qvid ego de illius doctrina, atq; ingenio & sentiam, & sæpe prædicarim. Ille tamen simiolus longè aliter; vel qvòd est, ùt multi, infensus Italico nomini; vel qvòd naturâ improbus, qvi fingat ea de me, qvæ repugnant penitus judicio meo, atq; etiam naturæ; cùmq; ornatus à me sit, detrahere tamen de mea laude conetur. Nec tamen est nihil, qvod ad te ipsum pertineat. Qvæ, qvia sunt injusta, contemnes; ùt ego, qvæ sunt falsa. Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Vol. I. lib. I. Ep. 13. Si nihil est aliud.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXV.

Argumentum hujus Epistolæ Manutio dictavit qvasi Muretus ipse Vol. I. lib. I. Epist. 14. qvæ incipit; Cùm constituissem: *verbis iis:* Nunc cuperem &c.

Laudat Mureti prudentiam, qvòd spretâ honorifica conditione ipsi delatâ, apud Card. Estensem manere

re decreverit; illumq; monet, ut operam suam summo Principi dicet, à quo sit fructum studiorum capturus.

CUm antea, multis mihi declaratam argumentis, tuam prudentiam valde probavi; tum verò, lectis tuis literis, laudavi te, ùt hominem consilio præditum excellenti, atq; etiam, ùt virum bonum, qvi nihil antefert honesto, suæq; maximè fidei, vel cum rei familiaris ingenti jacturâ, sibi esse habendam rationem existimat. Optima tibi deferebatur, admodumq; honorifica conditio, avidè à multis & ambitiosè petita. Nihil occurrebat contrà, qvin accipienda videretur. Tu tamen rejicis: & facis, meô judiciô, sapienter: primùm, qvia tueris officium, qvi Cardinali Estensi jam promiseris: deinde, qvia ne sic qvidem tuam utilitatem deseris. Qvis enim illo ad liberalitatem propensior? qvis paratior fortunæ bonis? habes igitur in eodem, cum voluntate rem. Nec tu is es, in qvem aliqvid indignè conferatur. Atq; etiam, qvò major, ac præstantior adesse, ac se tibi offerre videtur occasio, cùm summo Principi, singulari viro, tamen operam dices; eò tuam acues, atq; excitabis industriam diligentius; ut ipsè te vincas, & benevolentiam Cardinalis eximii omni tibi ratione concilies. In qvam âsi tuæ vitæ qvasi tabernaculum constitues, & ita perpetuò senties; ô te felicem, Murete, nec jam amplius à Fortuna pendentem, qvæ tui similes sæpè jactat arbitrio suo. Nunc ego qvidem à te fructus tuorum studiorum uberrimos, de qvibus me sæpè prædicantem audiêre multi, non solùm exspectabo, verùm etiam exigam. Qvanqvam tu

mea certè monita non exspectabis. Novi enim tuos sensus hac in re cum meis optimè congruentes, ut eam deniq; esse vitam ducas, qvæ vivitur in studiis, cetera inania, speciosa multa, plerumq; tamen falsa. Interim fruere tecum ipse, &, qvod ajunt, in sinu gaude tantæ felicitatis exspectatione: qvam æqvalem video fore vitæ tuæ, ipso vivente, qvi te exspectat: qvem debes, vel si tibi Cræsi opes ostendantur, unum seqvi, & unum ornare tuis studiis; vel potiùs ex ipso tui ornandi atqve illustrandi capere argumentum. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXVI.

Habes hanc Epistolam, sed capite truncatam & caudâ, & apud Muretum Vol. II. Epist. 11. Respondet autem Epistolæ Mureti 10. qvæ ibi præcedit: Magis magisqve.

1. Rogat Muretum, ut amico gratuletur de conditione, qvam illum nactum esse scripserat. 2. Cupit sibi versus ejus mitti, sed non amatorios, à qvibus alienior sit. 3. Exponit, cur ipsum amârit. 4. Facit ipsi spem sarciendi damni, qvod ob subitam migrationem facturus sit. 5. Monet ipsum, ne secessum contemnat.

LAborabam vehementer de amico nostro: nunc animum meum constituit, aliqvo interdum, ut verè dicam, metu fluctuantem, epistola tua. Atqve ad metum accedebat indignatio. Qvid? virtutine deerit ornamentum? aut etiam locus, ubi consistat? tantane est temporum iniqvitas, & hominum in suis bonis ignoratio? hæc ego qvandoqve

mecum

mecum: nunc vacuas curarum sum, & ex eo, qvod significas, ut in exoptata fortuna triumpho. Velim igitur ei meô nomine gratuleris. Tuos versus, tua fretus humanitate, jam promiseram. Eos exspectabo, minimâ, si fieri potest, interpositâ morâ. Nec tu velim me diuturna exspectatione ducas. Illa ad illos, qvi te nunqvam amârunt, qvos malè scis audire suo merito, cur non transferas ad alios? eqvidem svadeo. Qvod si tenerem ὑπόθεσιν; facilè dicerem, ad qvem. Me à lusibus, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἐρωτικῶν, planè revocat non solùm natura mea, sed ætas etiam, senectuti propior, qvàm adolescentiæ. Itaq; si qvid ad me scribes, remove, amabo te, omnia, qvæ dilexisse Plato videtur, ἀφροδίσια. Intelligis, opinor, qvid significem: &, qvod significo, petere me, vel cupere etiam, si me putas ingenium tuum nosse, existimabis. De benevolentia tua, etsi nunqvam dubitavi, ex te tamen ipso ea, qvæ opto, libentissimè audio. Qvanqvam ad studium in te meum nihil addit studii tui commemoratio. Non enim te amare cœpi, ut ipse me amares, sed qvòd amabilem ipsum te esse duxi multis nominibus; qvæ tibi ipsi ne exponam, non modò meus, verùm etiam tuus pudor impedit. Jacturate movet rei familiaris in discessu repentino? Noli laborare: lucrum erit in damno; si spectes eum, qvi te excipiet, præstantem virum, erga tui simile optimè animatum; cujus egregiam voluntatem non dissimilis fortuna comitatur. Sarciet igitur ille, siqvid ob subitam migrationem damni facies: &, ut spero, tuum te consilium qvotidiè magis oblecta-

bit. Polam video te abjeciſſe, & lætor meherculè tuâ causâ. Veruntamen, ſi qvando opus erit, ſeceſſum illum non contemnes: ut habeas tu qvoqve, exemplo Africani, & Lælii, tuum Lucrinum, cujus in littore, neglectis Regum theſauris, omni prorſus ambitione ſolutus, aut conchas legere, aut fluctus numerare poſſis; eoq; lætiùs, ſi me tibi tantæ comitem voluptatis Deus obtulerit. Verùm hæc, ùt qvidem noſtræ nunc utriusq; res habent, inania: qvæ tamen, ſi perfectè ſaperemus, omnium fortaſſe prima. Sed vides me tecum garrire? captum voluptate ſermonis, dum te qvaſi præſentem alloqvor, & utor manu ejus adoleſcentis, qvem jure Latii donatum, Cretenſibus ademptum, affirmo tibi dignum aliqvando fore noſtrô contuberniô. Qvod qvidem ſtudioſè agit, tuo maximè exemplo incitatus. Etſi non te noſtra domus, ſed tua te induſtria, tuum nobilitavit ingenium. Libri aliqvando exierunt, qvos ad te mitto, juvenis optimi & inſigniter eruditi, Onuphrii Panvinii. Non dubito, cùm legeris, qvin meum de illius præſtanti virtute teſtimonium confirmes. Habet alia in manibus, unde fructum ſtudioſi capere vel maximum poſſint. Qvæ ut edat maturiùs, otium illi exoptare, qvi rerum nobilium ſcientiam appetunt, omnes debent. Vale. Venetiis.

Reſpondere videtur Muretus Vol. I. lib. I. Ep. 15. Valdè recreatus.

EIDEM, PATAVIUM.

Reſpondet Mureto ad Vol. I. lib. I. Epiſt. 10. Cum Venetiis diſcederem.

EPIST. XXVII.

1. *Excusat se de raritate literarum.*
2. *Laudat libros ejus Var. Lect.*
3. *De nummis, de Dionysio, de Gallorum rege quædam addit.*

Form. Judicium de aliorum scriptis. Noli exspectare judicium (A)

VIx credas, qvàm non facilè mea manu literas conficiam; & qvàm facilè, cùm utor amanuensi, fluat oratio. Itaq; scripsi ad Severum laboriosè, qvòd inambulans, ùt antea solebam, minimô negotio dictassem. Discessus ille meus, magnorum index malorum, ùt ab amicis tunc, falsâ conjecturâ ductis, putabatur; familiares meos, qvorum uti operâ consvêram, Podocatharum, Fasinardum, postremò etiam Nicolaum Cretensem mihi ademit. Filium habeo, sed puerum adhuc, & imbecillo corpore, & occupatum satis domestica curâ. Itaq; posthac, nisi qvid occurrat gravius, perqvam rarò, & qvàm brevissimè scribam. Venio ad literas tuas. Reversus è Foro Julii, qvo exieram non tam negotii, qvàm valetudinis causâ, reperi librum tuum, Variarum Lectionum, qvem apud Sixtum Medicem, communem amicum, excellentem virum, reliqveras. (A) Noli exspectare judicium meum. Malo enim te ab aliis, qvid te tuis studiis, qvid de ingenio existimem, qvàm à me ipso, cognoscere. Unum tamen illud non minùs verè, qvàm libenter dicam, nihil me adhuc in hoc genere legisse ornatius, nihil eruditius. Qvod autem

qvi-

qvibusdam in locis & à me dissentis, & egregiis idem laudibus me ad cœlum tollis: parciùs utrumqve vellem: sic enim utrumq; fortassè veriùs: ago tamen gratias, qvod publicam utilitatem rebus omnibus anteponas. Qvam ego antea consvetudinem, acceptam à patre, servavi meâ sponte, & servabo posthac, tuo invitatus exemplo, diligentiùs. De nummis, cùm lubebit, atq; adeo ùt lubebit. Urgeri enim eum, qvicum tibi usus intercedat, ne si qvidem ipse velis, facilè permitterem. Dionysius paulò seriùs, qvàm putaveram, absolvetur. Moram injecit commissa inter operas rixa, absente me. Neqve tamen hâc satis levi, sed aliis adductus causis, qvæ ponderis longè plus habebant, penè totum consilium abjeceram. Nunc, te hortante, ac monente etiam ut celeriter, qvid agam? qvid autem, nisi qvod ipse cupis? qvod certè meâ causâ cupis. Urgebo igitur pro virili, nec impensæ parcetur, aut labori. De Gallorum Rege, dolui sanè graviter dolorem vestrum: sed, humana qvæ sunt, humaniter ferenda. Nec vobis doctrinæ remedia, nec ea, qvæ sumuntur à rerum usu, deesse possunt: & tu mihi miranda narrasti de Cardinalis pietate in Deum: qvo ille se, vosq; omnes præsidio adversus iniqvitatem fortunæ præclarè tuebitur. Vale. Venetiis.

JOANNI BAPTISTÆ RHAMNUSIO, XVIRUM CONSILII A SECRETIS, Venetiis.

EPIST. XXVIII.

Gratu-

Gratulatur Rhamnusio de dignitate Secretariatûs in Xvirûm Consilio; & illum hortatur, ne senectutem suam laboribus frangat, sed libros de Itinerum & Navigationum cursu perficiat.

CUm à nobilibus viris, in hæc loca vel animi, vel negotii causâ confluentibus, dignitatem illam, qvæ maxima est in nostra civitate, ut arcanis præesses præstantissimi Xvirûm Consilii, summo omnium consensu tibi esse delatam accepissem; magnoperè sum lætatus, tum pro ea, qvæ olim inter te, ac parentem meum mutua semper fuit benevolentia; tum pro mea in te vetere observantia, orta primum à meo de tuis virtutibus judicio, deinde à te multis, ac variis, ùt tempora tulerunt, erga me, meosq; officiis vehementer aucta. Atq; ego meam tibi penè incredibilem lætitiam, ex honore tuo susceptam, statim literis declarassem, nisi autumno jam exeunte, brevi futurum speravissem, ut, in urbem reversus, præsens præsenti gratularer, neq; solùm ex oratione, sed ex vultu, & oculis, qvi sunt indices animi, de meo in te studio, intimoq; sensu judicares. Hâc ego me non multorum dierum exspectatione cùm sustinerem, ecce tibi amicorum literæ, ecce nuncii, proximis comitiis tulisse te fructum anteactæ vitæ omnis, tot peregrinationum, qvas in Galliam, ad Helvetios, Romam, etiam ad hostes armis infestos, reipubl. causâ susceptisti; tot consiliorum, qvæ à te fluxerunt ad augendam, qvantum in te fuit, patriæ dignitatem. Cùm enim longo pòst intervallo in eum locum rediisses, unde magistratuum designatorum nomina recitantur; consurre-

xit Senatus universus, ex tuo conspectu mirifica voluptate perfusus. Qvæ tum amicorum omnium perspicua significatio ita te commovit, ut illico magna vis lacrymarum exciderit, intuenti benevolentiam tuorum civium, qvos in omni ætate dilexeras, qvibus jam inde à prima adolescentia, parentis tui, summi viri, exemplô, omnibus officiis inservieras, nullâ tibi, præterqvam amoris, præmiorum spe propositâ. Fuit igitur eo die mutuum, & æqvale gaudium, Senatûs primùm, ubi tuam sibi vocem claram pariter, & svavem, in pronunciandis magistratibus vidit esse restitutam, qvam post obitum magni Cancellarii Franciſci nimiùm sæpe desideraverat; deinde tuum, cùm illa tibi cum incredibili gaudio, ac penè cum clamoribus universa consurrectio, qvid de te tui cives existimarent, qvo te studio, qva caritate complecterentur, ostendit. Enimverò lætari te puto, qvòd qvidem jure facis, summo dignitatis gradu, qvò te tua virtus extulit, ut arcana illa tractares, qvæ ad reipubl. salutem, & hujus magnitudinem imperii pertinent. Verùm hoc sæpè vidimus aliis qvoqve contingere, optimè scilicet de patria meritis: nec enim honor in qvenqvam, qvi sese magnis in rebus non sæpe probaverit, confertur: studia verò tanta, testimonium tam illustre, consensum ejusmodi, qvando ullâ omnino in re, vel in qvenqvam omninò hominem vidimus, aut audivimus? itaqve, cùm ad meam priorem lætitiam nihil addi posse existimassem, nunc tamen accessionem haud mediocrem novi gaudii factam esse confiteor: ut eam testari literis, ac tibi, qvo-

qvo modô, licet indicare fim coactus. Video enim te uno die, atqve unâ planè hora mercedem cepisse non modo meritorum tuorum, qvorum habes teſtem univerſam penè civitatem, verùm etiam perpetuæ tuæ moleſtiæ; cùm amore ac judicio patriæ contentus, nulla unqvam commoda, nullum honorem tibi eſſe petendum ſtatueris; ut admiratio ſimul & dolor propinqvos, ac familiares tuos ferè omnes afficeret, qvòd iſtâ dignitate, qvæ tibi nunc incredibili omnium ſtudio delata eſt, ornari antea noluiſſes. Qvorum te deniqve, ac ſimul omnium civium voluntas, atqve cohortatio vicit, & ad honorem exoptatus, atqve accerſitus acceſſiſti, nulla uſus prenſatione, nullis precibus, tua virtute commendatus, qvæ tibi omnia omnium ſuffragia facilè impetravit. Qvando igitur, honore accipiendo, patriæ ſatisfeciſti; dabis eidem optanti, atqve petenti, ut ad tuendam ac ſuſtentandam ſenectutem tuam, qvidqvid curæ, qvidqvid potes induſtriæ, conferas: ut & tu mirifico illius in te ſtudio, & illa tuo excellenti conſilio, tuâ rerum omnium publicarum ſcientiâ frui qvàm diutiſſimè poſſit. Idem te privatim rogant neceſſarii tui, propriè verò filius adoleſcens, in qvo videtur tua virtus efflorescere, tua jam probitas, tuæ ad optimas res propenſio voluntatis agnoſcitur. Ego autem, cùm nemini in te amando, colendoqve concedam, iisdem utor precibus, ne tuam ætatem, confectam jam annis, & laboribus pro Rep. ſuſceptis, rebus agendis nimiùm vexes. Vereor enim, (ut omittam publici muneris curam) ne plus officii amicorum

rum causâ, qvàm sustinere fortassè possis, tua tibi imponat humanitas. Qvod si desidiam odisti; &, qvæ aliis qvies videtur, laborumqve, ac molestiarum qvasi portus expetitur, eam tu ignaviam appellas, nec homini qvidqvam vitandum magis existimas: habes, in qvo te exerceas: duo supersunt, aliqvot jam annis instituta, de itinerum & navigationum diuturno ac perdifficili cursu præclara volumina: qvæ si ad primum, qvod omnes libenter, nec sine tua summa laude legunt, aliqvando adjunxeris egregiam, & majoribus nostris, multisqve antè sæculis reconditam doctrinam, præclaris imaginibus expressam, orbi terrarum patefacies, tuoqve nomini gloriam paries haud paulò majorem, qvàm qvæ tibi à cunctis honoribus & magistratibus, vel magnificentissimè gestis, manare unqvam possit. Eoqve magis in hoc studium debes incumbere, qvòd omnem amœnitatem, qvæ solet ad scribendum invitare, tua tibi Rhamnusia villa abundè suppeditat. Itaqve frueris eodem tempore Marsangi Musis, deliciis, ac amoribus tuis; & nobis, posterisqve, maximè verò Paulo consules filio tuo; cujus omnes egregiam indolem amamus, & exorientem virtutem admiramur, qvem à te, nisi grave sit: etiam atqve etiam meo nomine cupio salutari. Vale.

Ex Plebe Sacci, pridie Idus Octob.

M. An-

M. ANTONIO NATTÆ, MANTUAM.

EPIST. XXIX.

Laudat Nattam ab excellenti Philosophiæ & Juris scientia: qva impulsus dicit, se eum amare, & benevolentiæ suæ patefaciendæ causâ Mantuam excursurum, nisi adversa valetudine impediatur.

Deinde cupit scire, qvibus typis velit librum suum excudi.

Form. Judicium aliorum de suis scriptis exqvirere.

Num qvid præterea? hoc; de meo libro. &c. (A)

GRavi, ac diuturna oculorum valetudine impeditus, feci tamen, ut literis tuis, humanissimè atq; elegantissimè scriptis qvàm primùm respondere rem. Ego te, Natta, ex illo tuo præclaro libro, qvam de Pulchro inscripsisti, jampridem cœpi colere. Mea tibi voluntas non patuit: ceteris, qvid de te sentirem, sæpe in sermonibus declaravi. Nec verò mirari satis possum, qvî potueris tantos processus in Philosophia facere, homo versatus, assidueqve occupatus in tractando Jure Civili: in qvo ipso te excellere, & audio de multis, & res indicat: qvandoqvidem certatim viri Principes te accersunt, summisq; muneribus præficiunt. Eqvidem, ut benevolentiam tibi meam præsens præsenti patefaciam, cupio Mantuam excurrere: sed me deterret valetudinis infirmitas. Tametsi affirmabat is, qvi mihi tuam epistolam reddidit, posse me à meis laribus Mantuam usqve non incommodè navigare. Itaq;

audebo fortassè. Igniculum enim desiderii vix jam fero: &, si qvid est in itinere difficultatis, homini præsertim imbecillo, vincet amor in te meus. De tuo libro, qvid jam exspectas ut rescribam? videsne me in ære tuo totum esse? impera mihi qvid vis; & utere me, qvantum vis: subibo omnia, & perferam tuâ causâ. Meum librum de Legibus ad te mitto. Iisdem typis, si tibi placuerit, utemur in tuo libro. Sumptus omnino major erit, qvàm si litera minor esset: verùm hoc tui consilii, ac voluntatis est. Statue arbitratu tuo: perpende magnitudinem libri: deinde significa, qvid velis. Mitto etiam aliud characteris genus, ut alterutrum deligas. Utrumq; enim in folii, qvod ajunt, formam aptè convenit. Tametsi dignitas major est in majore. De ratione sumptus, si numerum paginarum tui libri significaveris, & simul versuum in unaqvaq; pagina, & literarum in qvolibet versu; facilè summa fiet, & ad te scribetur. Num qvid præterea? hoc: De meo libro qvid sentias, cupio significes. Vix enim credas, qvàm à judicio tuo pendeam. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXX.

Respond. Laudatoriæ Epist. Nattæ, & significat, laudes illas qvidem sibi gratas esse; sed se illas in ipsum conjicere. Deinde desiderium suum excurrendi Mantuam exponit; sed propter valetudinem, & anni tempus cogi se, iter in mensem Junium differre. &c.

PRæclare Hector ille apud Nævium: Laudari abs te, pater, cupio, laudatô virô. Possum ego nunc idem usurpare. Video me laudari, à qvo viro? à M. Antonio Natta, in qvo sunt ingenii, sunt animi, ac virtutis ornamenta plurima. Ego porrò a liqvid fortassè, si cum aliis conferar, videri possim; cum verò ad te unum cogitationem converto, vix credas, qvam mihi ipse displiceam. Qvare permitte mihi, ut eas laudes, qvas in me contulisti, rejiciam; aut ipse majores in te transferam. Nam mihi, utrumq; nostrûm æqva lance pendere, magni negotii non est. Ut ut est, amo voluntatem tuam. Ea mihi est, eritq; semper, ut debet, antiqvissima. De adventu meo, muto consilium in horas singulas. Tu me allicis, vel attrahis potiùs: revocat, & retinet valetudo. Cùm ad te specto, navim conscendo, vehor, appello Mantuam, tecum sum. Sic est amor, & illæ, qvæ fluunt ex amore, voluntates. Rursus, cùm ad me convertor, & meam imbecillitatem intueor; qva macie sim, qva tenui cute, qvàm natura mollis, & proclivis ad morbos: relanguesco paululùm, & qvasi navim incitatam leviter inhibeo. Vides adhuc, & sentis fortassè tentari corpora frigore, levi qvidem, sed tentari tamen: vides perflari cœlum ventis; rationem esse temporis prorsus incertam, & inconstantem. Qvæ si miores non timent; ego valetudinarius nisi timeam, parùm videar me nosse, parùm vitæ consulere, qvod nec humanitatis est, nec satis pium: cùm nos jusserit ille summus Imperator qvasi suos milites in hac statione, donec ipse revocaverit, permanere. Calo-

res, ùt ſpero, qvæ mea ſolet eſſe anniverſaria medicina, me mihi reſtituent. Itaq; Junio ineunte, aut eo certè menſe, te, ùt ſpero, complectar. Sin videbo, ſine meo periculo fieri non poſſe, ut in viam medem: docebo te literis, qvid conſilii ceperim. Tuum librum tractabo qvâ licebit diligentia, animo certè erga de ſingulari. Vale. Venetiis.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXI.

Negat ſe Natta librum eâ conditione, qvam propoſuit, poſſe excudere: aut vendendi laborem in ſe ſuſcipere: cùm doctorum libri jaceant. Negat imprimendi facultatem concedi, libro non inſpecto. &c.

ADeone erravi, & lapſus ſum in ſubducenda ratione, ut de foliis qvinqvaginta conjecerim, qvæ nunc octuaginta fore video? pudet indiligentiæ meæ. Verùm, utut eſt, commodô meô rem ſuſcipere non poſſum: nec audio recuſare; ne mea fides in dubium apud te veniat. Itaq; peto à te, ut cum tua ratione meam qvoq; ducas, nec exigas à me plus, qvàm res & fortunæ meæ patiantur. Nam qvod ais, redituram ad me pecuniam cum fœnore, libro vendito: videlicet communi qvadam, non propriâ me regulâ metiris. Non enim ego, ut alii, qvi libros imprimunt, habebo ſtatim certos homines, qvi eos divendant, & longinqvas in urbes, regionesq; diſſeminent. Venduntur hîc ſtatim à meis omnes ita parvo prætio, ut lucri qvidem minimum, ſed minimô ſimul labore, minimâ mo-

moleſtia fiat. Meum ergo librum itidem, inqvis; vendes. De doctrina libri tui, de elegantia possum ego facilè judicare: de venditione qvis præſtat? an neſcis, libros Latinos, optimos veteres, ita nunc jacere, ut penè ſordium in genere putentur? vix jam Ciceronem ipſum, Cæſarem, Saluſtium legi, à multis etiam ne legi qvidem, planeq; contemni? Qvare noli mirari me tam eſſe diligentem in iis rebus, qvas me docuit uſus penè qvotidianus, & in qvibus non licet eſſe ſine magna mercede negligenti. De tempore, qvod urges: facultatem imprimendi non concedunt, libro non inſpecto. Atq; utinam, inſpectô, concedant. Qvod ſi dixi, eos me faciles habere: non ſignificavi, poſſe me, libris non lectis, impetrare jus imprimendi, ſed conſeqvi, ſtatim ut legantur: qvod ita multis non contigit. Sæpè enim vidi, non nullorum ſcripta, apud eos, qvorum poteſtatis hæc tota ratio eſt, per multos menſes cuſtodita, neq; legi, neq; reddi. Mittas igitur librum oportet univerſum: mecum autem amicè ages, pro eâ, qvam tu doces qvotidie præclaris exemplis, æqvitate. Ita, ſi erravi, non luam graviùs, qvàm debeo: ſin error à me non eſt, à te verò aucti libri magnitudo tota pendet, jus tuebere pro tuo inſtituto, & amico ſimul conſules. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXII.

Monet Nattam, ut librum ſuum mittat, ſe daturum operam, ut primo qvoq; tempore lectus imprimatur.

UT concludam paucis; qvando nec mihi ad scribendum, nec tibi ad legendum otii satis est: si librum miseris, imprimetur. Nolo enim meam apud te fidem in dubium vocari; nihil est tanti. De tempore, in certum est. Pendet, ut sæpè jam scripsi, hæc tota res ab aliena voluntate. Crediderim tamen, intrà mensem confici & expediri rem posse, tum studio nostro, tum intercedentibus amicis, nobilibus viris, & gratiâ florentibus. Libro non inspecto, facultas imprimendi nunqvam dabitur. Scio nullam in eo labem esse, qvæ legentium animos possit inficere. Novi tuos sensus, mores, probitatem: qvæ ego pluris etiam in te æstimo, qvàm eam doctrinam, qva parem fortasse aliqvem, superiorem certè habes neminem. Verùm mos est gerendus consvetudini. Communis hæc est, non tua præcipua conditio. Ad me autem qvod attinet, voluntati tuæ, in qva vim esse cupiditatis intelligo, nullâ interjectâ morâ satisfiet. Vale. Venetiis.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXIII.

Nunciat Nattæ, se de consilio medicorum Urbem ad tempus valetudinis gratiâ deserturum: ac proinde ipsum monet, ut librum suum vel statim mittat, vel imprimendi consilium differat.

HOdie, tribus medicis adhibitis, accuratè disputatum est de meo exeundi consilio. Rem probant, sed illud addunt, totam æstatem dandam esse otio, jucunditati, exercitationibus modicis; nec redeun-

deundum in urbem ante mensem Octobrem. Itaq; vehementer animi pendeo: nec, qvid consili capiam, satis habeo exploratum. In hac dubitatione venit in mentem de tuo libro: qvem, si exeo, video fore, ut seriùs fortassè, qvàm tua voluntas ferret, imprimatur. Qvare monendum te literis existimavi, ut aut statim eum mitteres, aut imprimendi consilium differres. Ego hìc vel tuâ unius causâ commorabor, dum liber absolvatur. Qvod si statuis de subita impressione; qvâ velis formâ, qvô charactere, qvô numerô, significa. Svaderem omnino, ut aliorum operâ, me absente, utereris: sed timeo mendas, & sordes, qvibus inqvinari, & corrumpi tua scripta per operarum incuriam, nolim: qvod tu jam sensisti in libro de Pulchro; qvi tractari non potuit indecentiùs. His literis cupio à te primo qvoq; tempore responderi: ut qvod ad me ipsum attinet, certi aliqvid possim statuere. Meam enim voluntatem ad tuam accommodabo. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXIV.

Promittit Nattæ, se curaturum, ut mendæ, qvas in libro ejus invenerit, tollantur. Deinde rogat, ut librum suum abjiciat, nec illo legendo bonas horas perdat. Tertiò qveritur de domûs suæ infelicitate.

LIteris tuis perlectis aggressus sum legere tuum libellum. Legeram jam antea Venetiis, allatum ad me à Carreto tuo. Mirificè semper placuit. Genus enim scribendi non minùs elegans, qvàm

eruditum, complexus es. Qvod ad typos attinet, video paululum detritos esse vetustate: itaq; specie illâ, qvam recentes habere solent, prorsus carent. Et compactum nimis attramentum videtur: ex qvo fit obscurum qviddam, qvod legentium oculos offendat. Menda qvædam deprehendi nimis fœda, nec ejusmodi, ut dissimulari possint. Cujus incommodi causam puto tibi non latere. Sæpè enim hîc, dum imprimitur, vel emendationi nemo præest, vel præesse solet homo mercenarius, & parùm literis instructus, & is, cui pecuniâ, qvàm famâ, sit antiqvior. Nos tamen, & qvia de existimatione laboramus, & qvòd te nimiùm diligimus ob tuam probitatem, nimiumq; colimus ob eruditionem, enitemur & contendemus, qvantùm feret acies oculorum nostrorum, ut satis in hoc genere fiat tuæ voluntati. Ad qvam tu me diligentiam tacitè vocas in tuis literis. Laudas enim, & Aldi filium agnoscere te dicis. Qvàm sunt hæc acuta, qvàm me pungunt, atqve excitant ad omnem laudem, non modò hanc propriam typographiæ, qvæ jam in nostra familia inveteravit, & qvasi debita, postulatur. Sed heus: adhucne tibi meus liber est in manibus? atqvi abjectum jam à te, & latere in angulis, obductum pulvere, existimabam. Nec tu es, cui bonas horas malè liceat perdere, homo assiduis curis, maximisq; negotiis districtus. Itaq; peto à te, hoc mihi des, ne tuum otium à summis rebus ad meas ineptias conferas. Satis jam observantiæ in te meæ, satis humanitati tuæ dedisti. Hôc si plus cupiam; non agam satis modestè, nec te nosse,

nec

nec me ipse videar. Verbum optabam in epistola tua de Carreti valetudine, optimi viri, ùt visus sum conjicere, tui certè studiosissimi. Nam affectum pessimè ac penè desperatum dixeras, cùm essem Mantuæ. Mecum actum est in hac peregrinatione prorsus infeliciter. Incidit in morbos tota penè domus: sed uxor cum periculo vitæ integrum jam mensem miserrimè jacuit: nec dum video, qvid sperem: cùm jactetur acerbissimâ febre, nec habeat spacium ullum sese colligendi. Ego, cùm non optimè valuerim corpore, neq; nunc valeam, qvo fuerim animo, qvo nunc sim, vel me tacente potes existimare. Fortitudinem laudo: sed eam in me ipso nunc reqviro. Vincor enim adversis, nec possum planè, qvod tu potes, à philosophia illa vera, qvam Aristoteles ignoravit, præsidium petere. Sed longiùs progredior. Tuas literas exspecto. Solatium fortasse aliqvod in malis afferent. Vale. Asulæ.

EIDEM, MATUAM.

EPIST. XXXV.

Excusat se, cur Mantuam non venerit. Deinde monet, ut maturè mittat librum suum, si velit eum excudi.

MEum in reditu consilium hoc fuit, ut Mantuæ conscenderem, idqve maximè tui salutandi causâ; tum, ut, qvod antea de tuo libro imprimendo inter nos convenerat, id comprobaremus. Non licuit, ob viarum difficultatem, & frigora. Scis enim, qvàm tenui cute sim, qvàm imbecillo corpore. Caneti igitur, & meo, & meorum consilio, tranqvilla

tempestate, conscendi: Mantuamq; præter vectus, viginti, opinor milliariorum intervallô, Clodiam triduo in columis appuli. Hîc me amici, & propinqui lætitiâ incredibili exceperunt, qui de reditu meo, sæviente jam hyeme, penè desperassent. Negocia nunc repetimus: quæ cum neq; pauca sint, neq; ponderis exigui; nullum tamen habeo prius, nullum antiquius eo, quod ad te pertinet. Vide igitur ipse, quid statuas. Nam, si perstas in sententia, mittendus liber estante medium Januarium; quo spacium habemus eos alloquendi, ac rogandi, quorum injussu nemo imprimit impunè. Urget enim Philippi Regis orator de libro edendo, quem ei misit, homo, ut ajunt, Græcè Latineq; benè sciens, arcanorum ipsius Regis particeps, Gonzalus Perez: cui roganti per literas, ut omnino suus liber meis typis exeat impressus, & in eo sitam ac locatam suæ laudis aliquam partem existimanti, deesse non possum pollicitusq; sum, & persolvam fidem. Sed cupio tuum librum anteire, si tu vis; sin commodius videtur, in aliud tempus differri, quàm primùm literis significa. Ego id unum specto, tibi ut satisfaciam. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXVI.

Scribit, se avidè exspectare Nattæ librum, & moram sibi molestam esse.

NOndum redditus liber est: nec mea tamen in ea re diligentia defuit. Devorandum est hoc

hoc utriq; nostrûm, qvidqvid est molestiæ. Nam me qvoq; mora longior incipit ita graviter afficere, vix ut feram: fero tamen, qvia Nattæ negotium est. Alioqvi hastas meherculè, ùt ille inqvit, abjicerem. Sed obduremus paucos præterea dies. Si res ducetur, librum repetam, & cum pecunia tibi remittam. Ama me, & tibi persvade, te mihi esse in animo assiduum, in oculis, in ore. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXVII.

Scribit, Nattæ librum à Sexto Medice adhuc legi, & probari: atq; hanc esse causam, cur nondum imprimi cœptus sit.

NEq; nihil respondebo, neq; tamen id, qvod tu exoptas vehementer; ago autem sic, ut tecum in cupiditate contendam. Librum habet in manibus homo eruditus egregiè sacris literis, & philosophiæ scientia excellens, Sixtus Medices: cujus omnia judicio propter doctrinam; fidei verò ob integritatem rectè committantur. Is legit accuratè; perscrutatur omnia: examinat, & pendit acerrimè. Nihil adhuc, ùt sæpè jam mihi significavit, alienum à recta sententia deprehendit; tuamq; mirè laudat perpetuam tam longo in opere eloqventiam, singulari doctrinæ conjunctam. Is, qvid tuo de libro sentiat, suo testimonio, ac jure jurando cùm ostenderit, aggrediemur: qvod abesse jam longè vix potest. Te interim rogo, optimè Natta, ne qvid alienæ culpæ in me transferas; nec me curare parum

rùm graviter existimes ea, qvæ ad te pertinent; qvibus afficior in utramq; partem, non eqvidem æqvè ac tu, sed uno te excepto, graviùs certè, qvàm ceteri. Vale. Venetiis.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXVIII.

Censorem libri Nattæ commendat, &, ut ad ejus epistolam statim respondeat, hortatur.

ALiqvando is, qvi tuum librum accuratè legit, absolvit epistolam eam, qvæ tuis literis respondet. De re tu judicabis: de homine, sic habeto: virum esse bonum, præstanti humanitate, singulari doctrina, præconem verò laudum tuarum. Qvare est sanè, cur ei gratias agas, qvod te ornet, efferatq; laudibus: qvod à me jam, qvi te unicè diligo, tuo nomine factum est. Qvamprimum autem cupio à te responderi; ut, si qvis remanet scrupulus, auferatur, & exeat tuus liber bono publico, tuâ non mediocri gloriâ: qvod utrumq; fore confido. Bonamicus neq; dum venit; nec, venturusne sit, aut, qvando sit, ex ejus ad me scriptis proximè literis licet conjicere. Tu cognosces, eiq; ad me fasciculum dabis epistolarum mearum: qvas tamen, tu qvoqve, opinor, mecum sentis, conprimendas potiùs, qvàm divulgandas: sed efflagitantibus, præsertim amicis, negari jam diutiùs non possunt. Vale.

EI-

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXIX.

Promittit Nattæ responsum ab eo, qui librum ejus perlegit.

PLuribus tecum verbis agere non licet: ita multis distrahor curis. Unum hoc: is, qui tuum librum legit, idem tuis literis, disertissimè scriptis, respondebit. Quod ut celerrimè faciat, operam do, quantum in me est. Tuam causam certè, ut mihi videtur, præclarè tueris: & quantum tibi ex optima mente, tantum ex ingenio, & doctrina laudis accedit. Vale. Venetiis.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XL.

Respondet hortationi Nattæ, & negat, se propter corporis imbecillitatem, & curas domesticas, posse perficere ea, ad quæ absolvenda ipsum fuerat hortatus.

Deinde, cùm in L. Latin. multùm profecerit, autor ei est, ut ad Jus Civile explicandum se conferat.

Form. Adulationem à se removere, Non ago tecum blandè &c.

PLacere tibi argumentum de Republ. & ejus libri partem, epistolis meis insertam, abste, tali virô tantoperè laudari, vehementer gaudeo. Tua verò cohortatio, ut absolvam institutum, animos illa quidem addit: sed, ô mi Natta, si videas, quibus premimur & curis, & laboribus, fortasse, si modo

vis

vis me vivere, aliter sentis. Incitamur voluntate, consiliis & hortationibus amicorum, gloriæ non nulla cupiditate: nec omnino diffidimus ingenio; verùm illa, qvâ tu excellis, qvæ in tuis & dictis & factis elucet, prudentia dissvadet. Me natura pertenui finxit corpore: studiorum accessit non mediocris labor; ex qvo imbecillicitas, & morbi. Qvid res domestica? qvæ qvò est angustior, eo tuenda diligentiùs est. Qvid typographia? qvam ita mihi tractandam intelligo, non ut omnia ad utilitatem, sicut multi, sed pleraq; ad meam existimationem referam ac dignitatem. Qvô propositô, nihil est operæ, nihil studii recusandum: ac sæpe, ut ait poëta ille tuus, sudamus & algemus. Amicis etiam vel salutantibus horæ dandæ sunt, vel aliqvid potentibus officia tribuenda. Qvi si excludantur, aut rejiciantur; sanè consuletur otio meo, rebus meis, valetudini meæ; sed ubi humanitas? qvæ qvàm sit hominis propria, nomen ipsum indicat. Jacent igitur inchoata, planè rudia, temerè vel dissipata, vel confusa, mea scripta; qvæ nonnunqvam, sicuti mater langventem filium, cum dolore tacitus adspicio; opem ferre, qvam videntur postulare, non qveo. Qvare, si qvid apud te hominis tui amantissimi salus est non debes me ad scriptionem vocare, tot assiduè, tam variis, tanti momenti occupationibus distentum. Adjuva me potiùs consilio, si potes: aut minue molestiam consolandô: opta saltem, (& hoc ipsum significa) ut hæc, qvæ nunc sustineo, perferam, & is, qvem volumus, principiis exitus respondeat. Id qvod, nisi favente, qvi fons est omnium bonorum, Deo, spe-

rare

rare non licet. Consulationes tuas, si qvæ nondum editæ sunt, mirè aveo legere. Nam, cùm in iis, qvæ jam sunt editæ, præstare te omnibus, qvi memoriâ nostrâ Jus Civile literis mandarunt, cum scientiâ rei, tum sermonis elegantiâ, mihi persvadeam: intelligo posthac tua scripta longè fore meliora. (A) Non ago tecum blandè: metior veritatem ipsâ re, &, ut sentio, planè loqvor. Valdè, mi Natta, hôc biennio in Latina lingva profecisti: qvotidieq; ut ex epistolis tuis facilè conjicio, ad veterem illam eloqventiam propiùs accedis. Itaqve videre mihi videor, ac prorsus video, qvantus in Jure Civili explicando, si studium adhibueris, esse possis: qvod ut facias, auctor tibi magnopere sum: si modo tu in tua laude qvempiam, præter te ipsum, auctorem, hortatoremq; exspectas. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLI.

Excusat se de nondum edito ejus libro, & causam rejicit in Censorem, qui nondum perlegerit.

Literæ tuæ, qvas idem binas tabellarius attulit, facilè tuam edendi libri, qvem efflagitari jam à multis audio, non mediocrem cupiditatem declarant. Nec me tamen studio tibi concedere velim existimes. Nam & συμπάθειαν qvandam commovit jam in sensibus meis virtus tua: & res ipsa, de qva tantopere laboras, commendationem habet à se ipsa; nec tuum officium apud me, aut omnino apud qvemqvam bonâ mente præditum, desi-

desiderat. Unde igitur, inqvies, tot dierum prolatio? Eqvidem culpâ vaco: nec in officio præstando Sixti nobis humanitas defuit; sed ab ejus voluntate pendemus, cui tota demandata facultas est. Is cùm Sixti primùm, deinde etiam nostro se acqviescere testimonio confirmasset; Sixtum etiam, ut optimè de Christiana doctrina sentientem, sacrarumq; literarum disciplinâ perfectum, laudibus extulisset; illud adjunxit; sibi tamen esse concedendum, cui ratio temporum paulò severiorem, qvàm ipsius voluntas ferret, personam imponeret, ut librum leviter attingeret: qvod esse perpaucorum dierum negotium pollicebatur. Negandum non fuit. Egimus etiam gratias, qvod ita blandè peteret, ut suam obliviscì potestatem, humanitatis causâ, videretur. Nunc tibi, mi Natta, devoranda est hæc non multorum, ùt spero, dierum mora. Vides, hominum recentiorum libri, qvicunqve de sacris rebus loqvantur, qvàm diligenti hodie trutina perpendantur: vides, qvàm multi, nullo personarum discrimine, in judicium vocentur, qvàm pauci mox elabantur. Tolle obsecro te, festinationem in re tanta: & habe rationem temporis; & utriusqve nostrùm otio (nam mea qvoqve res agitur) brevi interpositâ morâ, consule. Nam, qvod injecisti de tua laude, opinor, ut qvasi dormientem excitares, id mihi novam diligentiam non attulit; potiùs admirationem qvandam, cur ea, qvæ ad tuum decus pertinent, curari à me frigidè suspiceris. Etiam appellas me, ob testimonia epistolarum mearum. Qvasi verò ego te diligam constantiæ causâ,

caûsâ, non judicii. Qvod si te non esse dissimilem tui putaveris; cujus etiam probitatem, doctrinam, eloqventiam, assidua studia vehementer augent: me qvoqve, qvi aliqvando in te fui, eundem fore semper, hoc est, amore incensum, atqve cupidissimum gloriæ, debebis existimare. Commentarios meos qvòd evolvis libenter, amicè facis. Si verò etiam, ùt scribis, aliqvid ad tuam utilitatem excerpis; magnifacio industriam meam: qvam tu, vir ingenio & eruditione summus, modò non improbares, satis habebam; fructum ut ex ea caperes, vix unqvam speravi. Itaqve scribam posthac paulò fidentiùs, judicio tuo confirmatus; & auctoritatem tuam, si qvis contrà senserit, pro sexcentis rationibus opponam. Literis tuis, cave putes, non esse à me responsum, qvia neglexerim. Obstitit occupatio: qvæ diem qvandoqve totum eripit à mane ad vesperam. Qvod, etiam si non scriberem, tamen opinari, tuæ prudentiæ, & humanitatis esset. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLII.

Scribit, librum ejus jam esse Sixto Medici traditum censendum, nec posse eum divulgari, nisi impetrato priùs jure divulgandi ab eo, qvi libros examinat.

AD oculorum dolores, qvos diuturnâ consvetudine satis jam modicè fero, accessit molesta febricula, periculi tamen expers, ùt medicus affirmat. Itaqve conor brevi respondere literis tuis, elegantissimè, & humanissimè scriptis. Liber sta-

tim traditus est viro optimo, atqve eruditissimo, communi amico, Sixto Medici. Is, licet occupationibus districtus, tamen & meâ, & tuâ causâ pollicitus est, operam se daturum diligenter, ut eam partem, qvam tu addidisti, ac mutasti, qvàm citissimè legat. Qvod cùm fecerit; rursus ex ejus testimonio jus erit impetrandum, libri divulgandi. Scis enim, qvàm severa hodie sit librorum omnium examinatio; qvàm sint, ubi qvid scribimus, ambigua cavenda: neqva omnino secus interpretandi, trahendiq; in deteriorem partem, occasio præbeatur. Sixtus me diligit, meâq; causâ valdè cupit, de te autem honorificè & sentit, & loqvitur. Itaqve, qvod ad ipsum attinet, navigamus in portu. Academia tuum officium amplectitur, ac laudat; sua verò à te, singulari viro, probari & magni fieri instituta, mirabiliter gaudet. Plura volebam, ductus svavitate sermonis, cujus imaginem habet epistola: sed interdictum est, non modò ne qvid scribam mea manu, verum etiam ne multa, nisi necessariò, dictem. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLIII.

Resp. Consolatoriæ Epistolæ Nattæ, & illi gratias agit, qvòd animum suum consolatione sedârit; Deinde scribit, Academiam Venetam, lectâ ejus epistolâ, omnia probasse, unde singularem lætitiam perceperit.

HAbeo, qvod petieram. Sedâsti animum meum consolatione, consilio juvisti. Nihil sapien-

pientius, nihil humanius epistolâ tuâ. Et cum multa sunt à te gravissimè, atqve ingeniosissimè commemorata: tum verò mirificè sum exemplo tuo commotus; qvem statuo imitari, qvantum in me est, licet meæ probè qvidem conscius infirmitatis: cui si Deus aderit, qvod eqvidem spero, vincemus humana omnia, & triumphabimus in adversis. Afferet ad te tabellarius cum his literis indicem, qvem petis, missum ab Academia, tui studiosissimâ. Tradidi enim legendam epistolam tuam: nec improbavit qvisqvam. Qvid? nemo non extulit amplissimis laudibus. Ego autem & qvalis sim ex eorum judicio affectus lætitiâ, & qvid ipse de tuis existimem scriptis; qvia te puto illud, vel me tacente, pro amore nostro suspicari, hoc autem ex meis superioribus literis cognovisse; non exponam hîc pluribus verbis. Tantùm agam gratias de istâ tam in me propensâ voluntate, excellentiqve industriâ, qvarum alteram longitudo literarum tuarum, alteram elegantia declarat. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLIV.

Excusat se, qvod abesse cogatur, dum liber ejus excuditur, culpam conferens in valetudinem.

Form. Excusandi & brevitatem & festinationem literarum. Hæc dictavi properè. (A)

BIduum hîc futurus sum: nec enim diutius licet per valetudinem: nec venissem levibus causis. Liber tuus propediem prelo committetur, & dili-

genter emendabitur. Angor eqvidem, qvòd abesse cogar; qvod accidit profectò non minùs contra voluntatem, qvàm præter opinionem: sed hæc in manu nostra non sunt. Ducimur enim, vel trahimur potiùs, fatorum vi. Itaqve humana omnia ferenda. Qvanqvam non hæc tibi, qvem religio probum, doctrina prudentem facit, sed mihi ipsi, ab iis præsidiis, qvæ te muniunt, parùm instructo, tanqvam intus cano. De rebus meis, de valetudine, de studiis, exigit omnino amicitia nostra, ut aliqvid significem: sed neqve nunc satis otii suppetit: neqve ut verè dicam, libenter scribo, qvæ tu non libenter legas. Meliora tamen omnia paucis diebus fore videbantur: itaqve uberiores à me literas exspectato. (A) Hæc dictavi properè, multis districtus negotiis, animô curis impeditô. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLV.

Resp. hortationi Nattæ, & se omnes suas epistolas editurum, qvod cupierat, promittit.

LEgi, qvas remisisti, epistolas meas, & correxi leviter, ut homini licet occupato. De editione, qvòd hortaris, ut omnes potius, qvàm ut ego statueram, unam aut alteram: ita faciam, non spe laudis, (scriptæ sunt enim, qvod res ipsa indicat, indiligenter, ac raptim) sed qvia notam esse æqvis & iniqvis nostram amicitiam volo: qvæ me ornat judicii tui testimonio: cùm tamen ad judicium singularis accedat humanitas. Vale. Venetiis.

EPI-

EPISTOLARUM PAULI MANUTII,

Liber IV.

ILLUSTRI COMITI MICHAELI TURRIANO, CENETENSI Episcopo, Cenetam.

Lib. IV.

EPIST. I.

Agit Turriano Comiti & Episcopo gratias, quòd ejus liberalitate à gravissimis curis sit levatus, quòd consolatione erectus sit; atque hoc nomine ipsum laudat, doletq́; quòd hactenus facultatem veniendi ad ipsum non habuerit.

Form. Deferre alicui studia sua. Interim memoriâ tui fruar &c. (A)

ANgebar animi, nec fieri qvidqvam posse me uno miserius opinabar: ita multa hoc anno præter exspectationem, prorsus adversa meis rationibus, obtigerant; fratris primùm amantissimi, deinde filioli svavissimi interitus, uxoris morbus, invaletudo mea, rei familiaris incommoda. Qvàm facilè, nullo penè strepitu, rerum mearum conversus orbis est. De fratre, & filio jam fero moderatiùs; vel qvòd, ùt solet, medetur dies; vel qvia, qvod æterna lege Deus constituit, id abrogare velle, non solùm injustitia, verùm etiam imprudentia videtur esse. Uxor convaluit:

ego satis firmus. Domestica verò damna, qvæ sarciri vix unqvam arbitrabor posse, facilè compensat amor in me tuus; cujus mihi recordatio molestias omnes diluit; qvandoqvidem vis, me ad omnes casus (recordor enim tua verba) subsidium, in tua benignitate maximum constituere. Itaqve levatus à gravissimis curis, premi jam onere officii me sentio: in qvo sustinendo viribus enitar cunctis & animi, & ingenii: tantumne? imò etiam iis, qvas benevolentia erga te nostra, & singularis addet observantia. Qvid porrò tam difficilè, aut tam amplum est, qvod incitata studio voluntas non assequatur? verùntamen in hac re sentio esse haud paulò difficilius mihi satisfacere, qvàm tibi. Te enim nihil in conferendo beneficio spectare præter ipsam virtutem, qvæ suis gaudet ac fruitur bonis, nihil extrinsecus assumit, satis mihi multò antea persvasum est; præterea nullâ re indigere: non gloriâ, qva jampridem abundas; non divitiis, qvas & possides jam, & contemnis. Ego verò, qvi & ante annos sex, qvo te primum die sum allocutus, eo ipso die benignitatis tuæ præstantiam non vulgari munere sum expertus; & nunc ab eadem benignitate multò etiam majora, te jubente, cogor exspectare: prorsus ancipiti curâ distrahor, qvi neqve gratiam tibi unqvam referre, neq; nudâ voluntate contentus esse possim. Succurrunt enim multa, qvæ libenter cogitem; primùm humanitas tua, qva me semper complexus es; deinde liberalitas, qva sublevasti; postremò consolatio illa, Christianæ pietatis, & sapientiæ pleniſſima, qva me

me qvidém proximo Qvinctili menſe, cum ad te honoris causâ Cenetam acceſſiſſem, afflictum erexiſti. Atqve hæc, qvibus meis erga te officiis? nullis omnino, ſalutatione exceptâ, qvæ ipſâ mihi tum utilis ex prudentia atq; eruditione tua, tum etiam ex dignitate perhonorifica fuit. Qvæ cùm omnia colligo: eximiam iſtam planeq; divinam beneficentiam inſitam tibi, vel potiùs ingeneratam à natura; auctam doctrina, uſu confirmatam, atqve perfectam, ſatis admirari non poſſum. Et ſimul ad qvosdam, opibus affluentes, multis imperantes nationibus, cogitationem convertens, doleo vicem bonarum artium, qvæ deſeruntur abiis, qvorum patrocinio ſi uterentur, fructum retribuerent eum, qvi eſt omnibus imperiis anteponendus. Qvid enim eſt immortalitate præſtantius? qvis autem eam, niſi beneficio literarum, conſeqvitur? laterent in tenebris, obruti vetuſtate, Cæſares, Alexandri, planè omnis antiqvitas, niſi rerum præclariſſimè geſtarum, qvas cum audimus, imitandi cupiditate accendimur, teſtem haberemus hiſtoriam. Qvo magis tibi gratulor, Antiſtes & idem Princeps egregiè, qvi hanc veræ laudis penè vacuam hodie poſſeſſionem tam libenter occupes, veteremqve majorum tuorum de omnibus benè merendi conſvetudinem, nullâ prorſus tuarum fortunarum ratione habitâ, conſtantiſſimè retineas. Qvòd verò iſtam virtutem multis præterea virtutibus, uſu rerum maximarum, prudentiâ, doctrinâ, eloqventiâ, maximè verò humanitate cumulas, atqve exornas: iccirco & antea Romæ, atqve in tuis lega-

tionibus, Ecclesiæ causâ susceptis, magnificentissimè gestis; & nunc in urbe tua, qvam divino simul, & humano jure temperas, concursus ad te qvotidiè fiunt optimorum virorum, & eorum maximè, qvi aut ipsi ingenio, literisq; præstant, aut saltem de ingeniorum, literarumq; præstantiâ judicare possunt. In qvo sæpe fortunam accuso, qvæ mihi facultatem veniendi ad te, qvod eram hac æstate pollicitus, & cupio vehementer, adhuc qvidem eripiat. Qvod cum licebit, accurram. Qvid enim ista amœnitate jucundius, isto cœlo salubrius? qvid porrò ad beatè vivendum deesse potest ei, qvi tecum vivat? cujus in ædibus primùm oritur ex tua disciplina virtus, deinde excipit virtutem liberalitas. Hoc igitur, cùm per negotia licebit: & utinam maturè liceat. (A) Interim memoriâ tui fruar; teq; licet hôc terrarum spaciô disjunctum, colam ùt præsentem; nec ullum erga te, qvod ab homine tui studiosissimo possit exspectari, aut officii genus, aut studii prætermittam. Vale. Venetiis.

ANTONIO VERANTIO, EPISCOPO AGRIENSI.

EPIST. II.

Gratias agit Verantio Episcopo Agriensi 1. de salutatione. 2. de Emblemate misso: ac se ad ipsum amandum, colendum, prædicandum hac epistola velut præde obligat.

Form. Volui sæpe ad te scribere, sed pudor prohibuit. Atqve ego te cùm ante aliqvot annos. (A)

Form.

Form. Si coràm non possum, absens te colam. Veruntamen si tibi. (B)

Cùm*, tui studiosissimus, & præclaræ non solum indolis, sed jam etiam virtutis adolescens, proximè reversus è Pannonia, tuo me nomine salutasset; atqve hoc officium iis verbis, qvæ facilè tuum de me judicium declarabant, subsecutus esset: cepi sanè voluptatem in credibilem, nec mediocres habui gratias Deo opt. Max. cui soleo, si qvid optabile contigit, acceptum referre, & à qvo, si qvid contrà, sperare meliora. Nec verò tuâ mihi qvidqvam amicitiâ vel ad meam laudem illustrius, vel omnino amplius possum existimare; cujus audio fortunam à multis ita laudari; atq; extolli, ut nemo tamen sit, qvin fortunæ virtutem anteponat. (A) Atq; ego te cùm ante aliqvot annos, commotus famâ laudum tuarum, diligere, & observare cœpissem; animumqve meum probare tibi literis vehementer vellem: pudor vetuit, non omnino fortasse improbandus; meq; ab hoc deterrere consilio, & qvasi reprehendere natura mea maximè semper est visa. Qvid? tune talem virum gravissimarum rerum onera sustinentem, deditum studiis præstantissimarum artium, inani scriptorum genere appelles? revocabat ratio, & habendum mihi tum dignitatis tuæ, tum modestiæ meæ rationem intelligebam. Sed profectò à rectis mentibus non ambitione, sed officio incensis, divina nunqvam benignitas abest. Qvalem enim ego certè vix unqvam sperare ausus essem, ea mihi nunc à te ipso oblata facultas est. Cui de mittendo ad me emblemate, elegan-

legantissimè, &, in qvo summam laudem statuo, admodum piè conscripto, venerit in mentem. Qvo sum dupliciter affectus officio: lætitiâ primùm ex ipsa re; debet enim jucunda vehementer esse amoris, ac judicii. à tali præsertim viro profecto, significatio: deinde molestia qvadam qvòd, qvi humanitate vinci non facilè patiar, nunc qvidem à te captus atq; oppressus, tantum in hac virtute, qvâ nulla magis hominem decet, tibi concedã necesse est, qvantum in aliis, qvibus te Deus ornavit, & industria tua, minimè paucis: qvarum fama non Germaniæ, aut Pannoniæ, continentium regionum, ambitu terminatur, sed Europam, qvanta qvanta est, ac penè terrarum orbem jam pervolitat universum. (B) Verùntamen, si tibi, magnis locorum spatiis disjuncto, singularem animi mei ad te amandum, colendumq; propensionem ostendere minùs possum; apud eos saltem, qvi meam vocem audiunt, meisq; sæpe sermonibus interfunt, tuam doctrinam, eloqventiam, inprimis verò puram ab omni labe religionem assiduè prædicando, profectò ipse mihi aliqva ex parte satisfaciam. Nec tamen ita sterilem cognovimus industriam nostram, licet mihi laudem ingenii nullam adsciscо, qvin ea fructum aliqvem, qvi ad tuum decus pertineat, nec sine tuâ gloria pervulgetur, aliqvando ferre possit. Qvod aggrediar ita libenter, & ita studiosè curabo, ut eventus futuri lætitiã avidè præripiam: deq; eo, qvod nondum præstiti, jam nunc, perinde ac si præstiterim, ipse mihi gratuler, & hujus qvidem veluti prædem promissi, meæ testem voluntatis, hanc ad te mittendam epistolam putavi. Vale. Venetiis. AN-

ANDREÆ ZEBRIDOVIO, EPISCOPO CRACOVIENSI.

EPIST. III.

Conciliat sibi Zebridovii Episcopi Cracovienſis benevolentiam & amorem, 1. miſſa effigie (imagine) patris ſui; qvi cum ipſi qvotidiè in ore ſit, ſperat, hac ratione aditum ſibi ad ejus amicitiam apertum iri. 2. pollicitatione ſcriptorum ejus nomini dedicandorum.

VIde, qvæ ſit vis etiam apud alienos ignotosqve homines veræ ſolidæqve virtutis. Aliqvot abhinc annis, cùm egregios viros, qvi te non de facie ſolùm, verùm etiam è ſermone aſſiduaq; conſvetudine optimè noverant, omnia de te ſumma prædicantes audirem, ſtudio tui ſum incenſus incredibili. Nec meam deinde obſervantiam dies exſtinxit, aut imminuit; ſed auxit potius, ad ſummumq; perduxit. Atqve eqvidem nihil habui antiqvius, nihil exſpectavi magis, aut obſervavi diligentiùs, qvàm ut hæc ad te amandum, colendumq; animi mei propenſio aliqvo tibi non vulgari pateret officiô: ſed meam exſpectationem fefellit eventus. Nec ulla unqvam ſatis opportuna voluntati reſpondit occaſio. Nunc igitur, qvod mihi à fortuna denegatur, ſtatui à me ipſo impetrare. Præclarum aliqvid præſtare, dignũ videlicet eâ, qvam tu ſuſtines, perſonâ, dignum tuâ virtute, cupiam: non licuit: at, qvod licet, demus operam, ut id conſeqvamur. Licet enim certè ſtudii erga te mei ſignificationem qvandam, non expreſſam omnino, ſed qvaſi leviter adumbratam oſten-

ſtendere. Et è qvercu etiam qvandoq; exculptum placet, non modò ex ebore, ſimulacrum. Effigiem domi habeo parentis mei, qvem tibi unum, cum familiari olim tuo, & in ore, & in amore eſſe, homo inſi;ni eruditione, moribusq; ſanctiſſimis, Andreas Patricius non ſemel affirmavit. Ejus exemplar venienti ad te Patricio dedi. Putabis igitur, cùm patrem meum qvaſi præſentem adſpicies, agere tecum, ut aditus mihi, & qvaſi fores aperiantur ad amicitiam tuam. Qvod ſi aſſeqvor; additum ad fortunas meas ornamenti, commodiqve plurimum, exiſtimabo. Qvid enim ſpecioſius, qvid ad laudem præſtantius, omninòve utilius, qvam principum, hoc eſt, tui ſimilium virorum, frui benevolentiâ? atq; hoc video totum eſſe poſitum in humanitate tua, qvam Patricius ferebat in cœlum. Nam ego qvidem nullis planè meritis, animo tamen adhuc te colui: ſed, ùt ſpero, merita qvoq; accedent. Conferam enim ingenium ad tuam laudem: & apparebit in tuo nomine, approbante Deo, qvo nihil abnuente perficitur, opus aliqvod induſtriæ noſtræ, ejusmodi fortaſſe, (certè hoc enitemur) qvod poſteritas haud omnino contemnat. Vale. Venetiis.

PETRO MISCOVIO SARMATARUM REGIS CONSILIARIO.

EPIST. IV.

In Miſcovio Regis Poloniæ Conſiliario laudat probitatem & eloqventiam: Qvibus ſtudiis ſe qvoq; à puero

puero fuisse deditum, scribit: sed illa Miscovio majorem claritatem & felicitatem attulisse. Quæ bona ipse perpetua optat, & illum hortatur, ut ea non ad proprios usus, sed alienas utilitates, & artium liberalium commoda convertat. Quod cùm illum jam facere, & sua scripta ab eo propter elegantiam L. L. amari ex Andr. Patricio intellexerit, adductum se ait ad has literas scribendas: quibus promittit, se daturum operam, ut illam elegantiam aliquando consequatur, quam in se laudet; & pro judicio illo honorifico gratam memoriam pollicetur.

Form. Pollicendi gratum animum. Quod si compensare &c. (A)

AMo valde probitatem, & secundùm eam, eloquentiam, non quæ verba tantùm colligit, & inani vocum sonitu auribus obstrepit; sed quæ maximè rem continet, seque ita non minus gravitate sententiarum, quàm elegantiâ verborum & splendore commendat. Hæc te audio simul expetere, Petre Miscovi: expetere autem? imò jam esse consecutum. Quibus, ornamentis magnum te esse, atq; illustrem apud homines verè sapientes existimâ, sic inquam, ut illa, quæ plerique; quasi solâ bonâ, specie decepti admirantur, quæ ipsa quoq; in te non mediocria sunt, opes, auctoritas, amicitia clarorum virorum, addo etiam gratiam apud Regem omnium potentissimum, nullo pacto conferenda videantur. Nam hæc licet aliquando virtutem consequantur,

ut

ut in te ipso contigit, minimè tamen ipsa virtutem indicant, neq; semper ad laudabilia studia, tanqvam ad causas eventa, referuntur. Qvi verò pietatem, qvi justitiam colit, qvi & ingenio valet, &, qva valet, ad res egregias, maximeq; ad instructam præclaris doctrinis eloqventiam totus incumbit: hunc verè se ipsum, qvod esse difficillimum constat, ac sua bona nosse: hunc optimè exercere instrumenta illa, qvibus homines brutis animantibus præstant, mentem, atq; rationem: hunc deniq; gloria dignum immortali, dignum, qvi feratur in oculis, ornetur laudibus, nemo omnium hominum, nisi qvi hominis nomine indignus haberi velit, unqvam negabit. Qvod ego cùm à prima pueritia, domestico patris instituto; naturâ etiam qvasi svadente, sensissem, confirmatus postea magnoperè sum clarorum virorum exemplo: nec venit unqvam in mentem qvòd ita senserim, pœnitere. Lætatus etiam valde sum, ac lætor eqvidem nunc eò magis, qvòd accedit ad meam sententiam judicium tuum. In iisdem enim studiis elaboras: eædem tibi artes curæ sunt: qvæq; hinc emanant laudes, eas esse veras laudes, & earum ita semper florere gloriam existimas, ut nunqvam exaresçat. Idem putamus, & idem uterq; seqvimur, optime Miscovi: sed tua clarior industria hominis in excelso dignitatis gradu constituti; fortasse etiam felicior, qvia secunda ingenium fortuna excitat, adversa debilitat. Qvàm multa enim nobis obstant: qvàm sæpe recta mens, optimorum consiliorum in cursu impedita, cogitur consistere: tibi verò, qvi propensam vehementer ad laudabilia qvæ-

qvæqve voluntatem in te laudant, iidem fluere ex voluntate omnia confirmant, nullam adversari, nullam pugnare tecum ex iis rebus, qvæ sunt inimicæ virtuti: versari te assiduum in aula Regis, ipsi Regi carum, summis & infimis jucundum, apud exteras etiam gentes illustrem, ac perhonoratum. Qvæ tibi esse perpetua, maximeq; propria, non solum cupio, communi studiorum causâ, qvorum decus tua dignitas auget, sed facilè etiam adducor, ut sperem. Qvidqvid enim es, à te ipso es, & ideò tantus, qvia talis: nec tu desines unqvam esse, qvi fuisti: nec ea, qvæ virtus constituit, casus evertet. Tantùm igitur, qvod & facis, & facere minimo negotio potes, retine consvetudinem tuam: intuere te ipsum: vitam anteactam imitare. Sic augebis qvotidie tua merita; & idem qvotidie meritorum præmia tuorum sumes à te ipso; eritq; virtuti merces, virtutis usus; qvo nihil esse jucundius, profecto jam sensisti: nihil autem ad memoriæ perpetuitatem utilius, docemur exemplis eorum, de qvibus post tot sæcula literæ loqvuntur. Et, qvoniam sequitur atq; comitatur, ut umbra corpus, gloria virtutem, nec te latet, præceptis imbutum antiqvæ doctrinæ, improbari eos ab excellentibus in philosophia viris, qvi: præter sua commoda, nihil spectent, seq; sibi tantum ipsis esse natos arbitrentur: non dubito; qvin statuas, qvantumcunq; vel habes jam facultatis ad bene merendum, vel in omni tua vita præclara tibi animi tui bona pepererint, non ad rei domesticæ fructum, aut ad angustæ benignitatis usum illud esse revocandum, sed esse totum ad alienas

nas utilitates, maximeq; ad artium liberalium ornamenta qvàm latissimè porrigendum, atqve explicandum. Qvod si fiat, simul illud fieri necesse est, ut, qvàm plurimis in tua laude consentientibus, par beneficentiæ celebritas nominis, & fama conseqvatur. Atq; ego te ita sentire, proq; tuis opibus jam præstare, non inani aliqva conjectura ductus existimo, aut ideo ad te scribo, ut in tuam gratiam blandæ orationis artificio mihi liceat irrepere: sed credidi hominum honestissimorum ac prudentissimorum, istinc ad nos vel studiorum causa, vel cognoscendæ Italiæ studio commeantium, testimoniis; maximè vero familiari meo, nihil temerè affirmanti, Andreæ Patricio: cujus eò pluris judicium facio, qvòd egregiam ejus doctrinam, id qvod perqvam rarò contigit, adæqvat integritas. Addebat etiam, qvo sum unicè delectatus, qvodq; mihi, ut verè dicam, hujus epistolæ causam attulit, studiosum te esse scriptorum meorum, & mihi aliqvid, atq; adeo tantum tribuere in Latina lingva, qvantum optavi eqvidem semper, assecutum me esse nunqvam duxi. Nunc, si tu, ista vir auctoritate, isto pondere, ita de me sentis; in dubium penè revoco judicium meum; nec me prorsus audeo contemnere, ne à te dissentiam; enitarq; multò etiam, qvàm antea, diligentius, ut accedam proximè, si ulla ratione potero, qvò tu me perveniſſe jam existimas; ut aliqvando veritati jure des, qvod fortasse nunc humanitati magna ex parte largiris. Fateor enim judicii de me tui famam mihi esse perjucundam; qvid oneris tamen eadem imponat, qvoq; redigar

neces-

necessitatis, intelligo. Latere nullo modo potest, qvem clari viri testimonium indicat: nec me jam ad vigilantiam, omnium scientiarum parentem, laudis cupiditas magis, qvàm infamiæ metus impellit. Qvæ licet perdifficilis, admodumqve dura videatur esse conditio; tamen, qvia gratus, hoc est, vir bonus esse volo, amplector libenter officium tuum, ab excelso qvodam animo, liberaliq; profectum: (A) qvod si compensare meis officiis non potero, memoriâ tuebor, & prosequar etiam laudibus, qvàm diu vitâ fruar: ut ex optima saltem voluntate, qvâ boni, & sapientes viri metiri beneficia consveverunt, aliqvam tibi relatam esse gratiam existimes. Vale.

JOH. VINCENTIO PINELLO, PATAVIUM,

EPIST. V.

Laudat Pinellum, qvòd utrumq; vitæ genus, Contemplativum & Practicum, h. e. Philosophiam & Jurisprudentiam conjunxerit. Deinde ipsi gratulatur de præceptore in Philosophia, videlicet Antonio Genua. In jure cùm veterum Jurisconsultorum præcepta teneat, monet eum, ut spretis barbaris JCtorum scriptis, Græca cum Latinis, & Eloqventiam cum Philosophia conjungat.

Form. Hortandi: Habes igitur divinitus oblatam. (A)

Form. Rogo ut me ames. Interim amorem mihi tuum. (B)

MAgna fuit, atq; etiam nunc inter homines est de genere vitæ controversia : cùm alios ita doctrinarum cognitio delectet, ut ab agendis rebus abhorreant; alii, non sibi tantum, verum & amicis, & patriæ, planeq; omnibus hominibus, homines esse natos existiment: ex qvo sequitur, ut scientiarum studiis usum rerum anteponant. Hoc discrimen, in qvo valdè pro sensu partium dubia veritas fluctuat, tu qvidem, qvod ad te attinet, optime Pinelle, optimisq; & eruditis viris meritò carissime, egregiâ qvadam, vulgo non satis cognitâ ratione sustulisti. Simul enim utrumq; studium complexus es, tum earum disciplinarum, qvibus exculta mens uberrimos in omni fortuna ferre fructus solet, tùm juris civilis, qvod alienos ad usus maximè porrigitur. Arduares & operosa: qvod exemplorum declarat inopia : sed ingenio tuo nihil difficile: &, ùt se præbent initia, futurum nemo dubitat, ut instituta perficias, consiliisq; tuis brevi respondeat eventus. In philosophia qvidem processus tuos admiramur: qvi tanti sunt, ut evolare potiùs, qvàm excurrere videaris. Qvanqvam cur miremur? ingenio si qvis valet, in studio ferè langvet. Qvi utrumq; conjunxit, optimam qvandoq; disciplinam, & rectam studiorum viam ignorat. Facin uno tamen hæc inesse omnia; qvid assequetur adversante fortuna, subsidiis destitutus iis, qvæ cùm adsunt, fertur animus proclivi cursu ad egregias res; sin absint, hæret in salebra, nec facilè progreditur. Qvæ igitur singula tanti sunt, qvemvis ut possint à sperata literarum gloriâ penitus avertere;

hæc

hæc tibi cùm suppetant universa, jure istam, qvam alii vix tuentur, Spartam qvotidie magis illustras; neq; tàm nobis hoc, æqvalibus tuis, qvòd sis virtute major, qvàm illud si te ipso minor esses, admirandum videretur. In philosophia qvidem cùm operam studiosè des M. Antonio Genuæ, cui veterum doctrinarum arcana patent, qvo nemo peritior, Aristotelis interpres, nemo vir melior usqvam vivit; nihil mediocre neqve nos à te exspectamus, neqve tu præstas. Qvo nomine tibi gratulor plurimùm, & eò magis, qvòd illius viri voce publicè cum multis consvetudine, ac sermonibus, qvæ humanitas ejus atqve amor in te est, privatim & propriè frueris. Hauries enim ex eodem fonte non ea solùm, qvæ vel olim in Lycéo vel etiam in Academia disputabantur; sed id, qvod longè præstantius est, Christianam pietatem, à qva manat unâ, & in qva item unâ Philosophia perficitur. (A) Habes igitur, divinitus oblatam, virtutis adipiscendæ facultatem: qvam te video arctè esse complexum, nec vereor ut dimittas, qvi te ita flagrare cupiditate cognoverim, ut revocandum potiùs à nimia contentione valetudini vix ferendâ, qvàm acuendum, & incitandum intelligam. Nam, qvod ad jus civile pertinet, ubi tu philosophiam, id est totum, scientiâ comprehenderis, qvid in parte cognoscendâ superesse negotii putas? minimum, si sapientes viros, & in iis eum, qvem ego omnibus judicii laude antepono, doctorem tuum Genuam audies. Qvanqvam sermo tuus, habitus interdum, præsente me, cum eruditis hominibus, tractasse te jam satis dili-

genter ea, qvæ excellunt in universo jure civili, id est, veterum jurisconsultorum præcepta, declarabat: ut vel eadem facilè possis, qvandocunq; libuerit, recognoscere; vel, si qva restant, qvasi racemos aliqvos confectâ vindemiâ colligere. Non enim te arbitror studiorum tuorum elegantiam ineptissimis, planeq; barbaris qvorundam scriptis inqvinare velle: qvæ cum immensa sint, pleraq; tamen inania, laboris & molestiæ plurimum, utilitatis & oblectamenti minimum habent. Interim, ut facis, Græca cum Latinis, & eloqventiam cum philosophia conjunge: ut, politioris doctrinæ copiis instructus, remissiora etiam studia colentibus aliqvando satisfacias. Non enim vivimus omnes in Atticis gymnasiis: nec ubiq; de rerum causis qvæstio est: &, qvibus contemplatio naturæ vehementer placet, iisdem tamen animi causâ tanqvam in hortos Musarum divertere non injucundum est. Qva de re qvia nonnunqvam inter nos locuti sumus, &, ut spero, brevi colloqvemur, nihil addam; te præsertim, qvod facilè intellexerim, meam sententiam comprobante. Cujus consilii, non dubito, qvin majorem qvotidie voluptatem capies. Ego hic, genere vitæ molestissimo, qvas Patavii utiliter satis, jucundè qvidem certè in libris, & in tuis tuorumq; familiarium sermonibus traducebam, horas perdo. Itaq;, cùm primùm domesticas tricas, qvibus teneor invitus, expediero, advolabo istuc, si tiens vestræ consvetudinis; qvâ si frui perpetuò liceat, beatissimè viverem. (B) Interim amorem mihi tuum, cujus eqvidem memoriâ valde recreor,

cupio

cupio conserves, & si tua patitur humanitas, etiam rogo. Vale, & † familiarem tuum, cujus doctrinam, & ingenium in Lucretiana interpretatione mirum in modum probo, saluta meis verbis. Venetiis.

VIDO PANCIROLO, PATAVIUM.

EPIST. VI.

Diligentissimè commendat Pancirolo juvenem Pannonium, Ciceroniana eloquentiâ præditum, à Cardinali Polo sibi antehac commendatum; eumq; rogat, ut ipsum studio juris discendi incensum in consequenda ejus scientia juvet, & in clientelam recipiat.

Cùm alia me in ista urbe, quam tu præter cæteros tua virtute nobilitas, & ornatissimorum juvenum cœtu frequentas, oblectare vehementer soleant; tum nihil est, aut esse omnino potest, † quotidiana consuetudine, jucundius: non solùm, quia probitate, modestiâ, morum elegantiâ, omnibus denique animi bonis excellit: sed etiam, quia, paucorum annorum studio, præstantiâ videlicet ingenii, quam ego semper amavi, consecutus est, ut exquisitam, ac variam sermo illius eruditionem præ se ferat; scripta verò ad Ciceronianam eloquentiam sic accedant, ut cum iis, qui suum nomen hac laude celebrarunt, qui pauci admodum sunt, conferri jure possit, æqualibus verò cunctis facilè antecellat. Hunc ego tibi juvenem, quem olim mihi adolescentulum vir omni laude summus, Reginaldus Polus Cardinalis, magnarum virtutum indole

commotus, accuratissimè commendavit, etsi necesse non arbitror, commendo tamen eo studio, quod quia verbis exprimere mihi non licet, tu quoque tantum esse velim existimes, ut exprimi nullo modo possit. Is cum antea philosophiam, præsertim quæ de Græcis fontibus hauritur, & humanioris doctrinæ studia diligenter, eximiaq; cum laude coluit; tum hoc tempore in cognoscendo jure civili totus est. Quâ illum cupiditate quotidie magis incendit admiratio tuæ virtutis, quam in omni ferè sermone ad cœlum fert, exterisq; etiam gentibus, licet illustrem satis, elegantissimis declarat epistolis. Pertinet igitur ad humanitatem tuam, qui te tam valdè amet, tantiq; faciat, eum redamare, eiq; reconditos illos, omnium purissimos, tuæ scientiæ fontes aperire: pertinet etiam ad fidem, qui se totum in tuam disciplinam tradiderit, opibus eum impertire ingenii tui, quas ille regum opibus & sua sponte, & meo judicio, cui tribuere aliquid videtur, præstantiores existimat. Hæc ad impetrandum magna sunt, præsertim apud optimum virum, quam in tuis laudibus præcipuam agnoscimus. Verùm accedit amor in te meus, qui fraternam necessitudinem æquat. Is te rogat, is prensat, quàm studiosè, quàm blandè potest, pro † meo: ut eum, quem ego meritò ejus in oculis fero, tu, quem amicitiæ nostræ denegare nihil decet, quando nec studio tuo quidquam abnueret voluntas mea, omni benignitate complectaris, planeq; in clientelam tuam, atque adeò in sinum, æquè ac filium meum, æquè ac me ipsum recipias. Quod si feceris;

ob

obstringes tibi non vulgari beneficio juvenem summo loco natum; dignum majoribus suis, qvi Pannoniam, ùt ego auguror, sua virtute aliqvando Italiam faciet; à me verò gratiam inibis eam, qvæ, si qvid accedere ad meam in te benevolentiam potest, qvod eqvidem vix arbitror, idipsum una possit adjungere. Vale. Venetiis.

† PATAVIUM.

EPIST. VII.

Resp. nunciatoriæ Epistolæ, & significat reditum ejus sibi gratissimum esse, de eoq; illi gratulatur, additâ cohortatione, ut in secessu Patavino studia sua cum amore divino conjungat.

Form Lætandi. O dulcem reditum. (A)

Form. Hortationem excusandi. Atqve hæc me scribentem. (B)

(A) O Dulcem reditum! ô amandas literas, qvæ mihi id significant, qvod, non modò spe, sed nec suspicione attigeram! sed, qvando te ipsum, mi †, videre, qvando licebit amplecti? oculos mehercule tuos, dum hæc ad te scribo, intueor, indices probi animi tui, indices humanitatis. Hoc mihi spectrum fingit amor: (qvid enim aliud?) & hæc me cogitatio jucunditate perfundit incredibili: Qvid putas, cùm erimus unà, dabiturqve, ùt ille inqvit, veras audire ac reddere voces? nemo unqvam perinde lætatus est inventô thesaurô, ùt ego, te reversô. Videor enim amissum recuperasse: &

planè amiseram. Nam, etsi reliqveras hîc memoriam tuæ suavitatis, tuiq; ingenii; tamen, qvod attinet ad adspectum, ad consvetudinem, ac sermonem, qvibus nobis, tui amantissimis, nihil potest esse optatius, totus abieras. Ac verebar, ne vel precibus tuorum victus, vel honorum cupiditate illectus, totum te dederes aulicis muneribus, multâ nobis, fortassè etiam literis, salute dictâ. Nunc te tuus bonus, tuus, inqvam, mihi crede, bonus genius reduxit, sicuti malus abduxerat. Qvid enim sumus, nisi adsit humanitas, & literæ? qvæ petuntur in otio, tranqvilla mente. Otii autem ubi plus, qvàm in isto secessu Patavino? nemo qvemqvam interpellat nolentem: invitant ad virtutem, si minùs voce, exemplo certè qvàm plurimi: patet aditus ad doctores in omni liberalium disciplinarum genere præstantes: qvid præterea? cœli mira clementia: rerum, qvibus alimur, suavitas incredibilis & copia. Hæc tibi, optime, jure prima sunt: jure tot montes superasti, tot flumina transjecisti, ut hæc dimissa statim repeteres. Vives tibi, solutus ab omni curâ: vives Deo, contemtis divitiis, abjectâ illa gloriâ, qvam falsa prorsus & inanis bonorum species ostentat. Qvod nisi Deo viveres, nec tibi certè posses vivere. In illo enim uno vera, ac solida virtus; hæc, qvam qværimus in libris, aut discimus ab hominibus, umbra est. Qvocirca hortor eqvidem te, ut libros evolvas accuratè, ut magistris assiduè operam des: sed minimum in utrisq; pone, nisi tua studia divino cum amore conjungas. (B) Atqve hæc me scribentem magno-

gnopere delectant; tibi non puto fore legenti necessaria: scribo tamen, & qvia te mirificè diligo, cupioqve esse, qvalem pater filium; & qvia commemoratione ipsâ rei omnium optimæ, ac præclarissimæ afficior sic, ut nullam ex ullo sermone, aut ex ulla cogitatione majorem hauriam voluptatem. Nec tu debes officium meum aspernari, aut in deteriorem partem trahere, si tibi, etiam rectissimè viventi, (sic enim existimo, planeq; mihi persuasi) constantiam laudo. Lubrica est enim adolescentiæ via: labuntur multi, cùm aliqvantum jam processerint: cursum verò conficit is, qvi nititur optimis cogitationibus, ducemqve seqvitur eum, qvi nunqvam errat, communem humani generis parentem: qvi tibi omnia bona pollicetur, & dabit, qvæ nec ab Imperatore tuo sperare, nec ab ullo Rege licet. De Episcopo Agrienſi, agnosco tuam in me benevolentiam. Cui de emblemate gratias agam? Mariani Lezentii, juvenis ornatissimi, & Andreæ Patricii, contubernalis tui, talem in me animum amplector, qvos cupio à te meo nomine salutari, itemqve Polonos cæteros familiares tuos, qvorum & nobilitas, & ut audio, virtus Patavinum gymnasium illustrat. Vale; &, qvando nos aspectu tuo privas, minue saltem literis, non hâc recentiore Italica, sed illâ vetere, omnium elegantissimâ, Romanâ lingvâ scriptis, desiderium nostrum.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. VIII.

Resp. ad petitionem amici, & se illi imaginem suam, quam petierat, missurum, ubi fuerit absoluta, promittit. Deinde resp. ad commendationem ejus, & se illius contubernalem peramanter excepisse scribit, rogatque ut plures sibi amicos conciliet.

Form. Excusandi silentium. His diebus facultatem. (A)

OPtime †, qvid tibi, obsecro, in mentem venit? nostrâne imagine tuum putas cubiculum ornari posse? pudet me studii tui: & erubui, mihi crede, cùm hanc partem legerem literarum tuarum. Nec tamen, qvi tuam facilè cupiditatem intelligo, deesse tibi possum: cœpta res est, & agitur, ut video, satis diligenter; qvæ cùm erit absoluta, mittetur ilico ad te; ac vellem, posset artifex eodem penicillo animum in te meum unâ cum vultu exprimere: non dubitarem, qvin hanc tu multò magis imaginem diligeres. Non necesse est, inqvies. Libenter credo: &, qvòd ita sit, acceptum refero tuæ humanitati; qvæ mihi à te impetrat id, qvod meritis, aut officiis consequi nondum potui. (A) His diebus facultatem ad te scribendi permolestæ occupationes eripuerunt. Ignosce: & puta, nunqvam abduci meam ab officio voluntatem, licet opera non exstet. Heri adiit ad me contubernalis tuus Stanislaus Fogelvetrius Cracovienſis. Probum adolescentem, præditumqve literis, & tua planè consvetudine dignum è sermone judicavi. Amanter illum excepi, ût natura mea fert; jucundè non potui, qvia valetudo non concedit. Cujus benevolentiam

am, si te ut arbitror, conciliante, sum adeptus, peto à te, mihi ut eam conserves. Et omnino, qvicunqve à te diliguntur, eosdem mihi cupio mutua benevolentiâ conjungi. Epistolam ad Episcopum Agriensem, qvando interdiu otii nihil suppetit, dictavi ante lucem amanuensi meo. Eam ad te mitto. Signum tuum, cum legeris, imprime. De gentilibus tuis, negotium dedi, & curabitur diligenter. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. IX.

Agit gratias de conciliata sibi alterius amicitia, sed monet ipsum, ne plus de se aliis polliceatur, qvàm præstare possit. Subjicit de variis rebus.

VIdeo, te in jungendis amicitiis præclarum artificem esse: verùm cave, ne qvid alterutra de parte promittas, qvod præstari vix possit: aut, si promittes, ipse ne spondeas, neqvando præter opinionem cogaris dependere. De me ipso loqvor: qvem tu si putas esse, qvi non sum, qvod ad me attinet, facilè patior: fruatur hôc amicitia nostra privilegiô, ut inter nos omnia liceant; sed vereor, ne tua apud alios prædicatio plus nobis imponat oneris, qvàm sustinere possimus. Patricio tuo scripsi, multis districtus negotiis: & eram animo conturbatior, accepto nuncio de fratris mei summa corporis, aliqvâ etiam mentis invaletudine. Gentiles tui latent adhuc: eruentur aliqvando, si qvi sunt: curat enim homo tum mei cupidus,

tum

tum ad hoc diligentiæ genus vehementer aptus. De libris, putabam è silentio meo te conjicere, nihil esse; sed qvando appellas crebro, scies, nondum, neqve ad Junctas, neq; ad alium qvenqvam perveniisse. Tu vide, cui rem commiseris; & urge literis, ut sine mora mittantur. Imago coloratur, designatione jam perfectâ: veritatem, nisi fallor, egregiè simulatam dices. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. X.

Resp. Petitioni amici, & ipsum monet; ne imposterum tam verecundè petat. 2. Mittit ipsi literas, qvas ad Sophianum scripsit, & potestatem de illis statuendi, ipsi permittit. 3. Se jacere scribit, sed spe melioris vitæ animo esse erectum.

AMo te, qvòd verecundè petis; sed istam posthac verecundiam abjice, obsecro, si qvid aliqvando mecum ages. Nescis, apud me qvo loco sis, aut qvo ego apud te esse cupiam? Qvod si nescis, aut etiam, si dubitas; injuriam facis utriq; nostrûm. Scripsi ad Sophianum, libenter eqvidem tuâ causâ: sed invitus eâ gratiâ, qvòd laborantem, ut audio, gravi morbo, vexari tuo studio nollem. Eqvidem discrucior, cùm ita affectum audio probum juvenem, mihi amicissimum, Græcarum literarum scientiâ sine dubio singularem. Sed, qvia te fero in oculis, idq; sanè tuô meritô, literas ad eum conscripsi; qvas in hunc fasciculum conjectas cùm legeris, si reddendas non putabis, conscindes. Ego

go nunc, si qvod de me scire vis, jaceo, corpore satis afflictus ob capitis gravedinem, sed erectus animô propter spem, atqve adeo exspectationem vitæ lætioris. Jam enim didici contemnere, qvæ amabam antea: qvâ te qvoq; in sententia cupio esse. Saluta meo nomine contubernales, & amicos tuos. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XI.

Excusat se de literis seriùs scriptis.

Form. gratias agendi: Gratias tibi agerem. (A)

Respondeo seriùs literis tuis, impeditus febriculâ, robustioribus haud valdè metuendâ; sed in hac nostra corporis imbecillitate etiam ea, qvæ mediocria sunt, non mediocriter timenda. Locum videbis in epistola ad Patricium, ubi ea, qvæ mones, interposui; de qvo qvid sentias, aveo scire. (A) Gratias tibi agerem de ista voluntate: sed hoc planè respuit amicitia nostra; nec tuum erga me officium assequi unqvam possit oratio mea. Meriti enim locô semper apud me fuit bene merendi cupiditas, etiamsi res, qvod sæpe solet accidere, nulla conseqvatur. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XII.

Resp. petitioni de investigandis illinc gentilibus, qvos nullibi reperiri scribit. Deinde pictoris, cui imagines

ginem suam depingendam dederat, frivolas excusationes addit.

QVid tibi ego præstare possum de iis, qvi fortasse nulli sunt? qvæsitum est perdiligenter; nec tamen ullum omnino diligentia fructum tulit. Fingere tibi eos ex argilla possumus, animare non possumus. Qvod si liceret, fieret, atqve adeo factum jam esset. Nec enim mediocre tuum esse studium intelligo: & ego, ut fatear qvod res est, diligo istam in te bonitatem, qvi te gentilibus tuis, nullâ tuorum commodorum spe propositâ, humanitatem modò qvandam secutus, tantopere labores. Certè, qvi honoribus, aut divitis, aut opinione virtutis emineant, nulli reperiuntur. Qvod si qvos obscura conditio, aut fortunæ tegit humilitas: de iis qværendúmne sit, videris; me si consulis, omittes. De pictura, lentum negotium; sed illud te non præterit, Pictoribus, atqve poëtis qvidlibet audendi semper fuit æqva potestas. Itaq; facilè mentiuntur verbis, ùt coloribus fallere consveverunt. Hîc qvi rem suscepit, diu me promissis duxit, varias nectendo causas, ut ei culpam largirer ignaviæ: Nunc imbres accusat, qvòd recentes colores minimè patiantur exsiccari. Hoc puto verum; illa non puto: concedo tamen, ut eo utar facili, & impetrem, qvæ duo simul à nobis exoptantur, festinationem cum diligentia. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XIII.

Gratias amico agit, de communicato secum Commentario, quem se avidè perlegisse, & magnum inde fructum percepisse, scribit; rogatq;, ut similibus libris pietatem spirantibus se impertire velit.

Form. Optandi. vel Voti. Ita mihi optata contingant. (A)

Form. Rogandi. Quod si meis apud te precibus. (B)

Form. Polliceri gratum animum. Quod si feceris &c. (C)

Form. Respondendi ad monitionem: Quòd me revocas. (D)

(A) ITa mihi optata contingant, ùt commentario tuo nihil unqvam legi eruditius, nihil sanctius, aut ad retinendum Catholicæ religionis cultum commodatius. Itaqve, cùm in ortu Solis legere cœpissem, absolvi facilè ante horam prandii, operâ nunqvam intermissâ. Valdè enim delectabar ordine, valde etiam genere orationis tuæ. Res verò ipsa ita me affecit, ut qvasi semina qvædam veræ pietatis, qvæ fructum profectò non mediocrem aliqvando ferent, in animo meo reliqvisse videatur. Qvod qvanti esse apud me putas? qvanti mehercule immensam auri vim non æstimo. Qvid enim cum æterna salute conferatur? (B) Qvod si meis apud te precibus locum aliqvem reli-

qvit

qvid humanitas tua: rogo te etiam atqve etiam, ut hoc genere scriptorum, qvo qvidem ad studium summi boni, perpetuæqve felicitatis mirificè excitor, impertiri me qvàm sæpissimè velis. (C) Qvod si feceris; addictum me tibi multis obstringes eo beneficio, cujus delere memoriam oblivio nulla possit. (D) Qvòd me revocas ad consvetudinem tuam: stimulum scilitet currenti. Sed mihi crede, non planè totus abs te discessi; neqve te mihi prorsus eripiunt, aut ripient unqvam locorum intervalla. Absens tecum sum. Tacitus loqvor, & loqventem audio. Sic lenitur imagine perjucunda desiderium nostrum. Qvod cùm ita sit; opera tamen studiosè dabitur, maturè ut excurram qvò ire necesse est, si meam fidem tueri volo, & qvò tamen, qvia disjungor à te, minimè libenter eo. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XIV.

Nunciat amico filii & suum morbum, à qvo liberatus, scribit, se negotiis expediendis operam dare; ut, si forte amicus suus Pontifex fieret, ad eum posset advolare: si forte ejus beneficio possit sibi & Musis vivere.

Form. Curæ valetudinem. Itaqve dabis hoc amori. (A)

Cùm de tua valetudine solicitus essem, curam auxit filioli morbus, qvô etiam nunc laborat, nec satis exploratâ salute. Me qvoq; leviter febricula

cula tentavit, qva triduo fum fine medicorum interventu, temperatâ duntaxat victus ratione, liberatus. Nunc expediendis negotiis operam do, ut, fi amicus noster, bonarum artium patronus, fummum illum dignitatis apicem attigerit, qvam primùm poffimus accurrere. Sæpe enim & literis, & præfenti fermone, cupere fe conſultum rationibus meis, amantiſſimè declaravit. Mihi autem omnia ſunt in eo, ut otio literato frui liceat, nullâ rerum domeſticarum curâ interpellante. Qvod ſi aſſeqvimur; valeat ambitio: vivemus nobis, & Muſis, & eo qvidem animo, ut omnia referamus ad Deum, à qvo uno felicitas vera pendet: qvod idem tibi videri, ex tuis literis facilè conjicio. Miro teneor deſiderio veniendi ad te: ſed hanc facultatem multa eripiunt; præſertim æger filius, qvem tibi, & pro noſtra amicitia, & pro nova conjunctione, eſſe cariſſimum, planè mihi perſvadeo. Te qvidem à morbo confirmatum fi audiero, æqviore animo domeſtica patiar incommoda. (A) Itaq; dabis hoc amori noſtro, qvem tua virtus peperit, alit humanitas, atq; auget, ut noſtrâ etiam causâ tuam valetudinem ſtudioſiſſimè cures. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XV.

Silentii cauſam affert; & ſignificationem de ejus adventu, ideo ſibi gratam eſſe oſtendit, qvod inde intelligat, ipſum bona valetudine eſſe præditum, qvam ipſi perpe-

tuam optat. Deinde Pontifice mortuo, sperat ad suum Mæcenatem voluntates Cardinalium inclinaturas.

Silentii mei causam ex iis literis, quas heri ad te scripsi, quas hodie manè puto tibi esse redditas, jam cognovisti. Quod nisi ita, declarassem; tamen mihi dubium non est, quin tu pro singulari tua sapientia & humanitate de mea meorumque valetudine conjiceres. Quid enim aliud me à scribendo abduceret? quo equidem nihil facio libentiùs: idq; tibi, si præsenti fortasse non potui, absenti certè probabo. Tuum adventum avidè exspecto: cujus mihi significatio tum eo nomine gratissima, quia te videbo; tùm eò gratior fuit, quòd optimè te valere, etsi tu de eo nihil significes, facilè tamen possum intelligere. Quod si ita est, opto perpetuum esse: & quod opto, id etiam ut sperem, facit continentia tua, quam ego in victu (planè loquor, ùt sentio) valde sum admiratus, & conor etiam imitari. Rerum Romanarum, Pontifice mortuo, conversus orbis est. Itaq;, qui decesserant, omnes ad urbem redeunt. Pecuniæ pro Mæcenate illo, ùt affertur ad nos, libentiùs, quàm pro cæteris, deponuntur; & ad eum deniq;, fore suspicor, ut omnium Cardinalium voluntates inclinent, Vir optimus est, egregiè literis excultus, ingenio miti, &, quod caput est, cùm factiones duæ dicantur esse, æquus in utramq;. Primùm contenderetur acerrimè. Quid mirum? Neq; enim, ùt ait Poëta ille sumus inter nostros, levia, aut lubrica petuntur præmia. At scis, omnes homines, quod maximè cupiunt, itidem facilè adduci ut maximè sperent. Ergo multis quasi aleam jacere, & fortunæ pla-

placebit experiri. Qvid eventurum sit, & qvid magis expediat, uni Deo patet. Certè, nisi firmioribus, qvàm antea, præsidiis muniamur; pravarum opinionum incursu vinea Domini dissipabitur; qvod te qvoq; & suspicari, qvia prudentiâ excellis, & metuere vehementer, qvia pietatem diligis, aliqvando in nostris sermonibus cognovi. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XVI.

Gratulatur amico N. de reditu, & dolet sibi non licere, ad ipsum accurrere, impedito reb. domesticis, qvas prius velit confirmare, qvàm se referat totum ad literas: qvas colere imposterum decrevit, & super hac re judicium illius requirit.

Cùm de tuo reditu ex tuis, amicorumqve literis cognovissem; perfusus voluptate sum prorsus incredibili. Subverebar enim, ne te patria tua, experta jam in magnis rebus & animi, & ingenii tui præstantiam, abesse diutius minimè pateretur. Etiam illud occurrebat, ne te jam satietas Italiæ cepisset. Multa cogitabam, ut amor est, qvæ cupiebam esse falsa; & fuisse, valdè nunc lætor. Capio tamen hanc in jucunditate molestiam, qvòd ad te qvàm primùm accurrere non licet. Nam, ut omittam de uxore, cui deesse non possum ægrotanti; confirmare studeo res domesticas, qvæ vacillant satis, absente me. Cùm enim, referre me totum ad literas, qvarum est mihi consvetudo jucundissima, plane deliberatum sit: priùs hæc, qvæ ad alendam

familiam pertinent, ita constituam necesse est, ne qvando me, qvod antea sæpè contigit, de medio studiorum cursu revocare possint. Jam ego in meis consiliis, optime †, ambitionem cœpi excludere. Video res humanas sursum deorsum ferri, nunqvam consistere: celeriter omnia fluere, & extingvi, præter bonam famam, ad qvam omnes pervenire cupiunt, sed ignoratione viarum pleriq; aberrant. Non enim in opibus, aut magistratibus, regumve aulis verum decus habitat. Petendum alibi unde est, à rectis cogitationibus, honestis laboribus, studio, & exercitatione virtutis. Hæc mihi in animo sunt: qvæ si colam arbitratu meo, multa consequar. Primum, ab iis negotiis, qvæ mihi negotium facessunt, vacabo prorsus: deinde (ne me putes desidiæ causâ otium cogitare) scribam aliqvid qvotidie; qvô nihil soleo, ubi curarum expers animus est, facere libentiùs; deniq;, etiam posteris fructum fortasse aliqvem pariet industria nostra. Qvid relinqves, dicet aliqvis, liberis tuis? Non exiguum patrimonium, imitationem mei, & aliqvam, ùt spero, virtutis hæreditatem; eadem scilicet, qvæ reliqvit mihi pater meus. Non abundabunt. Nec id postulo, nec illi, si sapient, postulabunt. Modica poscit, ùt honestè, id est, feliciter vivatur, hominis natura: reliqva sunt instrumenta neqvitiæ. Cupio tibi, mi †, qvi ætatem tuam prudentiâ anteis, probari meum sensum: cupio meum judicium tuâ sententiâ confirmari. Qvanqvam qvid exspecto? index animi sermo est. Porro, in sermonibus qvotidianis qvid tu habes in ore, qvid extollis, præter stu-

ſtudia doctrinæ? qvæ te video, cùm tecum loqvor, vel cùm tua ſcripta lego, tractaſſe diligenter. Veruntamen hoc ipſum, qvod habeo ſatis exploratum, mecum te ſentire, ſi ſignificabis, pergratum erit. Ego niſi occupationibus premerer aſſiduis, qvas animo potiùs, qvàm corporis viribus ſuſtineo, explerem te crebritate literarum. Verùm ne ſic qvidē, pro tuis in me officiis, patiar in hoc genere prorſus abs te reqviri ſtudium meum. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XVII.

1. *Significat, infantem recens natum bene valere.*
2. *Svadet, ut ob nimios calores adventum differat.*

Form. Excuſandi ſvaſionem: Verùm hoc prudentiæ tuæ. (A)

VObiſcum ùt agatur, ſcire cupio, Patavii commorantibus. Nos hic langvemus, afflicti caloribus perpetuis, qvibus eqvidem graviores non memini. Uxor mea nondum ex puerperio convaluit: infans belliſſimè habet, & incipit jam blandientibus arridere. Qvid qværis? admodum ſcitus eſt: qvodq; amare ſolemus in pueris, hilaritatis habet multum. De tuo adventu, ſvadeo conſilium mutes, neq; te iſtinc, furente Canicula, æſtu non ferendo, commoveas. Faceres enim valetudinis incommodô: ac, ſi valetudo; ſtudia tamen tua non ferrent. (A) Verùm hoc prudentiæ tuæ totum ſit, in qva tibi neminem antepono. Ego pro mea in te ſingulari benevolentia, non modo qvid vellem, verùm

etiam qvid sentirem, testatum esse volui. Aristotelem cum Cicerone mitto, utrumq; satis aptè compactos ab artifice perito. Vide, qvid agas. Inanem eloqventiam contemnis; & indisertam philosophiam non amas: utramq; vis conjungere, ut misceas, qvod ait poëta Venusinus, utile dulci. Qvo minus me, eadem cogitantem, & recessum otii causâ qværentem, reprehendere debes. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XVII.

Dissvadet amico editionem Commentarii, in Demetrii libellum περὶ τῆς ἑρμηνείας, propterea, qvod Bargeus, in eundem commentarium scripsit (Bargæi laus) Deinde significat, calores non minui: unde mala qvædam ominatur. Kalendarium Q. mittit.

VAlde probo industriam tuam, qvam ad ornandum commentari ô aureolum Demetrii libellum περὶ τῆς ἑρμηνείας contulisti: sed anteqvam institutum absolvas, fore arbitror ut exeat is, qvem Petrus Bargæus, qvi Pisanum gymnasium politioris doctrinæ professione illustrat, ante aliqvot menses, aut audio, confecit. Itaq; malim ad Diodorum Latinitate donandum operam studiumq; tuum convertas, ne, qvod ajunt, actum agas. Nam Bargæo, qvem tu fortasse non nôsti, nec ingenio, nec doctrina, nec eloqventia qvisqvam præstat: qvodq; paucis admodum contigit, tum oratoria, tum poetica laude pariter excellit. Absit igitur omnis æmulatio ab iis, qvos ego unicè diligo, & à qvibus item

item diligi me sentio. Calores hîc nihil remittunt: fervent omnia. Qvod nisi terræ, jam perustæ uberrimis imbribus citò madefiant; caritas multarum rerum, & morborum vis ineunte autumno videntur impendere. Ego, ut anni tempus est, non incommodè valeo: negotia curo: otium, & studia cogito. Kalendarium Romanum vetus, cum opinione mea de ratione veterum dierum, & necessaria literarum interpretatione, sæpè jam à te rogatum, qvia nec ipse habebam, nec reperire facillimum fuit, mitto seriùs, acceptum à familiari meo, viro probo, & erudito, Raphaële Cyllenio. Describes, & remittes: qvoniam, qvæ sunt olim impressa cum Sigonii fastis, nullum ex iis jampridem venale supereſt. In hoc autem, ut aliqvid à me, præcipuum haberes, itidem ut ego te præcipuè diligo, qvædam videbis immutata, nec, opinor, improbabis. Vale. Venetiis.

Kalendarium, de qvo in superiore epistola mentionem fecimus, cùm in Orthographiæ libro Aldi filii impressum legatur, visum fuit hoc in loco omittere: eos q. , qvi id legere volent, ad Orthographiam rejicere.

ANDREÆ PATRICIO, PATAVIUM,

EPIST. XIX.

Respond. ad Conciliatoriam Andr. Patricii Poloni, & laudat ejus mores, ac Latinarum literarum elegantiam, de qva etiam ipsi gratulatur, & ipsum sibi semper charum fore pollicetur.

NB. Laus Sarmatiæ. Italiæ vituperatio.

Form. pollicendi mutuum amorem. Ego autem, cujus amicitiam. (A)

NÆ tu rationem tui indicandi percommodam iniisti. Ego enim, non cujates homines sint, qvibusve terris ac regionibus profecti; sed qvibus moribus, qvo ingenio, qva doctrina præditi, soleo qværere. Et ùt olim Hannibal, qvi hostem feriret, Carthaginensem sibi fore dicebat; sic ego totum in una virtute constituo. Epistola tua ita loqvitur, ut nullam in te patiatur aut humanitatis, aut doctrinæ partem desiderari. Itaq; ne te posthac Sarmatam potiùs, qvàm Romanum, dixeris. Tametsi Sarmatia jam ita feritatem, si qva olim fuit, & qvæcunq; fuit, abjecit, ut ex transalpinis nationibus nulla nunc neq; ad literas, neq; ad benignitatem mutuaq; officia dicatur esse propensior. Ita verò nostra, in qva vigebant olim artes bonæ, in qva summis ornata præmiis eloqventia primas aliqvando partes obtinuit, ita veterem illam qvasi formam videtur amisisse, vix jam ut agnoscatur. Simulacrum duntaxat aliqvod in libris relictum est; cujus excellentem pulchritudinem animo intuentes admiramur, & studemus imitari: præsentem effigiem oculis frustra qværimus. Tu autem, doctissime Patrici, si qvi nunc antiqvâ Italiâ digni reperiuntur (qvi qvàm pauci sint, qvaq; id accidat culpâ, non dubito qvin intelligas) his te ut adjungeres, præstantiumq; virorũ numerum augeres, planè mihi, cùm tua scripta lego, & cùm eos, qvi tecum vivunt, de te loqventes audio, vide-

videris esse consecutus. Quo nomine tibi gratulor plurimùm, & patriæ tuæ, in qvam referes gloriam, omnibus thesauris, omnibusq; omnium regum triumphis præferendam. (A) Ego autem, cujus amicitiam in tuis literis blandâ qvadam mearum laudum commemoratione videris aucupari, cùm tua merita, qvæ ego sentio esse maxima, modestè nimis dissimulas & extenuas, mea verò nimis liberaliter amplificas, atq; extollis, nisi te tàm nostri amantem redamem, nisi multis ornatum virtutibus omni studio colam, qvis me sit in humanior? qvis judicii magis, aut etiam rationis expers? Eqvidem, qvid de te sentiam, qvantiq; apud me sis, officiis conabor ostendere; sin, ut mea tenuitas est, hoc præstare non potero; tu tamen, ùt spero, de mea voluntate tibi persuadebis id, qvod cupere videris, te mihi esse ac semper fore carissimum. In qvo profectò, nisi ego meam in amicitiis diligentissimè tuendis consuetudinem dedisca, tua te nunqvā fallet opinio. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XX.

Laudat Patricii orationem ab elegantia styli, & pietate in DEUM, optatqve ut sibi qvoq; liceat in simili argumento ingenium exercere: qvod futurum sperat, DEO annuente.

O Præclaram ὑπόθεσιν; nec verò tuam humilem, aut obscuram orationem, sed erectam piis affectibus, mirificeqve sententiis ac verbis illustratam. Nunc demum te, Patrici, verè eum, qvi vocaris, a-

gnosco, hoc est, à plebe sejunctum, qvæ libenter oculos ad terrena demittit, nihil altum, nihil homine dignum suspicit. Nam certè aliqva studia opinione potiùs, qvàm re, nituntur, speciem qvandam, inanem, solidi nihil habent: hæc verò, qvæ te video arctè esse complexum, nec, puto, unqvam dimittes, æternam non modò famam, sed salutem qvoq; pariunt. Agnosco in tuis institutis præclaram consvetudinem, egregiaq; studia, nunqvam satis laudati, Cracovienſis Episcopi, Andreæ Zebridovii, cujus ex perpetuo multorum annorum convictu, qvotidianis sermonibus, consiliis, probitate, doctrina, qvasi divinis legibus formasti animum tuum, atq; excitasti ad excellentem rerum æternarum cupiditatem; ut facilè constet, cùm tua te ad verum decus natura duceret, doctissimi tamen ac sanctissimi viri exemplo vehementer esse incitatum. Eqvidem, ut tibi vehementer gratulor, cujus omnis in amore Dei defixa cogitatio sit; ita, cùm in eos intueor, qvi falsa rerum imagine decepti, toto pectore contendunt ad ea comparanda, qvæ sæpe molesta possidentibus, interdum etiam pernicioſa sunt; misereor, & ingemisco. Qvod utinam industriam aliqvando meam, &, si qvod in me est, ingenium simili in argumento liceat exercere. Nam nunc qvidem voluntas, optima spectans, & in qvam debet, partem propensa, multis tamen impedita rebus langvet. Sed speremus. Sic enim nihil difficile, si consenserit Deus; ut nihil facile, si abnuerit. Is porrò, cùm abesse putatur longius, & destituisse nos in mediis calamitatibus, tum adest proximus inscientibus, &

ereptos

ereptos ex miserrimo statu collocat in solio regum. Hæc ego sæpe mecum solatii causâ, qvo sæpe indigeo: & capio voluptatem: qvod epistolæ qvasi allocutio tulit, ut eadem tecum. Remitto orationem. Lege amicis tuis, & qvàm potest multis communica ut rectè sentientes confirmentur; si qvi autem ab optima causa desciverunt, ad sanitatem traducantur. Vale, & † contubernalem tuum summi adolescentem ingenii, meo nomine salvere jabeas.

†, PATAVIUM.

EPIST. XXI.

Respondet Laudatoriæ epistolæ amici, & negat se illas laudes agnoscere, qvas sibi tribuit. Ac vicissim illi studia sua & amorem defert.

Form. Deferendi amorem. Ac vellem mihi parem. (A)

AMo veritatem, deinde meipsum. Illam spectare ante omnia soleo; mihi autem libenter qvidem, qvatenus tamen liceat, indulgere. Itaq; nec accipere debeo, qvas in me laudes contulisti, nec, ut ingenuè confiteor, rejicere planè possum. Nam bonis viris, artiumq; liberalium scientiâ claris, eqvidem placere velim; cum eo tamen, ut nolim qvenqvam nimis esse in mea laude liberalem. Tu autem in tuis literis ea mihi tribuis, qvæ non modò, si agnoscam, sed propemodum, si optem, modestè parùm agere mihi videar. At Muretus ita sentit. Utinam qvidem: sed officium potiùs, qvàm sententiam, esse puto. Qvis enim mè minùs ignorat?

tat? qvi, qvam diu Venetiis fuit, vel mecum habitaverit, vel mea consvetudine freqventer admodum sit usus. Nec is est, qvem judicium fallat, præsertim in literis, qvas tractat assiduè; novit egregiè: verum ei facilè persuadet humanitas, ut judicium amicitiæ largiatur. Sed, sive te Mureti oratio, tam honorificam de me opinionem ut susciperes, adduxit; sive mihi hoc abs te, ut tu scribis, mea studia, ut ego sentio, tua bonitas impetrat. Persuade tibi, non exiguum me statuere ornamentum in amicitia tua: cùm & ipse possideas illas virtutes, qvarum fama benevolentiam conciliat, nomenq; nostrum ab interitu vindicatum, cum æternitate conjungit; & principum virorum, doctrinâq; præstantium, floreas amicitia; qvodq; me non leviter movet, in Guilielmi Budæi, eruditissimi hominis, ac de literis optimè meriti, contubernio per aliqvot annos vixeris. (A) Ac vellem mihi parem voluntati suppetere facultatem: fructum ferres, haud mediocrem, studii erga me tui: observantiæ verò in te meæ, qvam tua virtus peperit, satis esset illustris, ac minimè dubia significatio. Qvod ipsum tamen, ut ut est, fortassis consequar. Nam & studio nitar: & ad perficiendi spem plurimum qvidem, velle optima, solet afferre. Vale.

DIONYSIO LAMBINO, PATAVIUM.

EPIST. XXII.

Resp. petitioni Dionysii Lambini, & excusat sed ab occu-

occupationib. & oculorum invaletudine, qvod nequeat petitioni èjus locum dare: promittit salvum se, ut primùm respiraverit, aures illi præbiturum.

Form. promittendi amorem. Nec desinam utrumqve facere. (A)

Neq; negare audeo tibi, homini eruditissimo, cujus ego plurimi semper amicitiam feci; neqve, si pollicear, præstare possim id, qvod à me petis. Premor enim domesticis oneribus, & typographiæ curâ, sic meherculè, vix ut sustineam. Vacuæ tantùm ab opere mihi relinqvuntur horæ vespertinæ: sed eo tempore, dum defatigatus laboribus, ac fractus, qvietem qværo necessariam; tum verò succedit oculorum dolor, isqve ita gravis, non modò ut legere, aut commentari, sed nec domesticos audire sine magna molestia possim. Ita nobis traducitur dies, atq; adeò noctis major penè pars. Non enim priùs hâc levamur capitis gravedine, qvàm Sol, medio jam Antipodum orbe decurso, incipit ad nos recurrere, & in ortu suo demum valetudinem mihi, alacritatemq; restituit. Qvod si respirare aliqvando licebit: aures tibi meæ patebunt, non in horas modò, sed in integros etiam dies. Qvid enim mihi jucundius? qvid etiam utilius? qvàm tecum de literis agere, tuaqve maximè tractare scripta: de qvibus qvid existimem, Muretus noster testis est? Nam cùm ad me, octavo, opinor, abhinc anno, in Judecæ suburbano habitantem, ignotum antea de facie, voluntario adductus officio, adiisses; humanitatem simul & doctrinam tuam eâdem hora perspexi-

spexi. Tunc ego te cœpi & diligere, & prædicare: (A) nec desinam utrumq; facere, qvàm diuturna mihi dabitur usura vitæ: qvandoqvidem nec tu desines esse tui similis, id est, cùm optimus vir, officioqve excellens, tum verò tantus in virtute, qvantum in egregia natura singularis industria potuit efficere. Interim peto à te, meis ut occupationibus ignoscas, & voluntatem in te propensam, licet absit res, tamen ames. Vale.

PATAVIUM.

EPIST. XXIII.

Hortatoria ad adolescentem Venetum, qvem audiverat, in studiis liberalium artium langvere. Qvod si verum est, monet ipsum, ut culpam corrigat: si secus, ut sermones hominum contemnat, & in studiis liberal. disciplinarum pergat.

Form. Ingratum mihi fuit. Nihil mihi pro mea. *&c.*

NIhil mihi pro mea in te benevolentia, meoqve de te judicio potuit acciderc, qvod minus vellem, aut qvod minùs opinarer, qvàm id, qvod proximis diebus audivi, cum diceret nescio qvis, non te perinde ùt solebas, in optimarum artium cupiditate versari, sed langvere qvotidie magis; adeoq; præclara illa principia, qvæ, me qvidem læpè & multùm cohortante, ac monente, posueras, esse labefactata, nihil ut à te eximium, nihil, qvod vulgare non sit, expectari posse videatur. Eqvidem neqve planè credidi, qvod à tua consvetudine tam valdè dissentiret; neq; tamen planè non esse credendum

id

id existimavi: qvod ut accidere possit, cùm in ætatem tuam intueor, verisimile mihi fit. Qvod si, contrà qvàm ego cupio, factum est, ut paululum te à virtute disjunxeris, & in dubia, ac perdifficili juventutis via qviddam offenderis; agnosce tuam culpam & corrige, dum licet. Non enim, qvæ dies confirmavit, facilè mutantur. En habes, qvi te suo excitet ad virtutem exemplo, æqvalem tuum, exqvisiti adolescentem ingenii, Antonium Lauretanum, qvem debes, cùm nobilitate pares, nec naturæ, fortunæq; bonis dissimiles admodum sitis, æqvare etiam, aut imitari saltem in studiis artium optimarum. Sin autem est, ùt volumus; & ista, qvæ de te rumor dissipavit, inania sunt; noli laborare, qvid alii loqvantur; cogita, qvod ipse facias; & à te ipso pende. Magna solet esse jucunditas, qvæ manat ex optima conscientia. Hâc tu fruere, & perge, ùt cœpisti, in studiis liberalium disciplinarum: qvarum est cùm possessio vitæ æqvalis, tum fructus ejusmodi, ut etiam ad posteros pertineat. Vale.

ROMULO CERVINO, PATAVIUM.

EPIST. XXIV.

Reprehendit Cervinum 1. qvòd rarò scribat, nec in epistolis texendis se exerceat. Qvod si fecisset, uberem illum studii hujus fructum capturum ait. Ut verò id faciat, ipsum hortatur, argumentis ductis à difficili, à fratris exemplo, ab occasione discendi. 2. qvòd minus luculenter & latinè scribat. Ac proinde si qvæ fortè ob-

scu-

servationes L. L. de quibus olim cum ipso locutus fuit, ipsi exciderint, easq; sibi iterari cupiat, monet ipsum ut Venetias, & ad se divertat.

ITan' ego tibi ex animo effluxi, ut unam tribus mensibus epistolam ad me dederis? Occupatus, inqvis, sum. Qvo in genere? nempe in literis. Num igitur tibi à literis animum videris abducere, cùm epistolam texis? mihi qvidem nunqvam minùs. Qvin hoc ipsum, qvod ego nunc in te desidero, si contemnis; id est, si ita legis, ut nunqvam scribere animum inducas: literæ jacebunt. Qvod si me à principio rectissimè monentem audire voluisses; teqve si non qvotidie, saltem alternis diebus scriptioni dedisses: Dii immortales! qvos tu nunc fructus ederes, qvàm præstantes, qvàm uberes, qvàm & te ipso dignos, & fratre tuo, in omni genere laudis excellentissimo. Nunc qvos progressus hac in re fecisti, non ego qvidem illos, qvasi tardioris ingenii reprehendo, neq; reprehendere qvisqvam potest; sed tamen illud, qvod ego à te olim exspectavi, majus aliqvando fuit, qvàm hoc, qvod tu nunc præstas. Neq; verò id, qvò te jampridem sumus hortati, & qvò brevi esse perventurum credidimus, ejusmodi est, ut facilè qvivis posse consequi videatur; sed cogita, præclarum ferè nihil esse, qvod idem difficilè non sit: & tamen difficultates omnes ea, qvæ in præstantibus ingeniis facilè existit, gloriæ cupiditas vincit. Cujus rei noli exempla petere ab antiqvitate: adspice fratrem tuum; qvi, ut Antimacho poëtæ Plato, sic tibi omnium instar esse potest. Nunqvid igitur illum existimas tantos labores aut susce-

suscepturum fuisse, aut, cum suscepisset, ferre potuisse, nisi veræ laudis eum spes aliqva identidem qvasi allevasset? qvam qvidem spem dum seqvitur, vides qvo pervenerit. Gradum tenet dignitatis, qvi est à summo proximus: & de summo qvid homines augurentur, intelligis. Perge, mi Romule, iisdem itineribus ad decus. Magna sunt bene agentibus præmia constituta. Qvam tu facultatem qvando habes maximam, noli contemnere; ne paulò pòst amissam, frustra qveraris. Hæc enim, qvæ nunc habemus, qvis scit, qvam diu simus habituri? vides, ut avolent horæ, qvæq; nobis commoda præterlabentes auferant. Itaq; opportunitates, dum adsunt, ita debemus amplecti, qvasi non eædem semper affuturæ sint. Qva in sententia te qvoq; existimo esse, cupiò qvidem certè, ut cùm exspectationi de te concitatæ, tum fratris tui, summi viri, laudibus aliqvando respondeas. Qvod facilè conseqveris, si te ipse colliges, &, qvo consilio Patavium acceſseris, qvam urbem scis habitam semper esse doctrinæ domicilium, assiduè cogitabis. Et, qvanqvam non dubito, qvin memoriâ bona sis; tamen, qvoniam hæc posterior epistola tua, qvam ad me 15. Kal. misisti, cui ego 14. respondi, non tam est luculenter scripta, qvàm vellem, potiùs multò minùs, qvàm vellem; vereor, ne tibi illa, qvæ ego tecum olim de Latinæ lingvæ observatione sum locutus, qvæq; ipse mihi te esse facturum pollicitus es, penitus exciderint: qvæ, si putas è re tua esse, ut à me iterentur; excurre ad nos, & hôc qvidem animô, ut qvamdiu Venetiis futurus es, (cupio autem, ut diutissimè

velis) apud me diverseris. Ac noli vereri, ne ego te Patavium crudiorem remittam. Non ita de nostris hospitibus malè meremur. Cœnæ erunt, qvæ te lautitiâ delectare, non qvæ copiâ possint offendere: qvæ qvidem inprimis sermone bono, & perfamiliari condientur. Qvod tu qvanti facias, ignoro: ego qvidem huic jucunditati nullam antepono. Vale.

VINCENTIO GILIANO, VENETIAS.

EPIST. XXV.

Accusat 1. Giliani raritatem & inscribendo. Deinde cupit ipsum ad se venire. Tertio offert ipsi conditionem informandi affines Card. Carpensis; qvam si nolit accipere, rogat, ut isto loco dignum aliunde eruat.

QVàm multa non modò contra voluntatem, verùm etiam præter opinionem homini contingunt! Nunqvam putavi fore, ut humanitatem tuam reqvirerem. Adeò mihi & multa, & perillustria studii erga me tui dederas argumenta: nunc, aliis me qvotidie salutantibus, aut certè consolatorias in meo casu, opemq; pollicentes literas mittentibus, ipse tamen neq; scribis qvidqvam, neq; mecum habendi sermonis facultatem qværis. Qvod viris nobilissimis concessi, tibi, pro multis ingenii tui svavitatibus, proq; nostrâ non nuper institutâ, sed jam inveterata necessitudine, nunqvam denegassem. Optavi, inqvies; sed optanti pudor obstitit. Agnosco modestiam tuam, nec mediocriter probo: veruntamen decet aliqva ortam à virtute amicitiam confidentia. Erant autem, cur me conven-

ventum cuperes, causæ minimè vulgares: primùm Jasonis mei de Nores, viri omnium, qvos ego in vita noverim, optimi atqve humanissimi, reditus in hanc urbem; deinde Davilæ nostri, qvem ego qvanti faciam, & tu, & omnes penè jam norunt, ægrotatio. Qvæ cùm hesterno die cognoverim; cupio tamen certius abs te aliqvid significare. Variè enim afficior, & amicissimi hominis adventu; cujus in consvetudine plurimam mihi statuo jucunditatem; & ejus viri morbô, cui debere omnia videor, qvia, cùm in ipso fuit, operam dedit, ut me sibi non exiguò propinqvitatis vinculo in perpetuum obstringeret. Neq; enim, licet mutuam utriusq; voluntatem frustrata fortuna sit, iccirco tantam in me benevolentiæ significationem parvi pendendam existimo. Animus mihi pro re erit: meq; ille sui memorem beneficii (sic enim appellare debeo) aliqvando sentiet. Hæc sunt, mi Giliane, cur te velim. Accedit illud: Affines suos Cardinalis Carpensis, qvi de studiis meis non pessimè existimat, cupit elegantibus literis expoliti. Optima conditio, nec minus honorifica. Itaq; statim de te cogitavi: qvem excultum liberali doctrina, moribus emendatis, comem & facilem in convictu cognovi. Nec tamen audio sperare. Urbis enim Venetæ tranqvillitatem nimis amas, & otiô libenter fruêris erudito. Sed, si à te non impetro; odorare saltem & indaga, si qvem eo loco dignum aliunde licet eruere. Inibitur à Cardinali gratia non vulgaris. De qvo tibi hoc affirmo, patronum esse bonarum artium, his perditis temporibus propè singularem: qvi si,

ut augurantur plurimi, ad illa summa pervenerit; redibunt, mihi crede, aurea tempora, & debita literis aliqvando præmia persolventur. Vale.

FRANCISCO MORANDO, VERONAM.

EPIST. XXVI.

Gratias agit de transmissis versibus, & promittit se daturum operam, ut officiis ejus aliqvando satisfaciat.

ITa valeam, itaq; tecum vivam, qvod utrumqve pariter exopto, ut cydonite tuâ nihil adhuc gustavi suavius; versibus autem, qvos unà misisti, nihil unqvam legi purius, nihil ornatius. Qvare gratiam habeo tibi qvidem, ut debeo, maximam; aliqvam tamen etiam imperito artifici superioris anni, cujus culpam, de qva tecũ eram qvestus, lucro meo non mediocri, tua compensavit humanitas. Qvod si artifex idem est, qvemadmodum verba tua significant: non ab ejus ingenio, sed ab amore in me tuo novum genus artificii, nova fluxit industria. Itaq; magnam ad officia erga me tua qvotidie fieri accessionem intelligo. Ex qvo voluptatem eqvidem capio tantam, qvantam ejus, qvi doctrina, ingenio, omni deniq; laude libero homine dignâ excellat, perspecta benevolentia afferre maximam potest: veruntamen, qvia me prorsus omnis in summa remunerandi voluntate facultas deficit, angor nonnunqvam intimis sensibus, & injucundè vivo. Sed neq; futurum despero, ut, qvo in te sum animo, re ipsa aliqvando perspicias: &, si parum optatis meis,

is, ut ferè consvevit, fortuna responderit, memoriâ saltem, perpetuoq; erga te studio, non officiis modo erga me tuis, sed virtutibus etiam eximiis debito, cumulatè mihi satisfaciam. De tua valetudine, qvæ mihi perinde ac mea curæ est, à patre tuo, prudenti viro, qvæ cupiebam, ferè cognovi: de studiis, ex te ipso, id est ex literis tuis, qvarum elegantiâ mirificè delector, aliqvid cupio scire. Orationem in funere habitam doctissimi; ac nobilissimi hominis Ludovici Nogarolæ, cujus obitu non mediocriter dolui, audio laudari. Sunt etiam, qvi tuam existiment. Qvod libenter credo: sic enim faveo tuæ gloriæ, ut fratribus fortasse tuis, præterea qvidem concedam nemini. Vale.

LÆVINO TORRENTIO, LEODIUM.

EPIST. XXVII.

Excusat raritatem literarum ob valetudinem corporis: deinde respondet Torrentii commendatitiæ, & commendatorem sibi curæ fore promittit. Tertio excusat de non servatis promissis: qvam excusationem si nolit accipere, aggressurum se rem ait, utcunq; cadat.

PUto tibi molestum jam esse silentium meum; at mihi silentii causa longè molestior. Nam toto ferè biennio neq; corpori valetudo, nec animo qvies contigit. Ita, qvi absentes amicos literis saltem colere consvevi, jucundissimam mihi consvetudinem intermittere, & in officii cursu langve-

re sum coactus. Qvod si secus existimas, nec tibi mea fidem facit affirmatio: testes habeo studii erga te mei, non eqvidem valdè locupletes, sed eos tamen, qvibus tu libenter credas, probos viros, communes amicos: à qvibus & qvæsitum est aliqvando, me mandante, de tuo statu; & cum id qvod avebam maximè, cognovissem, esse te in oculis Leodiensi Episcopo optimo, eidemq; Principi eximio, auctum esse commodis, ornatum dignitate; factum est, qvod ignorare te arbitror, ut levationem malorum meorum in tuis bonis, aliqvam invenerim. Atq; eqvidem revocare me ad institutum meum, & aliqvid ad te scribere cogitabam, cùm tuæ me literæ oppresserunt, qvibus commendas mihi modestissimos, & summæ spei adolescentes, Joannis Cauchi filios, doctissimi & ingeniosissimi hominis, ùt qvidem sentio, tuo primum testimonio, deinde scriptis illius; qvæ qvi legerit, nullius præterea testimonium reqvirat. Qvò libentiùs operam meam filiis ejus & pollicitus sum, & detuli. Qvi cùm ad me adeunt, te simul intueor, & impellor magis ad omnem humanitatem memoriâ tui: nec potest esse qvidqvam jucundius, qvàm ut eorum studiis, commodisq; serviam: &, si præstabo aliqvid, ita lætabor, qvasi beneficium acceperim in officio meo. Erat in iisdem literis tacita qvædam admonitio promissorum meorum: qvæ si non persolvo; mihi crede, tanti viri virtute, tanti Principis dignitate deterreor. Nam, ut egregium aliqvid moliamur, consequi tamen neqve per ingenii nostri tenuitatem, neqve per fortunam licet.

Hanc

Hanc excusationem probari à te cupio, nec omnino despero: sin urgere pergis, auctore te aggrediar, utcunq; cadat. Potest enim fieri, ut, qvemadmodum multa contrà qvam speramus, item hoc fortasse, contrà qvàm timemus, eveniat. Qvod si qvid offenderimus; primùm illud fore non dubito, tua nos ut sublevet autoritas; deinde te ipso culpæ socio, feram leviùs. Hæc mihi cautio placet, utinam tibi; sed, si mihi in amore respondes, tibi qvoqve: de qvo tuas literas exspecto. Vale. Venetiis.

LAURENTIO GAMBARÆ, PATAVIUM.

EPIST. XXVIII.

Querela de interitu Basilii Zanchi crudeliter exstincti.

BAsilii Zanchi, poëtæ summi, hominisqve non vulgariter eruditi, miserabilis & indignissimus interitus hilaritatem mihi prorsus omnem eripuit. Qvem enim donare summis præmiis ob excellentem virtutem, decorare honoribus ob singularem integritatem, atq; innocentiam æqvum fuit; eum tam ignominiosè vexatum, tam acerbè, tam crudeliter exstinctum, qvis non ferat iniqvissimè? eqvidem, ut audivi, etiam dolore tuo vehementer dolui. Nam & vixistis unà semper conjunctissimè, alter alteri egregiè carus: & fuit uterqve vestrûm ad poëticam facultatem naturâ propensus, ac mirè factus, ingenio verò ita pares, ut, cum nemo tam bonus poëta sit, qvin vobis primas in componendis

versibus partes tribuat, qvam confessionem etiam ab invitis exprimit poëmatum comparatio; uter, tamen utri præstet, nondũ satis judicare qvisqvam possit. Magnam igitur planeq; fraternam inter vos tum ingeniorum similitudo, tum studiorum communio benevolentiam excitarat: nec dubitõ, qvin te, licet humanæ conditionis minimè rudem, obitus ejus valde perturbarit, animumq; tuum ita dejecerit, ut extolli fortasse ad æqvitatem neq; celeriter, neq; facilè possit. Qvo gravius morte illius afficior: &, ùt omnia mente perveſtigem, nullam tamen inire doloris allevandi rationem qveo. Unica, opinor, illa consolatio supereſt, qvam tibi qvoqve fore gratissimam scio, ut, si convictu perpetuo privamur, tamen inter nos ita crebrò colloqvamur, ut hanc mœroris acerbitatem, qva pariter affligimur, qvotidianæ consvetudinis mutuæq; benevolentiæ svavitate leniamus. Qvod ut qvàm maturrimè consequamur, tu pro tua, ego pro mea parte diligenter operam dabo. Vale. Venetiis.

NICOLAO NATHANAELO, VENETIAS.

EPIST. XXIX.

Gratulatur Nathanaelo de commissa ipsi Aloysii Mocenici instituendi cura, eumq; hortatur, ut in illo informando omnem industriam collocet.

Form. Hortandi. Vide igitur qvid susceperis. (A) Per-

PErculerat me graviter acerbus ille nuncius de navi à piratis abducta, qvâ vehebatur in Cretam, exqvisita, multorumqve nummorum bibliotheca parentis tui: cum ex eo casu jacturæ plurimum tuliſſe res & fortunas veſtras intelligerem. Nunc me prorsus ab eo mœrore, qvem mihi veſtra calamitas attulerat, ad lætitiam incredibilem revocarunt literæ. Scribis enim erudiendi curam adoleſcentis nobiliſſimi, Aloyſii Mocenici, tibi eſſe demandatam. In qvo ſanè, pro ea, qva te ſum complexus benevolentiâ, multis nominibus tibi gratulor: primùm, qvòd eum, qvi facilè poſſit illuſtrare diſciplinam tuam, excellentis ingenii adoleſcentem mirificâ, ut audio, virtutis indole præditum, ſapientiorem etiam, qvàm ætas ferat, nactus ſis: deinde, qvòd ab ejus patre, Leonardo Mocenio, Eqvite clariſſimo, qvô nullum in hac urbe vel prudentiæ, vel liberalitatis, vel omnium deniq; virtutum, qvæ nobilem virum deceant, exemplum habemus illuſtrius, fructum diligentiæ tuæ minimè vulgarem potes exſpectare: poſtremò, qvòd in ea domo vives, in qva omnia, vetere majorum normâ, ad honeſtum & ad dignitatem referuntur, qvô præſtantes & uſu magnarum rerum, & doctrinâ viri qvotidie confluunt, unde prudentiam, unde optimè vivendi rationem petes. Perſeqvi omnia, qvæ tibi divina benignitatis obtulit, difficile eſt: ſed mihi crede, qvem tuâ causâ velle, tuisqve favere commodis non ignoras, nihil iſto munere, ne fingi qvidem à te potuit aut fortunis tuis utilius, aut ſtudiis accommodatius. Itaqve, ſi me audies, omnia, qvæ

fruſtra ſæpe expetuntur, bona in una Leonardi Mocenici benevolentia conſtitutes: cujus tibi comparandæ cave tempus amittas: confer huc omnem induſtriam, ut ejus filium, tuæ diligentiæ commiſſum, in qvo pater tali filio jure fixit omnes curas, ita inſtituas atq; excolas, ut eam laudem, ad qvam natus præcipuè videtur, adjuvante illius ingenium ſtudio tuo, brevi conſeqvatur. Habet autem hoc virtus, ut, à qvibus illam accepimus, eos in omni vita diligere cogamur: & eſt optandum, ut ab iis maximè diligamur, qvi non opibus modò valeant, ſed ad benignitatem etiam naturâ propendeant. Qvæ ſi in ulla civitate, profectò in hac noſtra, & ſi in ulla familia, in ea potiſſimum, & in eo viro, cui tuam in re præclara operam addixiſti, ſumma cognoſcitur. (A) Vide igitur, qvid ſuſceperis, cujus familiæ gloriæ ſervias, qvid fides, qvid exiſtimatio tua, qvid honor etiam meus qvodammodo poſtulet: qvi tibi ſæpe, nec tamen gratiæ cauſa, ſed adductus judicio, teſtimonium impertivi probitatis, & ſcientiæ non modò Græcæ, ſverum etiam Latinæ lingvæ: qvarum alteram magiſtro patre tuo, Joanne Nathanaëlo, ſacrarum literarum peritiâ vitæqve innocentiâ cum antiqva illa Græcia, qvam nunqvam fama deſeret, conferendo, alteram nonnihil è ſermonibus fortaſſe noſtris, è ſtudio qvidem tuo, tuisqve vigiliis maximè cognoviſti. Hæc ſi tibi omnia, ùt ſpero, ante oculos pones: vinces teipſum in diligentia; operamqve dabis, ut in familia nobiliſſima, cujus patrocinio nullum certius ad eas temporum procellas, qvæ humanæ vitæ impendent,

dent, perfugium reperies, egregium virtutis & industriæ tuæ monumentum relinqvas. Vale.

† PATAVIUM.

EPIST. XXX.

Nunciat amico, rumorem de morte Card. Farnesii fuisse falsam, eoqve nomine cum literis, tum illi ad qvem scribit gratulatur. Deinde gaudet, amicum ex incommodo valetudinis emersisse.

FAlsus hîc etiam de Rainutii Farnesii Cardinalis obitu dissipatus rumor erat: qvo sum gravissimè commotus. Nam in illo viro, qvi se jam inde à puero ad exemplum avi sui, Pauli III. Pontificis omnium sapientissimi, totum finxit, non adumbrata, ut in multis, sed expressa signa virtutis elucent: & nunc, ùt audio, suas omnes in Christianæ pietatis cultu cogitationes, curasq; defixit. Qvò mihi erat, bonisq; omnibus acerbior illa fama, qvæ multorum sermone, de immaturo, & inopinato illius interitu percrebuerat. Angebar etiam fatris ejus, eximii viri, Alexandri Cardinalis nomine: cui multis jam annis eam viam ingresso, qvæ ducit ad verum decus, artiumq; optimarum studia suis opibus hâc ætate prætet cæteros foventi, tantum eripi præsidium, tantum auferri domesticæ laudis, magnopere dolendum videatur. Gratulor igitur, illo incolumi, liberalibus disciplinis; gratulor omnibus, qvi virtutem, & probitatem prima ducunt; præcipuè verò tibi; qvem & Alexandri Farnesii Cardinalis valdè studiosum, & erga sui similes, hoc est erga eos,

eos, qvibus illa, unde manat honestum, sola placent, præclarè animatum cognovi. Refrixit jam, vel planè extinctus evanuit pervulgatus ille rumor; vivit, & valet, cui lacrymas tanqvam mortuo dedimus; qvem, si fieri posset, immortalem esse omnes cuperent. Te qvoqve bene firmum esse, & ex illo valetudinis incommodo emersisse, represso jam sangvine, qvi tibi ex oculo dextro multus effluxerat, mirabiliter gaudeo. De qvo mihi cùm narraret familiaris tuus, prima statim auditione sum percussus: postea, cùm idem reliqva perseqveretur, animum recepi, & ab omni metu, curaq; respiravi. Hujus morbi causam non dubito qvin medici, qvos habes istic scientiâ instructissimos, usu peritissimos, in studia conferant. Qvod si ita est; remove, obsecro te, libros omnes ab oculis tuis. Nam, donec eos videris, certò scio, qvod mihi sæpe contigit ægrotanti, temperare tibi non poteris. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXXI.

Gratias agit amico de suscepto ad sacram baptismatis aqvam filio, qvod vix ab ipso petere ausus fuit;

Form. gratias agendi. Totus in ære &c. (A)

NArro tibi: jam non amo verecundiam. Cùm enim mihi potius nihil esset, qvàm ut filium meum (libet enim de mare ominari) ad sacram baptismatis aqvam susciperes: tamen, dum obseqvor pudori meo, nec te talem virum, maximarum rerum occupatione distentum, appellare audeo, com-

commisi imprudens, ut officii laudem ipse præripe-
res. In qvo sanè & peccasse me, & luere meritò pec-
cati pœnam confiteor. Qvid enim mihi non per-
misit, qvid jam elargita non est humanitas tua? ?
qvam à me aliis prædicatam ignorare ipse fortasse ti-
bi sum visus. Valdè tamen recreor significatione a-
moris tui: & nostram amicitiam, qvam studiorum
similitudo peperit, hôc etiam affinitatis qvasi vincu-
lo adstringi, vehementer lætor. Nam & res ipsa e-
jusmodi est, ut benevolentiam utrinq; augeat: &
mihi ad hominum opiniones accidere specioſius
aut honorificentius nihil potest. (A) Totus igitur,
in ære tuo sum. Ita de me meritus es, ita qvotidie
mereris. Qvod si tibi pateret animus meus: profe-
ctò non locari pessimè tuam gratiam intelligeres:
qvam si non possumus remunerando, (nec enim,
aut fortuna tua patitur, aut voluntas exspectat,)
prædicando saltem illustrabimus. Mihi certè ipsâ
memoriâ, perpetuoq; erga te studiô satisfaciam. De
reditu meo verbum scilicet exspectas: jam disce-
do: itaq; per aliqvot dies literæ cessabunt. Amanu-
ensem tuum amo plurimum. Videor enim mihi
agnovisse manum optimi, atq; honestissimi adole-
scentis, Francisci Secundi: cui de tua consuetudi-
ne etiam atq; etiam gratulor. Nam invidiæ locum
amor non reliqvit. Vale. Venetiis.

† FERRARIAM.

EPIST. XXXII.

Respond. conciliatoriæ Epistolæ cujusdam medici, qui ami-

amicitiam ejus ambierat; & se qvidem de laudibus, qvibus affectus ab ipso fuerat, excusat, easq; in ipsum regerit, & tantam in medico esse eleganter scribendi facultatem, miratur, ac proinde mutuum amorem ipsi pollicetur.

ET me laudas in Epistola tua, nec mediocriter qvidem: & meam amicitiam, qvæ tua humanitas est, valde videris expetere. Ego autem, etsi me delectat, ùt ait ille, laùdari à laudato viro; tamen ea, qvæ mihi tribuis, cùm esse verissima cupiam, non agnosco. Dilexi eqvidem adolescens veterem eloqventiam: nec voluntatem ætas, studium, occupatio, sæpe etiam valetudo minuit; sed, excellere in re omnium, ùt ego sentio, præstantissimâ, cujus negotii sit, cujus ingenii, non modò experiens ipse, intelligo, verùm etiam ex inani multorum industria conjicio. Non enim, qvi severior in me ipso sim, nec mihi amicior, qvàm veritati, aliis blandiri gratiæ causâ debeo. Unum hoc in nobis fortasse jure laudes: si modò laude dignum est: eqvidem, qvasi aliqvid sit, interdum mihi gratulor; qvòd, & qvales olim fuerunt ii, qvos in oratione Latinâ cupimus imitari, qvibus ingeniis, qvâ doctrinâ, qvâ etiam exercitatione præditi; & qvis ego sim, vel potiùs, qvi hodie simus omnes, facilè possum existimare. Qvocirca, si vetera spectas, mutes licet sententiam de me tuam. Floruit antiqvitas eloqventiæ gloriâ: nos jacemus. Sin hæc recentia tibi proponis: non omnino me, qvantum in hoc studio profecerem, pœnitebit. Nec tamen tibi assentior, ut me omnibus Latinè scribendi facultate

cultate confitear antecellere. Possum aliqvid, vel etiam multa in aliis desiderare, neminem in hoc genere laudis eximium ducere: (est enim hæc fortasse non ingeniorum culpa, sed temporum) non ideo tamen seqvitur, ut insolenter arripiam, & induam ipse, qvæ aliis tanqvam spolia detraxerim. Ut in musicis artem ipsam exercere, non facillimum est: artificem autem peritum ab inscio distingvere, tacito aurium sensu pleriq; omnes solent: item ego, qvam legendis assiduè, ac perattentè hominum eloqventissimorum libris conceptam in animo rectè scribendi formam intueor, eam exprimere, & asseqvi scribendo nunc qvidem nullo modo possum, ac vereor etiam, ut unqvam possim. Verum enim vero, qvod à sapientibus viris proditum legimus, nunqvam malè ponitur industria præstantibus in rebus. Laudatur enim vel sine re voluntas. Qva ego interdum spe incitor ad studia. Et, si nihil aliud, tu me certe, † optime atq; eruditissime, hoc ipso, qvod tantopere laudas, ad laudem vehementer impelleres. Magni enim facere videris Romani sermonis elegantiam; & qvod tibi leve non est, eximiarum artium scientiâ instructissimo, id à me neqvaqvam esse contemnendum intelligo. Accedit illud, qvòd epistola tua ita loqvitur ornatè, ut à rhetore, & non à medico, qvem te esse profiteris, & qvem præstas egregiè, scripta videatur. Qvod indicat ingenii tui præstantiam. Cùm enim, ùt audio, philosophiam sis universam animo complexus; præcipuè verò medicinam tractes, & ita tractes, ut cum paucissimis excellas; valde sum mira-

miratus, unde istam Latinæ orationis tam concinnam, tam uberem, tam illustrem facultatem sis consecutus. Qvare, qvo tu nomine, subvereri visus es, ne ego tuam ad me amandum valde propensam voluntatem parùm libenter exciperem; cùm eloqventiam tuam verbis dissimules, re ipsa ostendas: eo ipso nomine sic incensus tuo studio sum, ut ad meam instituendæ tecum amicitiæ cupiditatem accedere nihil possit. Qvod autem negas, esse qvidqvam ad amorem conciliandum amore ipso efficacius: ita tecum sentio, si virtus cum amore conjungatur; sin eum, qvi diligit, nihil præter nudam voluntatem commendet, non probitas morum, non doctrina, non ars aliqva liberalior: valdè videro. Sed istuc qvidem tuâ minimè refert. Qvis enim te vel non amantem amare nolit, qvem esse tam amabilem, literis, humanitate, integritate, sentiat? sed videlicet Socraticè mecum agis: ironia te delectat: cùm in eo ipso, qvod tibi detrahis, tua te refellat oratio. Ego tuum erga me animum pari animo complector, & fovebo officiis, qvantum in me erit; neqve me patiar, cùm reliqva apud te omnia superiora esse concedam, etiam humanitate vinci. Vale, & Joanni Baptistæ Pignæ, homini in primis erudito, & ingenioso, cujus de imitatione poëtica egregios libros avidè exspecto, salutem meis verbis. Venetiis.

MARIO CORRADO, BRUNDUSIUM.

EPIST. XXXIII.

Excu-

Excusat literarum raritatem, & Corradi epistolis se delectari scribit. Deinde significat, se invitum à studiis feriari, ob causas, quas silere mavult. Bovius fratribus studia sua promittit.

MUltis jam mensibus nihil ad te literarum dedi: nec mihi tamen venit in mentem subvereri, ne qvam tibi nostrâ indignam amicitiâ suspicionem silentii mei diuturnitas attulerit. Mihi qvidem nihil scito esse jucundius epistolis tuis: qvas cùm lego, delector mirificè amore in me tuo; delector etiam ingenio, & scribendi elegantia, in qva tibi (non loqvor εἰρωνευόμενος) pauciſſimos comparo, antepono neminem. Atqve eqvidem, si per utriusq; fortunam liceret, nihil malim, qvàm assiduè tecum esse, totosq; dies in tuo sermone consumere. Qvod tamen qvin aliqvando sit futurum, cùm in tuas literas intueor, imaginẽ animi tui nonnullam ostendentes, prorsus non despero. Ego satis diu feriatus à studiis sum, invitus; sed qvis necessitati non pareat? Nam, qvæ me causæ non modò libros, sed patriam qvoq; relinqvere coëgerint; aut habes fortasse jam cognitum, literis edoctus familiarium tuorum, qvi adire interdum ad me officii causâ solent; aut si ignoras, qvid ego tibi exponam; cui si qvid à me accidat injucundum, dupliciter angar, incommodô meô, molestiâ tuâ? Nunc id commentor, ut certam aliqvando rationem ineam otii constituendi, & vivam humaniter: qvod te qvoq; video cogitare, &, si volueris, assequêre. Bovios fratres, tuâ prædicatione commotus, amo vehe-

menter & observo. Qui si mihi, ut significas, aliqvid tribuunt: est, qvod gaudeam, placere me præstantibus viris, qvorum in judicio, & benevolentia, ornamenti & commodi mihi statuo plurimum. Tu velim, qvod ad amorem, studiumq; attinet, de me illis omnia promittas; ego, qvæ promiseris, præstabo. Fructum etiam fortasse aliqvem degustabunt studiorum nostrorum. Liceat modò esse otiosis; id qvod agimus, & futurum speramus. Vale.

PETRO CELSO, VICETIAM.

EPIST. XXXIV.

Gratulatur sibi de reditu cum Celso in gratiam, & qvid in ipso diligat, ostendit.

UNa, eademq; manus vulnus, opemqve tulit. Planè enim mihi videor, qvod de Achillis hasta in Telephi vulnere traditum est à poëtis, idem ad tuas epistolas posse convertere. Affeceras me graviter; nunc idem recreas, & abstergis omnem molestiam jucundissimis literis, in qvibus elucet humanitas tua, qvam obscuraverat paululum animi tui subita commotio, indigna certè meis in te neq; paucis, neq; vulgaribus officiis, qvorum testes apud me custodiuntur literæ tuæ. Itaqve, rediisse te ad eam comitatem, qvæ cum tua natura, & cum iis studiis, in qvibus totos dies eximia cum laude versaris, magnopere congruit, ita lætor, ut nihil unqvam senserim hac voluptate jucundius. Qvod si tibi meum

um ingenium aliqvot mensium consvetudine satis exploratum non est: non dubito, qvin absens intelligas, & eò cernas illustrius, qvò longiora nos terrarum intervalla disjungent. Non enim in te fortunam diligo, qvam soleo contemnere; sed qvia fortunam tua virtute superas: contrà qvàm multi, qvorum oculos auri argentiqve splendor ita præstingvit, ut pulchritudinem virtutis intueri nullo pacto possint. Qvo eqvidem sensu, ac judicio meo delector multò magis, qvàm Ciceroniana illâ eloqventiâ, qvam tu mihi, joco forasse, objecisti: cùm tamen tibi qvoq; eam minimè displicere, tuorum scriptorum elegantia significet. De discessu tuo, qvamqvam ad tuam voluntatem accommodare consilia mea minimè liceat, cupio tamen mihi tempus definiri. Vale.

JOANNI SAMBUCO, PATAVIUM.

EPIST. XXXV.

Respondet gratulationi Sambuci de filiolo. Deinde subjungit, qvanti amorem Sambuci faciat, & qvid de illo sentiat. Tandem agit illi gratias, qvòd de augendis suis fortunis cogitarit.

Form. agendi gratias. De qvo qvia (A)

NOn mediocre amoris argumentum, qvòd de filiolo gratularis, & sperare te significas, ut patri etiam orationis Latinæ facultate antecellat. Qvid? ergo ille tibi magnum videbitur præstare,

si opinione, & famâ nos anteierit eloqventiæ? ego illi, qvi, qvâ primùm horâ editum in lucem vidi, bonam mentem precatus à Deo sum. Hoc nobis debet esse antiqvissimum; & hoc ei si contigerit, reliqva jure contemnet; aut, si voluerit, facilè consequetur. Mea verò studia æmitabitur, qvæ certè, qvod fateri sine arrogantia possum, ad honestum referuntur, aditus ad laudem difficiles non habebit; qvò mihi studiosè contendenti fortuna semper, nescio qvo meo fatô, viam intercluſit. Veruntamen, mi Sambuce, cùm tuâ, tuiq; similium fruar benevolentiâ, qvid desiderem? qvid potest esse amicitiâ jucundius? qvid etiam fructuosius? cùm & amant inter se boni viri; & est inter eos qvasi certamen amoris, & officii. Eqvidem de te qvid sentiam, si ad te ipsum scriberem, certè scio, qvi tuus pudor est, legeres invitus. Testem tibi do judicii mei gravem adolescentem, (& adde si qvid vis: nihil enim tribues immerenti) †: qvem cognovi tuis laudibus, me narrante, etiam atq: etiam lætari. Qvod si tenerem artem eloqventiæ, sicut tu in epistola tua, amore potiùs in me, qvàm judiciô, effusus, existimas: sanè coloribus egregiis imaginem tuarum virtutum exprimerem: voluntatem verò illam, & præclaros conatus ad augendas fortunas nostras, de qvibus postridie, qàvm à nobis discessi, qviddam in sermone † significavit, meherculè sic ornarem, ut nihil esse posset illustrius. (A) De qvo qvia tàm amanter cogitasti, gratias agerem: &, ut perpetuo cogitares, atq; ageres, cohortarer: si hoc humanitas tua, illud amicitia nostra pateretur. Ut

ut

ut autem res ceciderit; (à te enim principia sunt, exitum præstare non potes) partes meæ non requirentur: prosequar enim vel beneficium laude, vel animum certè tuum memoriâ sempiternâ. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXXVI.

Resp. Consolatoriæ Epistolæ Sambuci, & se obitu filioli non turbari scribit. 2 Resp. ejusdem hortationi ad scribendum, & negat, domestica negotia id permittere, 3. quæritur de contemptu literarum, & paucitate principum, qui illarum patrocinium suscipiant.

NB. Mores Principum hujus seculi.

Form. claudendi: Verùm hæc satis (A)

EGo verò, acceptô nunciô de obitu filioli mei, ita sum perturbatus, ut me tamen hominem esse meminerim, & illum in hanc vitam, tanqvam in hospitium, ita esse ingressum, ut accitu summi DEI, æternum illud, cœleste domicilium petiturus, aliqvando discederet. Qvod si me casus iste nec opinatus ita perculisset, ut omnino jacerem: excitaret tamen prudentiâ literarum tuarum, in qvibus deluctu minuendo disputas egregiè, tuamq; declaras tum homine Christiano dignam bonitatem, tùm erga me benevolentiam singularem. Verùm ego, optime Sambuce, multis jam infortuniis hoc sum assecutus, ut fortunam ipsam didicerim contemnere, qvæ mihi, ùt eripiat reliqva, nunqvam adimet,

ea, qvæ nec ipsa dedit, nec dare cuiqvam potest, rectam mentem, optima studia, pietatem in Deum. Præclarè actum opinor cum filio meo. Fruitur conspectu, & consvetudine cœlestium animorum: non angitur curis; non spe ducitur: nihil timet adversum. At nos, qvi dicimur vivere, qvibus hâc falsæ lucis usurâ nihil est carius, qvàm multa exercent? qvid laboramus, qvid cupimus, qvod etiam si contigat, animus acqviescat? Itaq; verè sapientes homines, non ut diu, sed ut rectè, & cum virtute viverent, optare soliti sunt. Qvod eqvidem conor, &, ùt spero, conseqvar. Nihil enim magis cogito, nihil specto, qvàm ut serviam studiis meis, & ita vivam, ut vitæ rationem DEO simul & hominibus aliqvando possim reddere. Qvare cùm me vocas ad scribendum, confirmantur consilia mea judicio tuo. Ac tu qvidem in hoc officio cohortandi facis idem, qvod multi; qvibus facilè possem satisfacere, si per domestica negotia liceret. Sed, obsecro, nolite ex otio vestro meum spectare. Vobis enim certa, & expedita sunt omnia: mihi unicum est vectigal industria mea: qvâ liberos alere, tueri familiam cogor. Et, si negligam, deseretur humanitas: sin, ùt debeo, diligenter curem, jacere studia necesse est; qvæ solutum curis animum postulant. At inqvies: ipsa tibi studia fructum ferent. Cane aliis cantilenam istam, mores, ac tempora ignorantibus: mihi non persvadebis experto. Vetus illa Principum virorum benignitas exaruit. Inania pleriq; seqvuntur, nihil solidum amant, nihil magnificum, nihil illustre. Vides alios, qvasi perden-

dendis tantum frugibus nati sint, immanibus epularum sumtibus opes exhaurire; alios, qvasi etiam homines ipsos. non modò fruges, perdere pulchrum sit, thesauros effundere collectos acerbissimè, in ea bella, qvæ vastitatem agris, urbibus incendia, humano generi, aliena stultitiâ miserrimo, cladem, & exitium importent. Musæ interim ubiq; locorum algent, neglectæ ab iis, qvi fovere eas ut maximè poterant, ita maximè debebant. Etiam illud indignum, qvod exsistunt, qvi specie liberalitatis gloriam aucupentur; & eam virtutem, à qva longissimè absunt, qvasi familiarem suam, sic in ore habeant, ut amare videantur. (A) Verùm, hæc satis aut etiam nimium fortasse multa. Vale. Venetiis.

CASPARI CONTARENO CARDINALI, ROMAM.

EPIST. XXXVII.

Gratias agit Contareno Card. commemorandò beneficia, qvibus ab eo fuit affectus: videlicet, qvod de patre suo honorificè sentiat, qvod ab ipso ad studium laudis sit olim excitatus.

Form. Rogo ut me ames. Te interim si rogem. *&c.* (B)

Form. Deferre alicui officia. Illud mihi est elaborandum &c. (C)

Form. Causas scriptionis allegare. Cùm neq; haberem. *In Exord.* (A)

(A) Cùm neqve haberem, qvod tuâ magnopere interesset à me scribi, & te scirem summis

occupationibus assiduè esse districtum, tamen faciendum mihi putavi, ut aliqvid omnino ad te literarum darem. Ad meum enim officium valde pertinet, te, de nobis optimè meritum, intelligere; & qvô te studiô colam, & qvâ tuorum in me meritorum memoriam religione conservem. Qvod, ut spero, conseqvar literarum bonô. Nam, ut remunerare unqvam possim, sperare vix audeo: ita multa sunt, qvæ ad me juvandum officia sunt à te profecta. Ut enim omittam, qvàm honorificè de parente meo & loqvi & sentire solitus sis, cùm ita dicas, tibi nullius olim jucundiorem consvetudinem fuisse nullius cariorem nunc esse memoriam: ut igitur hoc omittam, qvod in summi beneficii loco soleo ponere: qvanti illud apud me debet esse ponderis, qvòd olim me adolescentem vir clarissimus, non tu qvidem sopitum, sed tradiorem fortasse, qvàm oporteret, ad studium summæ laudis excitasti. Cujus temporis recordatio mirificè me delectat. Sic enim argumentor: te, cujus judicium est acerrimũ, nunqvàm me ad virtutem fuisse cohortaturum, si te frustra id facere existimasses. Tantum autem virum, qvantus ipse omnium consensu gentium & es, & haberis, de nobis non pessimè sperare, mihi perjucundum est cogitanti; apud alios, si qvi audient, etiam honorificum: Qvare nunc qvidem id, qvod mihi pro tua summa humanitate facillimum est, ago, ut, qvem pro tot ac tantis officiis animum debeo, eum me præstare, tibi persvadeam. Qvod si per eam viam, qvâ ad præstantissimarum artium cognitionem iter est, tantum procedam, qvantum pro-

profectò, nisi me aliqva res impedierit, procedam: næ illud etiam aliqvando efficiam, ut te de te nobis esse bene mertium, magnopere læteris. (B) Te interim si rogem, ut, qvemadmodum instituisti, me diligas, faciam imprudenter. Neq; enim dubitandum est, qvin tu velis in eâdem erga me voluntate, cùm humanitatis, tum constantiæ causâ permanere. (C) Magis illud mihi est elaborandum, ut omnes res, qvæ ad te colendum pertinent, studiosè faciam: qvarum si ullam sciens prætermisero, nefariè me peccasse confitebor. Vale. Venetiis.

BENEDICTO ACCOLTO CARDINALI, FERRARIAM.

EPIST. XXXVIII.

Accolto Card. offert sua officia, & cùm aliter non possit, literis suum in ipso colendo studium declarat.

Form Causas scripturæ allegare. Cùm primùm Venetias. (A)

Form. Deferre alicui sua officia. Facultatem majorem. (B)

Form. Promittere gratum animum. Sed tamen qvoniam ita &c. (C)

Cùm primùm Venetias reverti, etsi eram & fessus aliqvantùm de via, & eô morbô, qvi me Ferrariæ satis graviter afflixit, nondum planè levatus: tamen magnitudo meæ in te observantiæ, tuæq; in me benevolentiæ recordatio me adduxêre, ut ad te scriberem. Qvo genere officii, qvàm mihi

hi sæpe apud te sit utendum, intelligo. Nam, cùm eo ipso die, qvo mihi aditus ad amicitiam tuam patuit, de meis commodis & ornamentis non cogitare solùm, sed agere etiam cœperis: omninò, si velim id, qvod maximè velle debeo, qvibus me studiis à pueritia dedidi, iis haberi non indignus, diligenter ineunda mihi ratio est, ut istam tuam ad me augendum tam propensam voluntatem plurimi apud me & esse, & semper fore significem. Id hoc tempore nisi literis mittendis, qvâ re aliâ consequar, non video. (B) Facultatem majorem si unqvam nactus ero, arctissimè complectar, neqve dimittam priùs, qvam id tibi saltem aliqvâ ex parte persolvam. Qvod interea à me deberi non solùm non dissimulo, sed etiam apud omnes libentissimè prædico. Qvid enim mihi esse potest, non dicam honestius, sed glorioſius: qvàm te virum omni genere virtutis excellentem, summâ dignitate præditum, acerrimi in cognoscendis hominibus judicii, nullum officii genus, aut studii, qvod qvidem ad meam sive utilitatem, sive laudem pertineat, prætermittere? Mehercule nulla res fuit, qvæ nos ad probitatis, & doctrinæ opinionem commendare magis posset. Itaqve, qvod antè faciebam, domesticô tantùm exemplô commotus, ut per eam viam, qvam mihi pater meus tritam teliqvisset, expedito cursu ad summam laudem, gloriamq; contenderem; id multò acriùs facio nunc, judicio de me incitatus tuo, cui vereor eqvidem ut respondere possim: & est sanè difficillimum: (C) sed tamen qvoniam ita tempus omne meum traduco, ut qvantùm valetudi-

nis

nis ratio patitur, in literis versèr, & qvasi diuturnam sitim explere cupiens, iisdem è fontibus, unde illa fluxerunt, qvæ sunt laudum tuarum maxima, diligenter hauriam: non despero fore, ut & homines officia tua bene posita existiment, & tu, qvi tibi à me fructus debentur, eos non contemnendos aliqvando percipias. Cujus rei maturitas dum veniat, est interea mei officii, tui memoriam summâ cum benevolentiâ sanctissimè, ac religiosissimè colere; tuæ verò humanitatis, eam voluntatem, qvàm ad me juvandum tuâ sponte contulisti, perpetuò retinere. Qvorum alterum ego, qvàm potero, diligentissimè faciam; alterum tu, ut facias, propter incredibilem naturæ tuæ benignitatem ne admonendus qvidem es. Vale. Venetiis.

EIDEM, FERRARIAM.

EPIST. XXXIX.

1. *Exponit causas, cur rarius scribat.*
2. *Scribit, se voluisse Ferrariam excurrere ad ipsum salutandum, sed coactum esse consilium hoc mutare: nunc igitur mittere hanc epistolam, qvæ ipsum suam vicem qvasi salutaret.*

SUmmo studio maturabam Ciceronis editionem. Omninò id erat causæ, cur ego rarius, qvàm debeo, ad te, scriberem. Sed meherculè nec res erat, de qva possem scribere. De publicis enim non libebat: de privatis autem qvid est, qvod delectare te possit? gravibus morbis, annonâ, & bello, universa

versa ferè civitas affecta contabescit. In his malis pacem omnes, tanqvam unicum remedium, expetebant; qvæ si daretur, amissas vires recuperare, difficile non erat. Arbitrabar, cùm Ciceronis epistolas emisissem, fore, ut Ferrariam possem excurrere. Id ego, primùm, honoris causâ ut te viserem, optabam; deinde, ut tuis doctissimis sermonibus fruerer, qvantùm per humanitatem tuam liceret, per qvam certè licuisset plurimùm. Novi enim, qvæ tua sit cùm facilitas, tum in me benevolentia: sed nostræ voluntates, ùt navigandi cursus, qvandoq: commutentur, necesse est, nisi fortunarum nostrarum fieri naufragium velimus. Itaqve, ut exirem, meas res cùm vidi non ferre, mutavi rationem; & qvamqvam eram occupatus, tamen feci, ut hanc epistolam mitterem; qvæ te, meam vicem, qvasi salutaret. Ea ne hoc officium locô non præstaret, ad Octavium nostrum in literis, qvas ad ipsum dedi, alligatam misi, qvi tibi redderet, cùm vacuus esses. Qvod ille, qvi & commodissimus, & prudentissimus est, non vereor qvin effecerit. De meis rebus si qvid audire vis: ùt in adversis, pessimè non habent: haberent optimè, si pietas esset in iis, in qvibus maxima, si qvid merita valent, esse debebat. Vale. Venetiis.

EIDEM, FERRARIAM.

EPIST. XL.

Gratias Accolto Cardin. agit, qvod scripserit, se ipsius in se amorem & doctrinam magni facere: ac amorem

rem qvidem suum erga ipsum magnum esse fatetur: de doctrina, non prorsus assentitur; nec omninò repugnat. Sed ipsius impulsu se operam dare ait, ut doctrinum consequatur. Deinde ostendit, se non ad ipsum scribere expectatione literarum ipsius, sed officii causâ.

Form. Scribere etiam sine argumento. Summa tua facit humanitas, &c. (A)

Form. Plurimum tibi debeo: Nam cùm antea, &c. (B)

SUmma tua facit humanitas, ut, etsi me argumentum deficiat, literas tamen ad te mittere ne dubitem. Non enim vereor, ex nc tibi molestæ sint. Qvin ita te interpretaturum confido, ut hoc meum studium existimes esse non obscurum signum pietatis in te meæ. Cui qvidem pietati, qvod vix fieri posse credebam, magna sanè accessio facta est lectione tuarum literarum. (B) Nam, cùm antea pro tuis maximis & singularibus erga me studiis effeciſſes, ut plus, qvàm tibi, deberem nemini: nunc propemodum es consecutus, ut ipsi tibi plus, qvàm debeo, debere non possim. Qvanti enim illud, qvo epistolam clausisti, apud me esse putas? te non dubitare, qvin ego, omnesqve mei, qvanti amorem in te meum, atqve doctrinam facias, aliqvando simus intellecturi. Ego verò jam intelligo: neqve qvisqvam est meorum, qvi aliter sentiat. Sed de amore qvod scribis, verè tu qvidem facis; est enim is certè summa cum observantia singularis. De doctrina verò, neq; prorsus assentior, ne me ipse, qva

in

in re minimè debeo, nimiùm videar amare: neqve valde repugno, ne, qvod est in me honorificum, stultè rejiciam. Ut ut tamen est: sive tu amoris, & humanitatis abundantiâ, qvod interdum adducor, ut credam: sive judicio, qvod mihi persvaderi libenter patior: sive utraq; re permotus, tantum mihi tribuisti, qvantum ego postulare sine rubore non ausim: maximas tibi gratias habeam, necesse est: qvod ad ejus ipsius, qvam in me esse dicis, doctrinæ studium, qvò antea naturæ inclinatione propendebam, vehementer me impulisti. Ita enim usu ferè venire solet, ut, qvæ laudes à tui similibus, id est ab iis, qvi ipsi in laude vivunt, proficiscuntur, ea nos, vel si simus hebetiores, in primis acuant, & qvasi necessitatem qvandam imponant, ut, qvales esse dicimur, tales aliqvando studeamus esse. Qvod ego, qvantùm possum, do operam, ut conseqvar. A qvo studio cur me ulla res debeat abducere, non video; cùm tu istis opibus, istâ amplitudine vir, literaro otio nihil anteponas. Temporibus enim turbulentissimis, dum pleriqve ferè, ambitionum fluctibus jactati, optare magis, qvàm sperare, tranqvillitatem animi possunt; securus in portu te oblectas, vivisq; jucundissimè in tuis perennibus optimarum artium studiis: in qvibus totos dies ita ponis, qvasi tibi eæ res, qvibus abundas, & qvarum spe tu alios excitare ad laudem potes, præmio sunt futuræ. Qvod cùm ita sit; & cùm ego hoc animô sim, ut antiqvius tuô commodô nihil habeam: noli credere, me, cùm ad te scribo, tuarum literarum exspectatione id facere:

qvæ

qvæ etsi me incredibiliter delectant, textæ verbis elegantissimis, pleniſſimæqve amoris, & ſvavitatis: tamen ego te meâ causâ à graviſſimis ſtudiis ad nugas vocari nolo. Satis me habere abs te putabo, ſi & meas tibi esse redditas, & tibi, ùt cupimus, esse intellexero. Utrumq; Octavius noſter, qvòd & tui ſtudioſiſſimus est, & noſtri amantiſſimus, cùm libentèr, tum diligenter efficiet. Vale. Venetiis.

JACOBO GRIFOLO, ROMAM.

EPIST. XLI.

Respond. officioſæ epiſtolæ Grifoli, & qvanqvam is prior ſcripſerit, non tamen ſe conceſſerum ait, ut in amando vincatur: Deinde cauſam affert, cur paſſus ſit, ſe in hoc officio ab ipſo anteverti. Tertiò rerum ſuarum ſtatum meliorem esse ſcribit, qvàm fuit. Qvartò Ciceronem ſe maximâ diligentiâ editurum promittit, licet omnes mendas neqveat tollere. Deniq; hortatur illum ad crebras literas ſcribendas.

Form. Promittendi aliqvid, ſed cum conditione. Hoc de me ſpondeas &c. (A)

Form. Scribere de rebus novis. Ibi. Omnium qvi hîc ſumus, ea ratio ſit, (B)

QVòd tu, homo occupatus, prior ad me literas miſiſti; hôc ſanè es aſſecutus, ut officii plus apud te reſidere confitear; illud aſſeqvi neqvaqvam potuiſti, ut amoris plus, qvàm in me eſt, in te eſſe, concedam. Atqve ego ne in officio qvidem paſſus eſſem

essem ut anteverteres, nisi me scribere cupientem non occupatio mea, qvæ tamen summa est, sed cura tuorum mandatorum impediisset. Scis, antè qvàm discederes, qvâ de re sermonem inter nos habuimus; cùm tu, ut eam susciperem, à me petens ostendisti, qvantum & fidei, & diligentiæ tribueres meæ. In qvo ego opinionem tuam ne fallerem, operam dabam. Itaq; te profectò, cùm intelligerem, qvantum damni feciissem, ademptâ mihi duæ consvetudinis usurâ: cumq; id omnino literis mittendis resarcire vellem; tamen diem è die exspectans, ut aliqvid ad te de tuo negotio, cujusmodi tu velles, possem scribere, in maximo desiderio me sustinebam. Nunc, qvoniam ejus rei ne vestigium qvidem apparet in epistola tua; sive qvòd, à qvo tempore discessisti, ut illud consilium abjiceres, rationes tuæ tulerunt; sive qvòd, eodem animô cùm esses, committere tamen literis nihil voluisti, qvod elatum nocere tibi posset: puto me non incommodè esse facturum, si, qvam tu rem in tuis literis intactam omisisti, ego item in meis silentio prætermittam. Qvòd scire vis, rerum mearum status hoc tempore qvi sit: ne te multis morer, is est, qvem reliqvisti; paulo etiam melior, qvàm reliqvisti. Nam & domestica qvædam sanavimus; & eum, de cujus acerbitate qveri solebam, ita facilitate qvadam nostra, atqve obsequio mitigamus, ut penè dulcis esse videatur. De Ciceronis editione, (A)hoc de me spondeas, atqve etiam in te recipias licet, ut diligentiâ, confirmes, me non esse usurum multò minore, qvàm qvi in hoc genere laudantur. Hactenus con-

confido fore, ut præstem; & præstabo certè, nihil ultrà. Mihi enim tantum non arrogo, neq; arrogare debeo, ut, qvemadmodum scribis, eas sordes, qvibus veterum scripta sunt fœdata, putem omnes eluere me posse. Magni id esset ingenii, magni judicii: qvibus ego rebus & indigeo, &, si abundem, sine libris tamen antiqvis nihil audeam. Qvi mihi sunt omnino multi; sed neq; qvot vellem, neq; cujusmodi. Conjecturæ autem intellexi, & didici, qvàm sæpe sint fallaces. Neq; bonos libros ulla magis labes inqvinavit. Qvibus nunc in veterem splendorem, atqve integritatem restituendis, plurimum mihi est negotii, & erit, ut puto, post me multis: ut inde laudis materies deesse nunqvam possit. Te rogo, ut antiqviorem librum, sicubi istic esse resciveris, si prece ipse, aut pretio non potes, aliorum auferas gratiâ. Literas autem, qvàm valdè me amas, tàm sæpe mittes. Nam & otii puto te habere, qvantum velis; & argumentum Romæ viventi deesse non potest. Mihi utrumqve minùs est. Magnis enim districtus occupationibus, temporis ad scribendum non habeo satis. (B) Argumentum autem unde sumam, cùm omnium, qvi hîc sumus, ea ratio sit, ut, rerum novarum si qvid aliunde ad nos affluxit, de eo nec scribere, nec loqvi sine gravi periculo possimus? Relinqvitur, ut privatis de rebus possim scribere. Sed hoc qvoqve genus vereor, ne me deficiat. Rarò enim solet accidere, qvod scriptione dignum sit. Qvapropter, qvoties ita eveniet, ut à negotiis liceat discedere; properabo statim ad epistolas. Qvod eò libentius faciam, si tu mihi sen-

tentiam scribendi aliqvam dabis: sin minùs, inanes tamen potiùs, qvàm nullas, mittam. Vale. Venetiis.

HANNIBALI CRUCEIO, MEDIOLANUM.

EPIST. XLII.

Gratulatur sibi de Cruceii amicitiâ, operâ Ferrarii conciliatâ; & laboraturum se scribit, ut benevolentiâ ejus dignum se præstat; modo ne, Ferrarii prædicatione commotus, eum se esse existimet, qui non sit.

Form. Dici non potest, qvàm gratum sit. Ibi: Qvod ego non possum satis. &c, (A)

Form. Polliceri gratum animum. Memorem igitur *&c.* (B)

AMoris in Octavianum Ferrarium mei causæ sunt veteres sanè multæ, eæq; non leves; sed recens hæc est gravissima, qvòd ejus operâ video factum esse, ut tu me amares. (A) Qvod ego, non possum satis explicare, qvanti faciam. Certè optatius nihil, ac ne utilius qvidem potuit accidere. Nam me molestæ qvædam cogitationes exercebant: eæ fecerant, ut subtristis essem. Hoc malum Ferrarii literæ sanarunt. Eas enim legens, cùm venissem ad eum locum, ubi ille, qvàm tu me diligas, qvàmq; diligi à me cupias, diligenter & officiosè narrat: sensi mihi qviddam instillari, qvô planè sum exhilaratus. Adeò tui similium amicitiis augeri gratum est. In qvâ commoditate incommodum tamen illud ineſt, qvòd mihi valdè sentio esse laborandum, ut

ut benevolentiâ & opinione de me tuâ non indignum me præstem. Qvod utinam possim efficere: conabor certè: ac ne despero qvidem fore, ut efficiam, modò, qvod tu judicium de me habes, id ejusmodi ne sit, ut ego ei respondere nullo pacto possim. Nam mihi interdum venit in mentem vereri, ne tu me, Ferrarii prædicatione commotus, eum existimes esse, qvi non sum. Mendax, mi Crucei, amor est; nosq; sæpissimè ita solet afficere, ut in sermone, prout amicorum è re est, & effingere falsa, & detrahere vera, religio non sit. Qvare Ferrarium, cùm de me loqvitur, non est qvòd audias. Amore victus, cui repugnare judiciô non vult, ea dicit, qvæ fortasse non sentit. Ad idem de tua virtute multa in suis literis. Habes igitur, dices, ei fidem, cui haberi à me non vis? habeo, & qvidem maximam. Mittit enim ingenii tui monumenta, qvæ mihi de tuis laudibus, ùt ille scribit, ita esse probant. (B) Memorem igitur interea me velim existimes humanitatis tuæ. Gratum cognosces, cùm facultas erit. Ac video, me tuâ causâ non eas res præstare posse, qvas vellem; sed, qvas possum, ita volo, ut omnes, sine ulla exceptione, libenter ad te deferam. Licet iis arbitratu utaris, atqve etiam abutaris tuo. Vale. Venetiis.

ANTONIO MERLO, VICETIAM.

EPIST. XLIII.

Querela de rumore quodam in suum incommodum divulgato.

EGo qvoqve qviddam inaudieram superioribus diebus, sed contempsi. Nunc me movet, qvod audies. Artibus effectum nescio qvorum, (de Petro nostro certè vix opinor: vix autem? prorsus non opinor) ut hîc rumor serpat longiùs. Primùm hæc vulgò tractata: ferebam; pòst etiam ad Cardinalis aures pervenerunt: qvod mihi accidit molestissimum; nec dubito, qvin is jam non idem sit. Qvòd si ille eadem cum Episcopo, cujus ingenium præclarè novi, communicaverit: actum est. Me qvidem & illa angit cura, qvòd vereor, ne fama diffluat, & Perusina conditio, satis opima, satis honorifica, fortasse in dubium vocetur. Cornelius rem curat diligenter, ùt video, fide certè, & amore singulari. In hac sum sententia: si spes non dubia, ut urgeamus; sin, desistamus ab incepto: ne cupiditatem nostram sine fructu, fortasse etiam cum aliqva mercede, prodamus. Mitto ad te Gratii poëma de Venatione, paulò durius, nec omnino cum Petri Bargæi carmine conferendum, qvi hoc argumentum sex libris non minùs eleganter, qvàm copiosè persecutus est. Vale. Venetiis.

MI-

MICHAELI SOPHIANO, PATAVIUM.

EPIST. XLVI.

Hortatur Sophianum ad temperantiam in studiis, adductus veteri amicitia, & singulari erga ipsum benevolentia, cujus aliquot signa affert. Cùm enim sit tenui valetudine, & insigni ingenio præditus, mediocritatem in studiis observandam suadet.

Form. Objectionis & Resp. At mediocritatem *&c.* Verè, sed immoderatis *&c.* (A) *NB. Locus communis de nimio literarum studio vitando iis, qui sunt infirma valetudine.*

Form. Hortandi. Obseqvere igitur in tua salute. (B)

SI nostræ necessitudinis initia repetas; nemo, opinor, istic est, qvi mihi vetustate præstet. Sin apud te vetustas pondus non habet; ipsam per se benevolentiam pendis: ne sic qvidem jure mihi qvenqvam antepones. Ego te primùm, cùm abesses, memoriâ colui diligentissimè, tuumq; nomen crebris usurpatum sermonibus, ornavi laudibus, qvantum in me fuit: deinde, cùm de avunculo tuo, viro optimo, tuiqve amantissimo, miserrimam in servitutem à barbaris gentibus abrepto, cognovissem, ingemui sæpè tuâ causâ, qvem orbatum domestico præsidio, maximas in difficultates immerentem fortuna conjiceret. Postremò, cùm Patavium te aliqvando tetulisses, valetudine ita perditâ, ut humanâ vix ope restitui posse videretur:

qvàm id molestè, qvàm acerbè tulerim, testes sunt communes amici, qvibus & periculum tuum, & eodem tempore dolorem meum dolori fuisse, certò scio. Veni Patavium aliqvantò pòst : vidi te, qvem optabam potiùs qvàm sperabam, habitu corporis, non illo qvidem optimo, eo tamen, qvi vitæ spem minimè dubiam afferret. Deinde qvotidie meliora, accedente ad remedia medicorum temperantiâ tuâ: qvam ita laudabant omnes, ut in studiis tamen paululum eam desiderent. Qvo de genere præcipere qvidqvam difficile est; præsertim mihi, qvi cum ab eadem culpâ longè non absim, tum etiam, nisi priores tibi partes in prudentia concedam, ignorare scilicet videar utrumq; nostrûm. Veruntamen, cùm te penitùs philosophiæ dedideris, ut ejus præsidiô fortunæ tela depelleres; debes eam seqvi ducem in actionibus tuis. Qvod si feceris; extrema vitabis, & omnem in medio laudem constitues. (A) At mediocritatem mens in suo munere non amat: progreditur enim meditando, &, qvò longiùs, eò jucundiùs. Verè: sed immoderatis rebus natura frangitur: &, qvanqvam corpori mens dignitate præstet, utriusq; tamen incolumitas abutriusq; pendet officio. Ut herus imperat servis, nec tamen eos negligit, sed consulit, qvatenus liceat, commodis eorum: idq; facit etiam suâ causâ: tamdiu enim herus est, qvàm diu habet qvibus imperet: Sic mens rationem corporis habeat aliqvam oportet. Nam, si negligat eam sedem, in qva summus opifex illam constituit; primùm faciet injustè: deinde corporis compagine, qvâ ipsâ includitur, bre-

brevi dissolutâ, usum tractandæ qværendæq; virtutis amittet. Qvod cùm accuratè vitandum omnibus est, tum iis maximè, qvorum & infirma valetudo requietem qværit, & ita viget industria, ut mediocri etiam labore non mediocrem ipsis gloriam, ceteris utilitatem afferre possit. Cui porrò ignota est vel ingenii tui, vel memoriæ præstantia? Qvibus, non modò ut emineres in Græca lingva, id qvod omnes fatentur, sed ut, qvacunq; re propositâ, peritissimè disputes, facilè consecutus es. Itaqve jure expetitur à nobilissimis viris amicitia, & consuetudo tua: jure te diligunt ac laudant, qvicunqve in Patavino gymnasio doctrinis liberalibus excellunt. Qvorum tu virtute frueris, & illi vicissim tuâ, si valebis: &, ut valeas, in te ipso magna ex parte situm judicamus. (B) Obsequere igitur in tua salute multorum studiis: parce valetudini satis imbecillæ, &, qvod libenter facis, da operam simul ut diutissimè facias. Ita gloriam tuam, lætitiam nostram, dignitatem etiam literarum augebis; qvibus ornamenti plurimum è tuis aliqvando scriptis, si valueris, accedet. Vale. Venetiis.

JOH. BAPTISTÆ PIGNÆ, FERRARIAM.

EPIST. XLV.

Gratulatur Ferrariæ, & ipsi Pignæ de bono Principe; ac Pignam hortatur, non tàm ut ad virtutem ornandam apud Principem omnem industriam collo-

set, quàm artem Poëticæ imitationis absolvat, nec se aulicis negotiis à literis avocari sinat.

Deinde scribit, se ad studia literarum, à quibus discesserat, rediturum, postquam operâ Gab. Fallopii usum oculorum recuperavit.

ALphonso Duce creato, gratulatus Ferrariæ sum: qvæ tum ex novi Principis eximia virtute fructus capiet egregios; tum ipsa qvoqve ad omnem virtutem, ejus, à qvo regitur, exemplum secuta, diligentiùs incumbet. Mores enim civitatis ex Principis moribus effinguntur, &, ùt ait Plato: Qvæ apud eos, qvi dominantur studia vigent, eadem reliqvi cives amplectuntur & colunt. Ergo florebunt in vestra civitate liberales disciplinæ, ac debita jampridem ingenuis artibus præmia persolventur. Qvod eqvidem tuâ potissimum causâ, doctissime Pigna, magnopere gaudeo. Nec enim dubitat qvisqvam, aut dubitari omnino potest, qvin, qvantùm ingeniô, eruditione, judiciô, qvantùm etiam consiliô vales, tantundem apud sapientissimum, optimumq; Principem & auctoritate valeas, & gratiâ. Qvod si, qvam adhuc in cognoscenda, eandem posthac in ornanda virtute industriam locabis: qvis te uno felicior? qvis omni laude præstantior? qvod ut facias, ne monendus qvidem es. Nec enim te dissimilem esse tui, vel natura tua, vel consvetudo, vel studia patiuntur. Hoc igitur tecum agendum non est. Illa me potiùs, ut verè dicam, & simul omnes, qvi te diligunt, cura solicitat, ne te nobis eripiant prorsus aulica negotia, sic, ut,

iis

iis disciplinis, qvarum usus æternum decus parit, salute dictâ, jacere patiaris ea, qvæ multis antè mensibus instituta, si qvando perficias, majorem in modum & posteris, & gloriæ tuæ servies. Qvàm multos enim egisse mecum diligenter existimas, ut hortarer te ad absolvendam poëticæ imitationis artem, aut, si absolutam habes, continuò divulgandam? qvibus ut aliqvando satisfacias, etsi langvere te in tua laude vix opinor, tamen peto abs te, qvantùm humanitas tua permittit. Nec tamen, etiamsi tua res non ageretur, amicitiam nostram, qvam ego sanctissimè semper colui, nihil à te impetraturum confiderem. Eqvidem nihil ei denegarem: idqve te, qvod tamen secundissimis rebus, ac sine molestia tua fiat, cupio experiri. Ego me ad literas, à qvibus invitus discesseram, revocare cœpi, adeptus usum oculorum, qvem antea desperabam; divinâ primùm ope, in qva statuere omnia consvevi; deinde Gabrielis Falloppii scientiâ singulari: cui viro, qvanti hanc lucis usuram, id est, qvanti vitam facio, qvanti etiam præclara literarum studia mihi sunt, qvibus vix ipsa vita pluris est, uni planè totum acceptum refero. Siqvidem ejus doctrina, humanitas, exqvisita cura pristinam mihi valetudinem, omnino profligatam, ac perditam, conspectum meorum, amicorum colloqvia, librorum svavitatem, restituit: ut, si qvem ab optimis artibus industria nostra fructum feret, ei gratiæ debeantur, cujus ope, ac studio factum est, ut intermissam diuturno, ac perdifficili morbo posteritatis adjuvandæ consvetudinem aliqvando repeterem. Tu mihi de tuo

statu,

ſtatu maximeq; de Alphonſi Ducis conatibus egregiis ad honeſtandam virtutem, de qvibus fama jam percrebuit, ſi qvid ſignificaveris, argumentum erit amoris in me tui, qvo lætari vehementer ſoleo. Vale. Venetiis,

JOHANNI SAMBUCO. PATAVIUM.

EIPST. XLVI.

Adjecta eſt etiam duabus Orationibus funebribus Sambuci, qvæ ſunt impreſſæ Pariſiis A. 1561. p. 17.

Sambucum fratris interitu dolentem conſolatur, & ut ex animo dolorem penitus evellat, monet.

QVod fratrem tuum Georgium Bona, florenti adhuc ætate exſtinctum, immoderatè luges; ignoſco mœrori tuo, nec tamen laudem tribuo. Dolere enim fratris interitu, & ejus fratris, qvò nemo amabilior, nemo fuerit virtute præſtantior, hominis eſt: modum autem dolori nullum conſtituere, nunqvam lacrymis abſtinere, nunqvam ex animo mœſtitiam pellere, Sambuci non eſt. Periit frater; jure commoveris: ægrè enim divellimur à natura conjunctis: qvod ego qvoqve ſum expertus. Periit iis, qvi familiam veſtram, qvi patriam, qvi provinciam univerſam ornare vehementer ſuis laudibus, & illuſtrare poterat; hoc qvidem exſpectandum ab ejus virtute fuit: ſed magnam habet Fortuna vim: ea ſæpe, nobis ad eximiam laudem contendentibus, transverſa incurrit, ſæpe noſtra ſtudia debilitat, ſæpe, moratur induſtriam. Qvo de genere qvid

qvid ego te doceam, doctissimum virum, cui propè infinitam exemplorum vim vel Græca monumenta, vel etiam Latina suppeditant? Florem igitur virtutis amemus: erepto ante maturitatem fructu. Qvando hoc singulare non est, sed commune cum multis, modicè feramus. Qvid, si ne dolendum qvidem est? Omitto enim historias, ad philophiam te voco. Qvid igitur illa præcipit? Si qvid casus afferat, leniter accipiendum: nec enim, ut aliter accidat, in nobis est: si qvid culpâ contractum, angi æqvum essu: certè enim, qvi ad præclarè agendum nati simus, ideoq; mente, & ratione, præter cæteras animantes, instructi, tantis bonis abuti, & qvasi à natura desciscere, turpissimum est. An tu igitur, mori, qvasi aliqvid turpe, reprehendes? Qvod si non turpe, nec dolendum. Nisi si qvis ita vixerit, ut nihil unqvam homine dignum præstiterit. Qvod abest longissimè à fratre tuo: qvi probitate, ingenio, studiis artium optimarum, prudentiâ etiam adolescens ita excelluit, ut eum Pannonia penè cuncta viventem unicè dilexerit, mortuum laudibus, & memoriâ prosequatur. Qvæ cùm tibi veniunt in mentem; iniqvus profectò nimis in te ipsum es, nisi luctum minuis, & ex animo dolorem penitus evellis. Qvin te decuit maximè, qvi totos dies ponas in iis libris, unde vitæ moderatio, unde animi tranqvillitas petitur, ad propinqvos, ad amicos in Pannoniam ejusmodi literas mittere, in qvibus illi sitam esse non minimam sui doloris medicinam intelligerent. Nam vir eximius, Nicolaus Olahus, Archiepiscopus Strigoniensis, qvi Georgium, &

qvia

qvia sorore suâ natus erat, & qvòd in eo summa virtus enituit, in oculis gestabat; non dubito, qvin tanti vulneris remedia sumat à se ipso: qvem non modò ætas, & usus maximarum rerum erudierit, verùm etiam prudentia qvædam naturalis, qvæ planè vincit omnem artem, nunqvam à constantia discedere patiatur. Nec tamen vereor, ut, qvi mihi paucis antè mensibus in filioli mei obitu consolationem adhibueris, idem tibi in tuo casu mederi aliqvando non facilè possis. Qvod si facies; fructus apparebit studiorum tuorum: & Georgii fratrem agnoscemus; cujus ingenium, ac mirificam prudentiam oratio illa, luculenter in primis à te scripta, declarat. Vale. Venetiis.

† PATAVIUM.

EPIST. XLVII.

Qverela de obitu Lezentii cujusdam, cum adjuncta brevi consolatione.

Form. concludendi consolationem: Hæc tibi à me. (A)

PErcussisti me de Mariano Lezentio: qvid ais? optimus adolescens, majorum nobilitate, suâ virtute clarus, omnibus animi, corporis, fortunæ bonis ornatus, ereptus repentè nobis est? ô miseram humanæ vitæ conditionem. Qvid ames, cùm omnia fluere ac labi, nihil intra orbem Lunæ firmum esse, nihil idem à manè ad vesperam, qvotidie cernas? qvæ te arbitrabar antea cognovisse in sermonibus Reginaldi Poli Cardinalis, & Aloysii

Prioli

Prioli, qvibus probiores, aut sapientiores viros non modò nostra, sed nec superior ætas tulit. Nunc, qvando te biduum scribis lacrymando consumpsisse, profectò tibi exciderunt illa præclara de contemptu mortis, qvibus in illo divino contubernio, in illo planè cœlestium animorum cœtu aures tuæ sæpissimè personabant. Qvod si, qvid doleas, cogitabis, aut qvid dolendo proficias: non dubito, qvin istum luctum abstergas, & Lezentio nostro etiam gratuleris, qvòd, inspecto Hierosolymæ summi Dei monumento, qvò illum, dissuadentibus amicis, pietas, & religio duxerat, statim ad ejusdem Dei conspectum, præditus optima mente, purus ab omni labe, in cœlum evolarit. Qvod qvi optant, sapientes; qvi adipiscuntur, felices jure dicuntur. (A) Hæc ubi à me pauca, pro nostra necessitudine, consolationis loco dicta si attendes, vim habere maximam senties, & eam dolori tuo medicinam, qvàm dies aliqvando afferet, ratione re præsentabis. Qvod cùm omnes deceat, tum verò ab excultis doctrinâ viris, qvem te ad numerum aggregamus, præcipuè postulatur. Vale. Venetiis.

LAURENTIO GAMBARÆ, CILIVERGE.

EPIST. XLVIII.

Gratulatur Gambaræ de amœnitate villæ; in qva rusticatur, eumq; ab absolvendum poëma de novis insulis à Columbo inventis, hortatur.

Form. Adhortandi. Urge igitur; nec institutum (A) Cilliverge nunqvam videram, amabam tamen, amœnitate suâ jucundissimum, domino honestissimo, Lanterio Appiano, præstanti viro, non humanitate minùs, qvàm eloqventiâ: nunc & elegantiam villæ, ùt in tabula pictam, in tuis versibus vidi, & meherculè non mediocri ejus visendæ, atqve etiam tecum fruendæ studio sum incensus. Qvod si qvando contigerit, digito cœlum attingam. Qvid enim isto otio beatus? qvæ species urbis, qvæ dignitas cum ista rusticatione, cum ista surgentium virgultorum sylvula conferri possit? Eqvidem, cùm te mihi ante oculos pono, modò inter angustis distincta semitis fructeta declivi colle spatiantem, modò arborum proceritatem atqve ordinem in viridario mirantem, eâdem penè voluptate absens tecum fruor. Conjungit enim animos nostros mutua benevolentia; nec est aut tibi qvidqvam sine me: aut mihi sine te jucundum. Gratulor tamen tibi potiùs, qvàm mihi; & istos Cilivergenses dies ita multorum annorum instar esse puto, si modò nec otiosus in otio, nec in solitudine solus es. Id autem qvâ ratione conseqvi possis, opinor, me tacente intelligis. Patavii dum eras, habebas in manibus egregium illud poëma de novis insulis à Columbo inventis: cujus ego cùm exordium, multis præsentibus, legissem, admiratus gravitatem, & elegantiam carminis, exclamavi: Cedite Romani. In qvo adhuc, qvi à me dissentiret, inveni neminem. Qvo magis te hortor, qvanqvam, ùt spero, currentem, ut approperes, habeasq; rationem non exspectatio-

ctationis modò noſtræ, verùm etiam gloriæ, tuæ cujus habes à natura præclarum ſeminarium, qvod etiam ſtudio excolis, ingenium tuum. (A) Urge igitur; nec inſtitutum dimitte: qvodq; adhuc humaniſſimè feciſti, in eo perge, ut noſtrum tui abſentis deſiderium literis aliqvando lenias. Vale. Patavii.

LAZARO BONAMICO, PATAVIUM.

EPIST. XLIX.

Gratulatur Bonamico de valetudine, qvam recuperare cœpit; eumq; hortatur, ut illius diligentem curam agat.

EGo verò & audivi de tuo caſu, & tuam vicem mirificè, neq; minùs publicam dolui: veritus enim ſum, ne tecum ſimul literæ concidiſſent. Nunc qvando te jam ambulare ſcribis, ita tamen, ut ſcipione utaris; gaudeo, eoq; magis, qvòd in iſta ætate morbi diuturnitatem pertimueram. Sed, qvia non planè animum meum liberas à cura, cùm priſtinas vires nondum recuperaveris; rogo te, Bonamice, qvanti optima ſtudia facis, qvæ tibi facienda ſunt plurimi; qvandoqvidem ab iis tuæ laudes emanarunt; tantum adhibe in te curando diligentiam. Vides enim, neminem ferè eſſe, qvi, ſi qvid tibi acciderit humanitus, rudem barbariem à Latinæ lingvæ finibus arcere poſſit. Plautum à me emendatum, qvem à me petis, dabo operam, ut cum his ad te literis mittam: ſed, ut eum in multiplici meorum librorum congerie ſtatim reperiam, ſperare vix

vix audeo. Ego, ùt scis, hanc satis gravem provinciam susceпi. Tenui conditione, inqvies. Fateor; sed ne tua qvidem, si tuarum virtutem merita spectentur, satis opima. Qvid agas? his temporibus angustè virtus habitat. Benè tamen de suis civibus mereri, præclarum est. Vale. Venetiis.

GUILIELMO PACCIO, PATAVIUM.

EPIST. L.

Excusat se de silentio diuturniore, & crebriores imposterum literas promittit, sed sine cura scriptas.

Silentii mei, qvô tecum diu satis usus sum, non exponam hic tibi causam pluribus verbis: ne, si id faciam, videar & tibi ipsi, qvi nihil adhuc ad me scripsisti, eandem qvasi legem imponere. Itaq; hanc partem prætermittam: in qva si peccatum est, utriusq; certè est. Ego autem spero me posthac & benevolentiam tibi meam, & diligentiam hoc genere officii probaturum; modò ne literas elegantes, qvales videlicet Patavii, à summis ingeniis elaboratæ, tibi ostenduntur, à me exspectes. Ita scribam, non modò ut qvod in mentem, sed planè qvidqvid in buccam venerit, in epistolam conjiciam. Non enim is sum, qvi unum qvodqve verbum ad trutinam, ùt dicitur, revocare vel soleam, vel possim. Aliorum ista superstitio sit, mea qvidem non erit, præsertim in epistolis; qvæ si, ùt ait ille, nihil habent simile neq; judicio, neqve concioni; qvid refert, utrum dichoræo concluſus, an aliter, verborum

rum ambitus insistat? Splendidior, inqviunt, nec paulò aptior ad movendum, si numerosiùs desinat, oratio videtur. Rectè: nec ego secus existimo: verùm, qvem tu tanti facis, eum ego magistrum sequor. Qvid igitur ille? EPISTOLÆ NOSTRÆ DEBENT INTERDUM ALUCINARI. Nempè, qvòd iis negligentia qvædam, cùm ad familiares scribitur, etiam ornamento sit. Ita igitur tecum agam, ùt si essemus unà: &, qvemadmodum præsentes qvacunq; de re sermones familiariter serere solemus; sic in scribendo, nullâ certâ proposita sententiâ, libertatem illam, & qvasi negligentiam imitabor. Qvod si reprehenderis, tacitum non feres. Præstat enim malè scribere, qvàm omninò, qvod à te fieri video, nihil scribere: cùm hoc voluntatis fortasse vitium sit, illud ingenii, qvod ipsi nobis fingere non possumus. Vale. Venetiis, ∞ D. XXXIII. pridie id. Jun. qvi mihi primus dies est anni XXI.

PAULO MAGNULO, PATAVIUM.

EPIST. LI.

Excusat se de raritate literarum, & Magnuli literas ab elegantia laudat.

Cùm me vides præter institutum meum literas ad te non tam sæpè, qvàm solebam, mittere; nimirum etiam, me tacente, qvàm sim occupatus, intelligis. Ternas te dedisse scribis. Omnes accepi: nihil amabilius: his autem recentioribus etiam nihil elegantius. Sic enim censeo, rectè eum, & Lati-

nè scribere, non qui pauca multis, sed qui multa paucis. Quo ego in genere aliquando posse cupio; tu, ut video, jam potes. Tribus enim versiculis quid non complecteris? Tuam narras in scribendo diligentiam, meam objurgas negligentiam. De meorum librorum instauratione rectè me admones, de tuorum venditione apertè. Deniqve otiosi nihil est: sententiæ numerô propè, quot verba: ut mihi, quemadmodum promiseras, argumentum satis superq; dederis. Sed meæ cessationis causam, ut dixi, conjicis ipse per te. Libros autem meos, propè adest, cùm editurus sum. De tuis egi diligenter, & ago. Si quæris, quid profecerim: nihil adhuc; sed spem non abjeci. Quanqvam incredibile est, quàm difficile sit ab istis pecuniam exprimere: quem eventum res habitura sit, ignoro: à me nihil omittitur, quò minùs & ex sententia conficiatur, & quàm citissimè. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EIPST. LII.

Hæc maximam partem est jocosa.

PUtasti fore, ut ego te abeuntem literis prosequerer? Non tu id quidem unqvam. Convenerat enim, ut argumentum à te exspectarem. Argumentum igitur potest exspectare meus in te amor? quo nihil uberius nec est, nec unqvam fuit. Itaqve statim, ubi tu profectus es, cùm me repentina qvædam voluntas excitasset, arripui calamum, neq; sum veritus, ut me scribentem sententia deficeret. Hui,

Hui, qvàm multa jam nunc mihi veniunt in mentem! sunt, qvæ possim scribere, levitates amatoriæ. Qvorsum, inqvis? mecum habebo: neq; tibi, neq; cuiqvam edam. Volo enim parcere amicitiæ, qva mihi sunt conjuncti, qvi tam svaviter, ut ipsi putant, vivunt; ut ego sentio, delirant. Sunt item σκιαμαχίαι qvædam, & militaria munera populo data, taurorum venationes, saltatorum lusus, personatorum ineptiæ. Qvid qværis? sexcenta: qvæ mihi & benevolentia nostra suppeditat, & familiaritas permittit ut scribam; qvia tamen leviora sunt, omitto, ne gravem philosophum offendam. Porrò, de meis rebus qvod exspectes, nihil est: mutationem nullam fecerunt à discessu tuo. De te, qvæ scire velim, hæc sunt: qvò modò te redeuntem amici illi tui, libri scilicet, acceperint? num eo ipso die ad eorum consvetudinem te dederis; an potiùs, dum hæ bacchationes deverfescant, in hortis cum Epicuro, qvàm in gymnasio cum Aristotele, velis vivere? Et, cùm hæc scripseris, adde verbum, si me amas, de pugiunculo illo tuo: qvo ego te impeditum, & alligatum ense cùm vidi discedere, non tenui risum. Ac volui pungere te dicto: sed veritus sum, ne tu rusticè me gladio. Epistolam habes jocationis plenam: qvà te esse delectatum cognovero, si miseris ipse pleniorem. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. LIII.

Hortatur Magnulum ad invidorum & malevolorum calumnias animò perferendas.

Form. Dubitarè an majorem voluptatem, an dolorem &c. Non facilè dixerim. (A)

Form. Polliceri ſtudium ſuum. Me in omni fortuna (B)

(A) NOn facilè dixerim, plusne voluptatis, an doloris ex epiſtola tua ſuſceperim. Eſt enim mihi gratiſſimum, cùm & me à te amari, & te amore in te meo delectàri perſpicio. Ex qvo fit, ut literas tuas, benevolentiæ pleniſſimas, & officii, jucundiſſimè legam. Cùm verò te vel angi video, vel aliqvid triſte cogitare; ſic afficior, ut acerbiſſimè vivam. Sed utinam, qvanti ego conſilium tuum ſemper feci, tanti item ipſe meum feciſſes. Profectò in has moleſtias, in qvibus hodie verſaris, non incidiſſes. At, inqvies, illa perpeti malum erat. Malum, niſi, iſtos ferre, longè pejus ſit, qvorum qvidem injurias, tum ex eorum, qvi iſtinc veniunt, ſermonibus, tum ex literis tuis facilè cognovi. Qvæ qvò magis intolerabilia ſunt, eò clarius tuæ prudentiæ lumen oſtendas oportet: neq; comittas, ut invidorum, malevolorumq; perverſitas plus apud te, qvàm exiſtimationis tuæ ratio, valuiſſe videatur. Qvanqvam ego, cùm hæc ſcribebam, ſatis intelligebam, qvis ad qvem: ſed amorem meum, qvi tibi præſenti perſpectiſſimus fuiſſet, etiam apud abſentem, qvoqvo modo licuit, teſtatum eſſe cupiebam. Atqve hoc loco mihi veniunt in mentem, qvæ tibi proficiſcenti futura prædixerim. Qvæ ego, non aliqvam ſomniorũ imaginem, aut alitis cantum ſecutus, augurabar: ſed, qvod iſtiusmodi hominum naturæ plus etiam, qvàm vellem, exploratæ mihi erant

rant, idcirco, ne illa acciderent, qvæ nunc eveniſſe audio, timebam. Sed utêris, ut ſpero, fortitudine animi tui : & qvæ iniqvi ad ignominiam tuam comminiſcuntur, ita feres, ut non ſolùm in vetere optimorum ſtudiorum curſu, fractus animo, ne conſiſtas, ſed vehementiùs etiam veræ gloriæ cupiditate incitatus, propoſitum tibi decus aſſeqvare. (B) Me in omni fortuna tui amantiſſimum, tuæqve laudis fautorem, atqve adeo, qvantum in me erit, amplificatorem habebis. Vale.

SEBASTIANO LEONI CORDUBENSI, ROMAM.

EPIST. LIV.

Gratulatur Leoni de reditu in urbem Romam.

ROmæ te nunc eſſe, in ea urbe, ubi multorum amorem, ac ſtudium tua tibi jam antea virtus peperit, tantum abeſt, ut doleam, ut etiam ſummè gratuler. Nec enim dubito, qvin ſedem ſtudiis tuis non modò commodam, verùm etiam honorificam, adnitentibus amicis tuis, facillimè conſeqvaris. Me qvoq;, ùt ille inqvit, mirum deſiderium tenet urbis: verùm adverſantur multa: qvæ ſi DEUS aliqvando ſuſtulerit, accurram ſtatim ad vos, eâ ſpe, ut in veſtra benevolentia, in conſvetudine, ac ſermone conqvieſcam. Saluta interim amicos, Octavium noſtrum; Sirletum, Gyllium, Phaërnum. Nam Epiſcopum Allifanum abeſſe audio. Nicolaus Nathanaëlus : egregiè moratus adoleſcens, magnos in Latinis literis proceſſus à diſceſſu tuo fecit. Is cum

mihi per se carus est, tum eò magis, qvòd de te sæpe loqvitur amantissimè, tuamq; ergase, patremqve suum, insigni probitate atq; doctrinâ virum, perpetuam benignitatem sic in ore habet, ut ejus memoriam nunqvam finat intermitti. Vale. Venetiis.

SILVESTRO ALDOBRANDINO.

EPIST. LV.

1. *Lætatur se ab Aldobrandino facetiis lacessitum.*
2. *Significat se amico illius reconciliatum esse, qvantumvis aliqvando ab ipso dissenserit.* 3. *Indicat, qvomodo in summis caloribus ad aqvas confugiant, & natando se recreent.* 4. *Desiderio ejus teneri se scribit.*

IN iis literis, qvas ad Angulum nostrum XVI. Kalend. Sext. dedisti, valdè mihi scripta urbanè visa est illa pars, in qva nescio qvid de me per jocum, sed cum qvadam tamen amoris notâ significasti. Gaudeo, me tibi usq; eò esse familiarem, ut etiam facetiis lacessas: qvo in genere si perges, gratiam referemus: ne tu homo ingeniosus nos tardiores impunè commoveris. Mihi cum amico tuo rectè convenit. Doctum hominem cognovi, bonum virum esse audio. Hæc cùm sunt in hominibus transalpinis, amorem conciliant: qvantò magis in nostris? At in literis aliqvando dissensimus; ego verò nonnihil etiam à parente meo: neqve tamen parentis manibus eam qvam debeo, pietatem minùs præsto. Opinionum enim dissimilitudo tantum abest à simultate, ut sæpissimè, non modò qvi sententiâ discrepant, in amore consentiant; sed etiam,

am, qvi simultatem exercent, judicio congruant. Qvare amove istam ex animo tuo suspicionem, meqve cum illo ita crede esse reconciliatum, ut posthac ab eo, etiam si dissentiendi causa sit, dissentire tamen nolim. Hic, ut in tantis caloribus, non injucundè vivimus; urbis mirifica elegantia, cœli summa salubritas: si qvando æstus major est, qvàm ut ferre possimus, confugimus ad æqvas: innixi utribus inflatis, remoto locò, nos inter nos ludibundi flumina perambulamus. Qvid qværis? si te haberemus, ad summam voluptatem nihil deerat. Sed animus tamen meus, qvem tu, credo, cantionibus qvibusdam tibi addixisti, pervolat magna spatia terrarum, &, te insciente, sæpe tecum est. Itaq; non ego prorsus te careo: nam si minùs sermone, adspectu certè tuo fruor, dum de te cogito. Qvod si aliqvando contigerit, ut etiam sermone possim; næ ego collocutionum nostrarum fructum, intervallo temporis amissum, ita repetam, ut ne studiis qvidem parcam tuis. In qvibus audio te post nostrum discessum magna qvædam effecisse. Caput etiam illud literarum tuarum Cardinalis Accoltus mihi ostendit: in qvo ita scriptum est, paginas te circiter octingentas jam impleviſse commentationibus iis, qvas in Pandectarum libros texis. Puto magni laboris esse, magnæq; difficultatis: sed, si considerabis, qvæ tibi præmia proposita sint; vinces omnia. Petis immortalitatem; qvam multi sequntur; tu jam penè manibus apprehensam tenes. Vale.

EPISTOLARUM PAULI MANUTII,

Lib. V.

EPIST. I.

Scripsit hanc, liberalium disciplinarum nomine,

PIO IV. PONTIFICE CREATO.

Per Prosopopœiam inducit Disciplinas liberales gratulantes Pio IV. de Pontificia dignitate, laudatisqve ejus virtutibus ipsum rogantes, ut sui patrocinium suscipere velit.

QUm tibi, Pontifex optime, ad istam dignitatem nuper divinitus elato, qvâ sublimius aut præstantius inter homines nihil est, mortales qvàm plurimi, alii absentes literis & nuncìis, alii coràm vultu & verbis gratulentur: non dubitamus, qvin nos qvoq; altrices tuas, in maximo gratulantium numero ad tuos sanctissimos pedes officiosè projectas, excipias; & eo benignius, qvòd alii, qvia perveniſti ad eum finem, infra qvem ceteri fines sunt, gratulantur; nos autem, qvia scilicet, ut pervenire posses, ipsæ perfecimus. Non est ad gloriam lata qvædam & communis via. Per-

angu-

anguſta fuit ſemita, paucorumqve notata veſtigiis, qvâ ierunt & heroës illi veteres, in Chriſtiana militia fortiſſimi viri; & maximè qvidem omnium, patrum noſtrorum memoriâ, Pius ille Pontifex, cujus tu nomen, in eadem ſede meritò collocatus, & cum nomine virtutem refers. In iſtam olim ſemitam, ferentem ad æternum decus, nos te puerum adhuc, ſed puerum præclara cupientem, manu prehenſum duximus: neve qvis te error avertere, ne qva morari poſſet offenſio, cupidè procedenti qvaſi lumen prætulimus. Confectum jam iter eſt: ultrà, qvo progrediaris, non habes. Inter te, & opificem æternum, cujus miniſtræ nos ſumus, nulla jam interjacent humana. Qvare, qvoniam eò te perduximus, qvo ſine nobis pervenire felicitatis non eſt; & qvando de longâ via ita feſſas eſſe intelligis, ut conſiſtere vix poſſimus; redde præmium benè merentibus: & permitte nobis, ut in tua beneficentia nixæ conqvieſcamus. Nam, ſi tibi Deus Optim. Max. hoc elargitus eſt, ut in omni tua vita, præter rectum & honeſtum, nihil ſpectares: qvis te laudabiliter antea cogitaſſe probaverit, niſi nunc, cùm eſt ad voluntatem adjuncta facultas, id ipſum, qvod cogitaſti, re perficias. Si te ambitio delectaret; proponeremus illa inania, qvibus ii, qvi ex hominum ſermonibus pendent, excitari ſolent: fore, ſi nos jacentes erexeris, ut orbem terrarum tui nominis fama pervagetur: ut oratorum & poëtarum de te prædicantium vocibus aures tuæ perſonent: deniqve, ut imaginem tuarum virtutum, æternis excellentium virorum ſcriptis expreſſam,

tam, ipsa posteritas intuens, cupiat imitari. Speciosa ista videntur: & sunt omnino: sed à splendore tamen veræ laudis absunt. Nam, rectè facere, non ex iis, qvæ consequuntur, sed ipsum per se sapientibus viris amabile videtur. Qvi cùm innocenter sanctèqve vivunt; minimè illi qvidem de præmiis cogitant: ne probitas mercenaria videatur; aut, si cogitant, non ad hæc humana, qvæ sunt locorum & temporum anguſtis sanè terminis circumscripta, oculos demittunt; sed ad illa divina suspicientes, beatam immortalemq; vitam & expetunt unam, & unam expetendam esse persvasum habent. Hoc tu semper institutum probasti: probavit Paulus ille III. omnium seculorum memoriâ celebrandus: qvi de humano genere vel hoc potissimum nomine optimè meritus existimatur, qvia in suo Pontificatu effecit, ut tu Pontifex esse posses: probarunt, hodieq; probant sodales olim aliqvot tui: qvorum alii, non ùt vulgò vocantur, mortui, sed, ùt sapientes propriè loqvuntur, mortali vitâ liberati, nunc incolæ cœli, Deoq; fruentes, non tàm, qvia te Pontificem intuentur, gaudent, qvàm qvia futurum ea prospiciunt, qvæ sunt optimo Pontifice dignissima: alii vero, nondum sanè ab hac terrestri materia discreti, aut simplicem naturam assecuti, sed ita tamen in terris commorantes, ut bonitate simplices animos referant, non dubitamus, qvin tibi nostram causam unanimes commendent; & eò studiosiùs, qvòd, & ipsi alumni nostri cùm sint, officio non solùm laudabili, verùm etiam debito fungentur. Satis jam exagitatæ, satis inopiam & solitu-

litudinem passæ, ab omnibus ferè Principibus neglectæ, supplices ad te confugimus: qvid petentes? honestum otium: à qvo petentes? à Pio Pontifice. Piusne ille noster, cujus animum ac mentem saluberrimis præceptis ad omnem laudem conformavimus atq; effinximus; cui comites in omni ætate, atq; in omni fortuna non solùm jucundæ, sed etiam perhonorificæ fuimus; qvi ut hoc tempore plus, qvam omnes homines prodesse nobis unus possit, id ipsum à nobis habet, isne nos, aliqvam tanti beneficii gratiam reposcentes ab sese rejiciet? non hoc illius natura, non doctrina, non consvetudo feret. Sint sane mutabiles eorum animi, neq; satis in colenda virtute sibi constent: fit enim sæpe, ut voluntates simul cum fortuna commutentur: in te, Pontifex optime, non cadit hujus inconstantiæ suspicio: tua est bene agendi perpetuitas: nihil in vitâ tua varium, nihil flexibile, nihil mistum cognovimus: semper idem tibi, semper directum qviddam placuit, & simplex. Non te rerum humanarum ficta & fucata forma, non illæ, qvibus pleriq; falluntur, insidiosæ voluptatum illecebræ ceperunt. Non tu in tabula picta, inani colorum specie captus, oculis immobilibus hæsisti. Non sericam vestem, non argenteum vas, non aurata tecta paulò cupidiùs adspexisti. Deniqve, ne singula persequamur: cum pleriq; hominum sive gratiâ, sive metu ob officio deducantur: nunqvam te vel ita gratia delenivit, vel ita metus deterruit, ut pietatem religionemq; desereres. Qvid mirum? Virtutum radices non ita leviter bonorum in animis inhærent, ut

ut eas evellere aut commodi spes, aut periculi dubitatio possit. Qvare tuæ consuetudinis & constantiæ memores, non petimus à te, ut aliqvid agas nostrâ causâ, qvod cùm egeris, non consentire cum tuis superioribus factis videatur; sed id petimus: qvod à te non modò ipsa res, sed etiam consuetudo tua postulat: ùt in vetere illo tuarum actionum laudabili cursu pergas. Qvod cùm facies (facturum enim, qvia te novimus, non dubitamus) complecteris nos eodem studiô, qvô ipsæ te aluimus; & in eum locum restitues, unde nos adversariæ nostræ, insciti simul & avaritia, comites perpetuæ, detruserunt. Vale.

CAMILLO PALÆOTTO, BONONIAM.

EPIST. II.

Respondet gratiarum actioni Palæotti, cujus in Epistola qvadam excusatoria honorificam mentionem fecerat; adductaq; causa, cur epistolas suas edendas curârit, rogat, ut sibi ignoscat; qvòd ipsum fortè decoloravit; Et cum sepius ab ipso Bononiam invitatus sit, se eò aliqvando advolaturum, promittit.

Form. Significare, nos illius, ad qvem scribimus, memoriam sanctè conservare: Epistola tua. (A)

Form. Gratum animum polliceri. Ibi. Nihil curasse diligentius, qvâm ut me tui cupidissimum, tuorumq; officiorum si non referenda, qvod opinor vix fieri posse *&c.* (B)

Form. Fateri tenuitatem suam. Nam eo, qvæ tibi vel natura tribuit, *&c.* (C)

(A) Epi-

(A) EPistola tua svaviter, amanter in primis, eadem qve elegantissimè conscripta, memoriam mihi nostræ consvetudinis, tuæq; virtutis & humanitatis, vehementer auxit. Non enim dicam, renovavit: qvi te mihi, & ea, qvibus omnibus carus es, ex animo nunqvam excidisse, verè possim affirmare. Sic enim velim existimes, nihil unqvam, à qvo primùm die mihi cognitus es, aut cogitasse me jucundiùs, (B) aut curasse diligentius, qvàm ut me tui cupidissimum, tuorumq; officiorum, si non referendâ, qvòd opinor fieri vix posse, habendâ tamen gratiâ memorem, atqve gratum agnoscerem. Qvod si sum assecutus, mirificè lætor: sin minùs, delector tamen studio meo; & ipsâ etiam voluntate mihi, utinam tibi qvoqve, satisfacio. Eqvidem, cùm illa, qvæ te video animadvertisse, ad Muretum scripsi, notum ei esse volui judicium de te meum: ipse verò ut ea aliqvando legeres, vel ut omnino qvisqvam, fore non putavi. Postea, cùm à nonnullis, bonas videlicet horas malè collocantibus, describi epistolas meas audirem; veritus, ne qvando mendosiùs etiam impressæ, qvàm à me scriptæ, vel negligentiæ culpâ, vel fortasse etiam improbitatis, (latè enim patet hoc vitium) ederentur; collegi qvas potui; emisi, non qvas probavi maximè, (nam hujus generis inopia certè me ab omni prorsus edendi consilio revocasset,) sed qvas improbavi minimè. Ex eo numero fuit ea, qvæ de te loqvitur, vel potiùs balbutit epistola. (C) Nam ea, qvæ tibi vel natura tribuit, vel adscivit industria, vix aut mihi liceat, aut iis etiam, qvi plurimùm eloqventiâ

valent

valent, non modò literis familiariter scriptis, sed nec elaboratâ oratione complecti. Qvare non ego, mihi ut agas gratias, exspecto, qvòd te tanqvam pictor bonus illustraverim; sed potiùs, qvòd qvasi decoraverim, ut ignoscas, rogo. Qvod qvidem si te probè novi, impetrabo facilè vel à sapientia tua, vel ab humanitate; qvarum altera facit, ut ab una totus virtute pendeas, de sermonibus hominum non labores: altera, ut nihil unqvam à te non modò amici, & familiares, sed nec alieni frustra petant. Amoris in me tui, licet minimè necessaria, perjucunda tamen commemoratio fuit. Cui qvidem amori, vel si absint officia, deberem plurimum: qvid putas, cùm & accesserint jam merita non vulgaria, qvæ nulla mihi ex animo dies evellet, & ea tamen aliis cumulare ita studeas, ut in beneficio dando beneficium videaris accipere? Vel hoc ipsum, qvòd me tam crebrò, tam diligenter, tam amanter Bononiam invitas, qvantam habet significationem benevolentiæ tuæ? qvæ si mihi omnia commoda, omniaqve ornamenta, nihil tamen afferet, mihi crede, se ipsâ carius: nihil, qvo gaudeam, ac triumphem magis. Ad te verò, qvem videre ita cupio, ut cupiditate etiam tua vehementiùs incendar, noli dubitare, qvin advolem, cùm primùm per anni tempus, &, ùt spero, per valetudinem licebit. Nam frigore vires imminutas tepor vernus, & cœli purioris adspectus restituet. Interim, si qvid scire vis de rationibus meis, eo loco sunt, ut mihi, in summi animi æqvitate, abesse potiùs multa, qvàm deesse videantur. Vigemus amicis;

cis: qvô nihil optabilius, exceptâ sapientia, & ego existimo, & tu qvoqve, ùt video, mecum sentis. Oculis, qvibus ægrè diu fuit, nunc qvidem utor optimè, viribus autem corporis non pessimè. Reliqva in congressum nostrum reservabo. Vale, & propinqvo tuo Francisco Bononietto salutem à me plurimam. Venetiis.

OCTAVIANO FERRARIO, MEDIOLAMUM.

EPIST. III.

Resp. Consolatoriæ Epistolæ Ferrarii, & illi dolorem sibi ex filii obitu acceptum levari scribit. Deinde optat qvotidiana ejus consvetudine uti: qvod qvando non licet, literis se cum ipso collocuturum promittit. Denique hortatur ipsum, ut in scribendo totus hæreat, & scripta sua tandem in lucem edat.

Form. Locum dandi alicujus admonitioni vel petitioni. An ego te non audiam? *&c.* (A)

Form. Optare alicui prosperè. Nunc, si est, ut optimè valeas *&c.* (B)

AMor inter nos mutuus, meaq; de tua virtute opinio facit, ut mihi nihil esse committendum putem, qvod à tuis consiliis abhorreat. Itaqve, licet dolorem meum, ex interitu filii susceptum, valdè jam & ratio ipsa, & communis conditionis recordatio levaret; vix tamen credas, qvantum profecerint literæ tuæ. (A) An ego te non audiam, cùm ad animi vocor æqvitatem? te inqvam, cujus mihi grata semper voluntas, gravis auctoritas & fuit, & esse

esse debet: qvem dilexi unicè à prima adolescentia, qvem respondere in amore, ac studio facilè perspexi. Qvod utinam, qvam diu sejuncti fuimus, unà vivere licuisset: essem omnino tua consuetudine melior, & doctior: tu autem ex officiis meis fortasse aliqvam, ex benevolentiâ certè in te mea non dubito, qvin maximam voluptatem, lætitiamqve cepisses. Qvod qvando non contigit; usus essem, pro mea qvidem parte, literarum bono; nisi me non tam occupatio mea, qvàm tuæ valetudinis infirmitas, cui laborem imponi meâ causâ nolui, à scribendo retardasset. (B) Nunc, si est, ut optimè valeas; qvod ut credam, adducor non solùm crebritate, verùm etiam subtilitate, atqve elegantiâ epistolarum tuarum; gaudeo: qvodqve habes ex animi tui sententia, id ut perenne, propriumq; sit, vehementer cupio. Literis, ut amissi temporis usura sarciatur, colloqvemur interdum. Nec deerit argumentum, si tibi placuerit idem, qvod mihi, συμφιλολογεῖν de studiis nostris, qvibus uberius nihil est. Atq; eqvidem, (ut à privatis ad publica divertam) qvando χαρακτὴρ tuus ejusmodi est, ut ab recentiorum philosophorum inqvinato sermone longissimè distet: auctor tibi sum, ut in scribendo totus hæreas. Nimiùm diu comprimis ea, qvæ selecta habes; qvæ scio qvàm sint præclara, in omni genere doctrinæ. Ede, & auge utilitatem nostram cum gloria tua. Nam hic liber, qvi propediem exibit, de Disciplina encyclo, studia multorum accendet, qvibus à te satisfieri æqvum est. Qvam verò in ejus libri editione diligentiam exigis, ea præstabi-

stabitur, qvatenus licebit. Totum enim in uno me positum non esse, aut jam scis, aut mihi velim credas affirmanti. Vale. Venetiis.

LÆVINO TORRENTIO, LEODIUM.

EPIST. IV.

Primò dicit permolestum sibi fuisse, qvod ad se non venerit, sed molestiam illam abstersisse eleganter scriptam ejus Epistolam.

2. Oden ejus in Pium IV. P M. laudat & ad facultatem poëticam ipsum hortatur.

3. De Carisio edendo operam suam Cauchis fratribus promittit, ut & de Censorino & Prudentio.

Form. Rogo me ames. Qvod reliqvum est. (A)

SAnè permolestum mihi, pro meâ summa erga te benevolentia, contigit, qvod tuorum comitum, ùt ais, importunitate factum sit, ut veniendi ad nos susceptum antea consilium deposueris. Nihil enim potest esse jucundius, qvàm tui svavitatem sermonis, tuamqve mirificam tum humanitatem, tum etiam doctrinam ex intervallo regustare. Sed hujus incommodi molestiam ferè abstersit omnem scripta peramanter, atq; adeò pereleganter epistola túa, qvam mihi heri reddidit familiaris meus, idemq; tui studiosissimus, planè juvenis eruditus, Andreas Sylvius. Oda verò in Pium Pontificem, qvam epistolæ adjunxeras, ita mihi placuit, nihil ut unqvam legerim libentiùs, æqvè libenter pauca. Omnino, mi Lævine, cùm ad omnem excellenti-

am, tum verò ad hoc scriptorum genus ingeniô te natura finxit aptissimo. Itaq; nosce tua bona, poëticamq; facultatem, si tuæ gloriæ consultum vis, ne dimitte. Carisium qvo die primum vidi, ut ederetur, optavi. Idqve planè Cauchis adolescentibus, consilio tuo commotis, & communium studiorum, & sanè ipsorum etiam causâ gaudeo. Aliqvid enim ad eos ex paterna laude redundabit, & aperietur fortasse aditus ad gratiam principis viri, misso, ut mos est, librô cum eorum epistolâ. Putabam fore, ut Romæ liber ederetur. Si Venetiis malunt: nostra, qvæcunq; est, industria non deerit: qva conditione, & qvo tempore, scripsi ad optimum virum, Octavium Panthagathum. De Censorino & Prudentio mox videbimus. Non enim tam facilè, qvod præstare non possim, soleo promittere, qvàm, cùm promisi, diligenter præstare. Premor autem oneribus multis, qvæ sustinere cogor in aliqvot menses: adjicere si velim, nec honor meus, nec res domestica patietur. (A) Qvod reliqvum est, amorem in me tuum cupio conserves: qvod erit humanitatis. Ego, qvod erit officii, te colam diligentissimè; deq; ingenio tuo, de doctrina, de probitate qvid sentiam, ut ipse aliqvando intelligas, qvod hîc, mihi crede, jam intelligunt multi, operam dabo. Vale, & Cauchos fratres, moribus, ac literis ornatos, meo nomine salvere plurimùm jube. Venetiis.

PE-

PETRO MISCOVIO.

EPIST. V.

Excusat se de gratiis serò per literas actis, & quibus causis adductus scribat, exponit. 2. Excusationem silentii à Miscovio allatam, non se expectasse scribit. 3. Gratulatur ipsi de valetudine recuperata. 4. Hortatur ipsum ad tolerantiam laborum pro patria susceptorum, quam consvetudini librorum esse præferendam docet.

Form. hortandi. Qvid ego te doceam, nihil, qvod adhonestum pertineat, ignorantem? (A)

Form. Excusandi literarum prolixitatem: Qvo in munere versanti, *&c.* (B)

QVod à me postulari videbatur, ut tibi, de studiis meis non pessimè existimanti, (sic enim audiebam) per literas gratias agerem, in eo dedi operam, ne desiderari posset officium meum. Atq; eqvidem restiti nonnihil à principio cupiditati meæ, veritus, ne prudentis hominis non esset, ista dignitate, ista virtute virum, cui nullum à publico munere tempus vacet, appellare literis: sed meam cunctationem viri optimi, atq; eruditissimi, Andreæ Patricii, omnia de humanitate tua pollicentis, discussit oratio. Scripsi igitur ad te, non, ut tibi rescribendi onus imponerem, sed, ut, qvoad possem, testificarer observantiam meam. Qvod si sum assecutus, &, si tu, qvanti faciam judicium de me tuum, intelligis; ita lætor, qvasi bona omnia contigerint, & cum hac mea voluptate vix puto voluptatem ul-

lam posse conferri. Quòd autem silentium etiam tuum excusas, & ea commemoras, quæ te à scribendo antea retardarunt: hoc equidem à te nunquam exspectavi; à quo libenter legi meas literas, de quo dubitare mihi non licuit, satis superq; habui; sed quo exspectavi minùs, eò scilicet magis agnosco, quæ constanti omnium sermone prædicatur, benignitatem tuam. Gratulor autem, ùt debeo vehementer, & te à febri convaluisse, quâ laborantem in reditu suo Patricius offendit; & exitiali illâ lue provinciam esse liberatam. Occupationes tuas puto, & audio gravissimas esse; sed leviores fiunt gloriæ fructu, quem tu quotidie percipis, tuis debitum virtutibus, amplissimum. Porrò, quàm sit homine dignum, de multis, ac, si fieri possit, de toto hominum genere bene mereri, (A) quid ego te doceam, nihil, quod ad honestum pertineat ignorantem, quem ita semper ad decus natura impellit, ut omnia tamen consilia, omnes actiones ratio, & sapientia moderetur? Quare, istis curis, istis laboribus, quos esse tuæ laudis segetem, ac materiam video, ignosce, obsecro, Miscovi humanissime, si te serò admodum cupio liberari. Nam, quod ad studia literarum attinet, id est, ad eum animi cultum, unde oritur artium ingenuarum præclara cognitio: primùm, cùm tua habeas jam, quæ petuntur à literis, & cùm eloquentiâ doctrinâq; ex superiorum temporum vigiliis excellas; non intelligo valde esse, cur labores: deinde, tantine putas librorum consuetudinem, aut ullum cum ulla doctrina commercium, quanti difficillimis temporibus, in sum-

summa bonorum, & sapientium civium inopia, requirenti consilium, operamq; tuam patriæ subvenire? (B) Quo in munere versanti, non committam, ut longiore molestus, epistolâ sim: & hæc ipsa, fortasse nimis multa, amori largieris in te meo: cui dum obsequor, teque colloqui præsentem videor, oblitus occupationis tuæ, memor humanitatis, provectus imprudenter sum. Vale. Venetiis.

ANDREÆ PATRICIO.

EPIST. VI.

1. Lætatur se à Patricio literas accepisse, & 2. vicissim illi suum in rescribendo officium pollicetur: quod hactenus ob causas dilatum excusat. 3. Gaudet se ab illo amari. 4. Gratias illi agit, quòd se in Moscovii amicitiam perduxerit.

Form. Agendi gratias. Tibi autem *&c.* gratias tuo fortasse merito pares habere possum *&c.* (A)

MI Patricii, non te fugit, morosos esse, qui amant. Quo me vitio laborare non inficior. Adspectu, & consuetudine præsentium amicorum carere non possum. Si absunt, igniculum desiderii ita non fero, ut literas ab iis exigam potiùs, quàm exspectem. Hinc illæ interdum, vacuæ prorsus iracundiâ, quæ abest à natura mea, amoris plenissimæ querelæ. De quibus audisse te aliquid gaudeo: ut ego quoque in querela tua mutuam erga me benevolentiam, quâ nihil habeo carius, agnoscerem. Quod equidem lætari te quoq; arbitror. Quæ enim humanitas tua est, certè totus abesse non vis, nec

ejusmodi tuum in discessu consilium videbatur, nec nos, qui longinquum memoriâ colimus, diligimus, laudamus, digni videmur, quibus nullam suavitatis ingeniiq; tui partem restituas. Officium autem in rescribendo meum, non committam, ut desideres; nec desiderari antea passus essem, si literas tuas, à me vehementer expetitas, quas misisse te significas, accepissem. Provocassem etiam mihi crede, pro meo in te singulari studio, si vacassem, & si vacare te ab iis negotiis existimassem, quorum onera gravissima, vigilantibus, & magna præditis virtute viris, id est, tui similimis, imponi æquum est. Quod ais, omnia te conferre ad dignitatem meam; dupliciter gaudeo, & quòd me ames, (quanquam hoc antea perspexeram,) & quòd id ex officiis erga me tuis homines intelligant: idque non mediocriter ad existimationem meam statuo pertinere. Miscovii quidem in benevolentia, cujus habeo testem, refertam humanitatis, elegantissimam epistolam, scito me omnia ponere: eamq; ùt video summo hominis beneficiò consecutus, ita triumpho, quasi nihil jam adversi à virtutis adversariâ fortunâ possit evenire. (A) Tibi autem, qui mihi ad amicitiam viri tanti aditum patefecisti, gratias tuo fortasse merito pares habere possum, & habeo sanè quàm maximas, referre certè nullo modo possum, ac ne agere quidem: quod tamen humanitas tua non ferret; & si ferret, quæ mihi unquam verba, ab intimo licet artificio deprompta, satisfacerent? Vale. Venetiis.

STA-

STANISLAO VOGELVETRIO, PATAVIUM.

EPIST. VII.

Querela de non acceptis literis ab amico, ad quem quaternas scripserit. 2. Respondet gratiarum actioni & laudationi Vogelvetrii, quem cur amet, subjungit.

Form. Laudem non agnoscere. In quo probari. (A)

ME quoque torquet exspectatio † literarum; de quo mihi, me quidem invitô, tamen adversa quædam amor fingit. Nec enim adduci possum, ut oblitum nostri, aut parùm in colendo officio diligentem existimem; qui & humanitate omnes vincat, & quaternas jam à me literas acceperit. Utinam valeat, atq; in illis negotiorum fluctibus utatur secundis ventis: reliqua feremus facilè, eademque absenti benevolentia perpetuò præstabitur. Cùm literas Italicas meas ad te misi, nihil scripsi, ne tibi rescribendi, præsertim de re minima, onus imponerem. At tu, gratiarum actione non contentus, etiam me laudandum putasti, & iis quidem verbis, nihil ut esse possit illustrius. (A) In quo probavi vehementer elegantiam ingenii tui: in judicio, nisi me ipse diligam, desiderare aliquid cogor. Aliquid autem? planè hoc totum, mi Vogelvetri, humanitati tuæ tribuo; de qua tamen ipsâ valdè te amo: ac velim existimes, te mihi hærere in animo, tum tuâ sanè causâ, cui neminem probitate, ingenio, studio bonarum artium antepono; tum quòd in uno

te nonnullam Patricii, ac † etiam imaginem videor agnoscere. Idq; tibi aliqvando fortasse, Minervâ, ùt spero, non invitâ probabo. Vale. Venetiis.

DIONYSIO LAMBINO.

EPIST. VIII.

Scribit, gratas sibi fuisse Lambini literas, eumq; hortatur, ut industriam, qvam in Aristotelis libris Moralibus posuit, ad alia qvoq; conferat. 2. Rogat ipsum, ut sibi Card. Turnonii gratiam conciliet.

Form. optandi felix iter. Si navigatis in Galliam.(A)

NOli existimare, mi Lambine, cùm fructu consuetudinis tuæ caream, qvidqvam mihi tuis epistolis esse jucundius. Facit hoc sanè, qvi mutuus inter nos amor est, ortus à meo de tuis virtutibus judicio; tuâ verò de meis ad eandem laudem conatibus opinione, fortasse non nullâ: sed scriptorum etiam tuorum subtilitate, & elegantiâ mirificè delector. Vel hæc, qvam accepi Idibus Junii raptim à te, ut video, exarata epistola, qvàm loqvitur purè, qvàm nullis illustrata pigmentis, nullo, ut tu scribis, fuco, tamen nitet. Itaq; nihil unqvam legi libentiùs. Qvæsieram autem per literas à sororis meæ filio, Julio Catone, ecqvid parturiret ingenium tuum. Non tam, ut meæ, qvæ summa est, qvàm ut eorum, qvi ad me adeunt qvotidie, cupiditati satisfacerem. Scito enim, admirabilem hîc esse qvandam de studiis tuis opinionem, cum è sermonibus meis, eximia sæpè tua cum laude habitis, tum verò ex illa præstanti industria, qvam in convertendis Ari-

Aristotelis de morali philosophia libris ita collocasti non modo, ut eorum, de qvibus diu bona hominum existimatio fuit, errata patefaceres; sed ut ipse maximam & judicii, & mihi qvidem, ût videtur, qvi ea cum Græcis diligentissimè contuli, eloqventiæ laudem ferres. Qvod à te institutum retineri, & eandem operam ad reliqva conferri, si qvis est, qvi valdè cupiat, ac te etiam tacitâ sæpe cogitatione hortetur, is ego sum. Publica, fateor, me movet utilitas, cui te video Græcæ, ac Latinæ lingvæ peritissimum, præterea instructum iis artibus, à qvibus perfecta intelligendi, ac judicandi ratio manat, unum in primis posse consulere: sed mehercule etiam gloriæ tuæ pro amicitia nostra vehementer faveo. Vides enim profectò, (qvid enim, qvod ego videam, tu non perspicis?) paucos omnino ex iis, qvi populari fama celebrantur, sine exceptione posse laudari, & hac tanta qvotidie exeuntium librorum copiâ impediri potiùs, qvàm adjuvari studia nostra. Qvare susci pe onus pro tua parte. Nervos novimus industriæ tuæ: qvos si contendere volueris, nihil est, qvod sustinere, ac perferre non possis. Nam de Lucretio, svadeo eqvidem, ut absolvas: poëta est egregius, vel Ciceronis nostri testimonio: & in eo maximam à multis, nec à me ipso minimam gratiam inibis: sed voco te libentiùs ad illa præstantiora: nec tu meum consilium, atq; etiam studium, si modo tibi aut sapere aliqvid, aut vellè tuâ causâ videor, debes in tua laude contemnere. (A) Si navigatis in Galliam, qvod à te scriptum confirmant multi, opto vobis felicem cursum

sum, & secunda omnia: teq; rogo, nisi me ineptum esse censes, & nimis impudenter petere, ut Cardinali Turnonio, Principi sapientissimo, optimarum artium patrono, me in gratiam ponas: qvem hîc honoris gratiâ salutare, cùm maxime vellem, per invaletudinem nunqvam licuit. Sigonius, planè, ùt ais, vir doctissimus, addas licet humanissimus, cui tu in transverso literarum tuarum versiculo salutem adscripsisti, valde gaudet, amari se, ac laudari à te, de qvo ipse honorificè in primis loqvitur, & sentit. Is te resalutat amantissimè, euntiq; in Galliam, incolumitatem, & reditum precatur. Vale. Venetiis.

JULIO POGIANO, ROMAM.

EPIST. IX.

Responsio ad Laudatoriam, in qva 1. exponis causas, cur honorificè de ipso sentiat & loqvatur, videlicet ob excellentem ejus eloqventiam, & honorificam de se opinionem. 2. Laudem eloqventiæ sibi à Pogiano tributam non agnoscit, sed eam in ipsum Pogianum conjicit, cum qvo ne ausit qvidem in hoc certamine contendere.

QVàm libenter, & qvàm sæpe de te cogitem, Pogiane doctissime, conscius ipse mihi sum: mea verò qvæ sit, ac fuerit semper, ubi temporis ratio tulit, de tuis virtutibus oratio, cùm honestos, & graves viros, iis, qvibus ipse excellis, doctrinis excultos, habeam testes, non conabor tibi literis exponere. Nec tamen aut amori erga te meo, qvem fate-

fateor impetrare à me posse omnia, tribuere qvidqvam in te laudando velim existimes. Tua me scripta, in qvibus excellentem qvandam eloqventiæ præstantiam elucere vidi, maximè verò præclara illa pro illustri Rhodiorum Eqvitum societate ad Pontificem habita oratio, qvam efferre laudibus nunqvam desino, in hanc sententiam facilè perduxit. Accedit humanitas, probitas, opinio de me tua, nec ea significata obscurè, sed æternis ingenii tui testata atqve expressa monumentis: ut, si nihil ipse, contrà qvàm adhuc laboravi, memoriâ dignum præstem, me tamen ex testimonio tuo posteritas ignorare non possit; sin aliqvid à me sum, tibi tamen debeam plurimùm, cujus ad eam, qvæcunq; de me est, existimationem accedat auctoritas. Qvod si te antea, naturali qvâdam animi mei propensione, & communi erga omnes, qvi optimis in artibus cum laude versantur, officiô, non mediocriter diligèbam: nunc, propria cùm addantur in me merita, nisi totus amore flagrem, ac studiò tui, nisi, qvam excelso in loco sitam video, illustrari etiam magis omnium præconiis tuam laudem exoptem; malam referre gratram literis iis, qvarum consvetudine ad humanitatem excolimur, & omnino hominem ex homine videar exsuere. Qvanqvam, mi Pogiane, non ita mei dissimilis esse possum, ut agnoscam ea, qvæ tu in illâ omnium elegantissimâ epistolâ, ad eximiæ tum indolis, tum etiam virtutis adolescentem Octavianum Magium proximè scriptâ, verbis amplissimis in me contulisti. Scilicet ego in eloqventia magnus, qvis, & qva in arte? illâ qvidem,

ut

ùt res indicat, omnium difficillimâ; ipse autem vix mediocri instructus ingeniô, otiô certè, sine qvo ne summis qvidem ingeniis valde proficitur, nunqvam abundans, adversâ etiam per annos multos modò valetudine, modò fortunâ vexatus. Sed abfuerit nihil eorum, qvæ laudem in aliena lingva cupientibus reqviruntur: me tamen vobis, qvi Romæ in ista luce, summa omnium virtutum ingeniorumq; præstantia vivitis, qvi pedem qvotidiè ponitis in vestigia clarissimorum virorum, qvi spiritum ducitis è Romano illo cœlo, seminibus eloqventiæ referto, anteponendum esse nunqvam duxi; fortasse, ut comparari aliqvando possem, operam dedi. Sed hoc qvidem nondum contigit; ac vereor; ut contingat unqvam. Me enim in hoc studio, qvô mirificè delectabar adolescens, rei familiaris occupatio non sinit esse diligentem. Ætas etiam, nescio qvo modo gloriæ cupiditatem, si qva fuit in nobis, videtur exstingvere: qvâ sublatâ, non minimum langvescit industria. Contra vobis, ab omni cura expeditis, tibi præsertim, non ætate minùs, qvàm ingeniô florenti, qvotidianum esse cum libris usum, & cum omni liberali doctrina, non ignoro. Qvanti verò illud est, qvô qvidem nos caremus, locorum admonitu excitari ad decus? qvanti etiam illud, haurire aliqvid posse omnibus horis ex mutuo sermone, præcipuè verò ex perennibus illis, uberrimisq; optimarum scientiarum fontibus, Octavio Panthagatho, & Gulielmo Sirletto, familiarissimis tuis: à qvibus, ùt opinor, æqvè diligimur: sed æqvè tamen eorum doctrinâ frui, per intervalla locorum mihi non licet.

Itaq;

Itaq; tot, ac tantis, qvæ ſupetunt vobis, deſtitutus adjumentis, tantum abeſt, ut glorioſi palmam certaminis audeam ſperare, ut haſtas etiam non invitus abjiciam; qvi præſertim facilè futurum intelligam, ut ad te, qvem planè in oculis fero, & à qvo mutuam mihi tribui voluntatem libenter credo, primæ partes in cognitione, & uſu Romanæ lingvæ omnium judiciô deferantur. Qvare primùm illud te rogo, ne mihi tuâ prædicatione, qvæ tota, ùt ego interpretor, ab amore proficiſcitur, plus oneris imponas, qvàm mea ſuſtinere poſſit infirmitas: exiſtimesq; non minùs me moleſtè ferre, ſi qvando mihi falſa laus affingitur, qvàm nonnullos, cùm vera detrahitur: deinde, ſi ego abs te in mea laude diſſentio, ne propterea meum in tuâ judicium improbes: qvod, ne ſiqvidem ipſe prorſus à me diſſentias, immutare, cùm multis jam patefecerim, aut velim, aut poſſim. Vale, & Sirletto noſtro, ac Panthagatho meo, vel potiùs utriq; noſtro, dic ſalutem meis verbis plurimam. Venetiis.

HORATIO URSINO, ROMAM.

EPIST. X.

Reſponſio ad conciliatoriam, qvâ primùm gratulatur ſibi de amicitia Urſini, & epiſtolam ejus ad ſe ſcriptam laudat. Deinde lætatur, Urſinum nobiliſſimâ familiâ ortum, unam virtutem amplecti.

UT video, Magius, amores utriusq; noſtrûm, optimus adoleſcens, nec literis tantùm, ſed hu-

ma-

manitate etiam perpolitus, exqvisitum ad conglutinandas amicitias tenet artificium. Nam ille me primùm, jam antea commotum eâ famâ, qvæ de tuis laudibus percrebuerat, suo testimonio vehementer in tui benevolentiam impulit: deinde, ut integrum officii sui fructum ferres, te qvoq; de meo erga te studio literis admonendum putavit. Qvod etsi præter opinionem meam potiùs, qvam contra voluntatem, factum esse confiteor: tamen eo mihi nomine abs te gratias agi molestè ferrem, nisi epistola tua, distincta luminibus ingenii, index amoris in me tui, qvô eqvidem antiqvius habeo nihil, omnes animi mei partes ea voluptate perfunderet, ut molestiæ locus esse non possit. Aderat, cùm eam attulit Magius, legitq; me concedente, semel & iterum Carolus Sigonius, qvi qvantum judiciô, & eloqventia valeat, neq; tu, nec, ùt opinor, jam ignorat qvisqvam. Is ornavit ingenium tuum divinis laudibus, me prorsus assentiente: nam qvid, Magio, dicam? qvi te, qvalem ipse antea in omni sermone prædicaverat, talem vobis videri, mirabiliter ob eximiam in te benevolentiam, fortasse etiam judicii sui causâ, lætabatur. Nimirum habet hoc nobilitas, ut, qvamcunq; se in partem dederit, insigne qviddam præstet. Sed qvô libentius de spatio curriculoq; majorum plerique deflectunt, eò præstantiorem apud omnes homines & gloriam & gratiam, si qvi cursum tenent, assequntur. Qvod tibi gaudeo contigisse: qvi, cùm multis tum naturæ, tum fortunæ donis abundares, natus in civitate, orbis terrarum olim dominâ, nunc religionis, pietatis, justi-

justitiæ domiciliô; ortus ex ea familia, cujus nomen præclaris partum & studiis, & factis, multis jam seculis per omnes gentes fama disseminavit: tamen, qvasi hæc ad te non pertineant, id agis, ut una te nobilitet virtus, & qvantum honestatis à majoribus tuis accepisti, tantum ipse posteris relinqvas. Qvod etsi difficillimum est, præsertim his temporibus, cùm adversentur multa, &, ut vides, ad inania qvædam, neglecta solidâ gloriâ, mores incubuerint: tamen à te, freti prudentiâ & ingeniô tuô, freti etiam constantiâ, summa omnia exspectamus. Qvæ porrò laudabilior industria, qvæ cura præstantior, qvàm qvæ in animi cultu consumitur? cùm scilicet id qværimus, ne qvando impendentem fortunæ vim, optimarum artium præsidiô muniti, pertimescamus; ne jactemur huc, illuc, vel cupiditate, vel metu: sed in tantis vitæ qvasi tempestatibus tranqvillissimo, ac jucundissimo literarum portu perfruamur? qvæ qvi non videt, nec de adipiscenda virtute, qvæ rationis absolutio est, assiduè cogitat; næ ille eo ipso rationis munere, qvo uno cæteris præstamus animantibus, indignus est. Qvod qvidem semper sensi: licèt, qvò contendi, non pervenerim. Te & sentire idem, & posse consequi, qvod vis, intelligo. Qvod si de præmiis cogitas, qvæ proposita sint, vides: æternum decus, & bonorũ amor; qvem debes omnibus rebus anteponere. Eqvidem in eo summam felicitatem ab adolescentia constitui. Ex qvo qvanti faciam amicitiam tuam, qvem nemini aut probitate, aut studiô liberalium doctrinarum audio concedere, facilè potes intelligere:

idq;

idq; ut re ipsâ aliqvando experiaris, operam dabo. Vale, & Julium Pogianum, familiarem tuum, præstantem omni laude virum, ac Hieronymum Lippomanum, eximia spe summæ virtutis adolescentem, salutes, rogo, meis verbis diligenter. Venetiis.

OCTAVIANO FERRARIO, MEDIOLANUM.

EPIST. XI.

Excusat se de mora in excudendo libro, eamq; rejicit in pituitam, qvâ laboravit. Deinde conqveritur de avaritia bibliopolæ Mediolanensis &c.

NOli putare, me tantum amici tui τῶ φιλήματι tribuisse, ut adhuc rem ducerem. Nam, etsi de illius ingenio, doctrinaq; semper optimè sensi, idq; primùm literarum tuarum testimonio, pòst etiam judicio meo commotus: tamen de tuo libro ita judico, nihil fieri posse non modò eruditius, in qvo meam de studiis tuis opinionem æqvavit industria tua, verùm etiam elegantius: qvod ab excellentibus in philosophia viris, qvalem te jam omnes prædicant, hodie non admodum exspectatur. Qvid igitur obstitit, cvr non aggrederer? causam si qværis; de qvâ te, si res pateretur, celatum vellem: pituita, repentè commota, satis per se molesta, mox etiam, cùm tussis accessisset periculosa, moram injecit: biduum jacui, medicô non admissô, accuratâ victûs ratione contentus: in qva tu qvantum ponas, ignoro; ego utilissimam experior. Nunc, qvæ supersunt morbi reliqviæ, do operam, ut eas depellam

lam. Qvod eâdem, ùt ſpero, abſtinentiâ conſeqvar. Filio jam, & domeſticis omnibus rectè eſt. Liber tuus, qvemadmodum ex paginis, & diebus rationem duco, video fore, ut Idibus Sext. aut planè abſolutus ab operariis noſtris, aut inibi ſit. Itaq; velim ſignifices, qvot ad te ejus exempla, & cui dari velis. Chartam probabis: habet enim amplitudinem, & elegantiam; ſpero, item reliqva. Mitterem Joh. Antonio, bibliopolæ veſtro; ſed homo eſt, qvod inter nos dictum ſit, paulò ad rem attentior, qvàm vellem. Niſi remittet aliqvid de ſua conſvetudine, vix puto inter nos poſſe convenire. Veruntamen qvid adj nos? utamur aliô, qvi ſe præbeat æqviorem in tranſigendo, deinde bonum virum in fide præſtanda. Qvod totum prudentiæ tuæ committo. Vale. Venetiis.

EIDEM, MEDIOLANUM.

EPIST. XII.

Primò affert cauſas, cur non cupiat à Ferrario crebras literas. Deinde negat ejus librum priùs poſſe typis mandari, qvàm redeat officinæ curator. Tertiò qveritur de morbo filii, & Ferrarium felicem ducit, qvi philoſophiæ beneficiis à tot curis ſit liberatus.

EGo verò nihil minùs volo, qvàm, niſi vacas, à te reſponderi. Nam, etſi mirificè delector ingeniô tuô, cujus imaginem in iis, qvæ à te ſcribuntur, epiſtolis magnâ ſæpe cum animi mei jucunditate contemplor: tamen, ne me putes in ea hæreſi eſſe, qvæ ad ſe ipſam refert omnia, aliorum causâ

minimùm laborat. Cogito valetudinem tuam: cogito maximarum doctrinarum ſtudia: amicis, & propinqvis horæ dandæ ſunt: invitat humanitas; pietas cogit: cur ego te iſta velim deſerere tam laudabilia tamqve neceſſaria, ſtudium ut expleas meum crebritate literarum, qvod expleri tamen nullo modô poteſt? De libro, teneo jam qvid velis. Typis qvos probas, & charta qvâ vis, utemur. Inititum fieri ante, qvàm redierit is, qvi totam officinæ curam ſuſtinet, omnino vix poteſt. Erat autem in Forum Julii, ſui negotii causâ, profectus. Ejus porrò diligentiam cùm in charta, tum in toto hoc genere utilem, & neceſſariam eſſe, ſæpe ſum expertus. Qvò æqviùs hoc, qvidqvid ſpatii interponitur, uterq; noſtrûm ferre debet. Atq; etiam ne qvid celem, paulò eram conturbatior, ægrotante filio, qvem de tribus unum habeo reliqvum. O mi Ferrari, qvantam tu debes philoſophiæ gratiam, qvæ te à tot curis ad jucundiſſimum vitæ genus abduxit! qvanqvam fortaſſe hoc melius; & in agendo poſitam eſſe virtutem, ne tui qvidem Peripatetici negant. Sed hæc omitto. In pecuniæ permutatione agnoſco tuam in me benevolentiam, penè dixi liberalitatem. Qvod ſi arcæ meæ conſultum æqvè omnes vellent; qvantò mecum ageretur commodiùs? Nunc mihi crede, ſecus eſt, nec me tamen reclamante. Vale. Cruceio, & Capræ ſalutem plurimam. Venetiis.

JOH.

JOH. ANTONIO TURONEO, URBINUM.

EPIST. XIII.

Ant. Turoneum, ob vim vi repulsam, patriâ carentem, consolatur, adductis paucis argumentis, quæ ad hominis in exilio degentis dolorem leniendum facere possint. Deinde refutat ea, quæ à specie Urbis, à consvetudine amicorum, ab utilitate aliqva peti posse videbantur. Tertiò si patriâ carere neqveat, spem ipsi facit fore, ut operâ amicorum possit restitui; inter qvos recenset Rosarium qvendam, qvi plurimum possit. Calvinum excusat propter senium: Se propterea, qvòd publica parùm frequentet: testimonium verò eruditionis & eloqventiæ se ipsi perhibiturum pollicetur.

SI qvisqvam est, qvi ex adversa bonorum virorum fortuna solicitudinem capiat; eorumqve mederi studeat incommodis: eum ego me esse profiteor. Sed, cùm ad opem ferendam nihil mihi suppetere præter voluntatem intelligo: sic afficior, ut me ipsô miserius esse nihil putem. Qvod si antea sensi, certè id in tuo potissimùm casu mihi contigisse, nisi vel meam consvetudinem ignoras, vel ignorari à me tuum ingenium, tuam probitatem, putas, debes opinari. Qvamqvam cùm recordor, & eadem sæpè accidisse optimis viris, & ubiq; virtutem honestissimum habere domicilium: nec fieri unqvam, ut calamitas etiam gloriæ sit; nec ullum in te dedecus, aut facinus turpe conferri: cùm hoc æternâ naturæ lege, unde humanæ leges,

tamqvam ex archetypo, describuntur, sancitum esse videatur, ut vim vi liceat repellere, & sua cuiqve incolumitas prima sit: hæc inqvam, memoriâ, & cogitatione dum pertracto; id qvod, qvasi solatium qværens, sæpe libenterqve facio; lenitur aliqvantùm doloris acerbitas, atqve etiam tibi, qvantum licet, in medio dolore gratulor: cui, nisi loci mutatio gravis est, cetera, qvæ videris amisisse, leviter ferenda esse censeo. In loco autem qvid torqveat? species urbis? at ea, qvæ ad oculos pertinent, nemo unqvam sapiens neq; in malis, neqve in bonis esse duxit: & ego, qvi longè à sapientia disto, hæc tamen prorsus non amo inania; solitudine fruor, qvantùm possum: in hac mihi vivo, & DEO; qvod unum est beatè vivere. Amicorum consvetudo? qvid? absentes non diliguntur? non, si volumus, & qvoties volumus, literarum sermone conjungimur? Eqvidem, postea qvàm discessisti, nescio qvô modô crebriùs etiam, qvàm cùm aderas, de te soleo cogitare? & mihi scito amicorum spectra, præsertim qvos virtus, & integritas commendat, esse jucundissima. Sin utilitatem aliqvam, tuis necessariam rationibus, cogitas; non dubito, qvin istuc, qvicqvid jacturæ factum est, brevi majoribus etiam commodis resarciatur. Nec verò, si me audies, ùtilitatem ullam cum ea doctrina conferes, qvam tu auges qvotidie in isto otio, neminem curans, præter te ipsum: qvod hîc certè non contigit. Magnum est, studia posse colere qvæ velis, & qvantùm velis; tibi uni sementem jacere, tibi uni fructum colligere. At qvem fructum? cui

nec

nec imber immoderatus, nec æstus, nec ulla calamitas noceat, nec svavitatem detrahat, sed augeat, qvæ cætera omnia corrumpit, dies. Qvod si tibi, multorum philosophorum exemplô, vitam in patria ducere, ob doctorum hominum paucitatem, non perplacet: aut dubitas, qvin de ista curâ nos amici tui, si qvid noster in te amor, si qvid pietas valebit, aliqvando liberemus? qvod tamen ejusmodi est, ut non tam lætandum videatur, cùm evenerit, qvàm non dolendum, si serô, vel si etiam nunqvam eveniat. Nos enim in delectu rerum sæpè fallimur: errore mentis tamqvam salutaria, qvæ noxia sunt, adsciscimus: unus eventa rerum prospicit; unus igitur nostra consilia gubernet, ac moderetur Deus. Cui si te totum permiseris; si minimùm in te ipso, in eo posueris omnia: mihi crede, ex istis molestiarum fluctibus emerges; nihilqve posthac aut mali metues, aut boni frustra cupies: multa etiam, qvæ non cupies, nullis accersita laboribus, aut studiis, ad te suâ sponte confluent. Ego tibi operâ, curâ, diligentiâ, qvæ nunqvam in me desiderabis, fortasse etiam consiliô prodesse aliqvid possum: Rasarius, qvi publicam personam gerit, etiam auctoritate adjuvabit; qvem licet existimem, qvantum valet, tantum tuâ causâ velle; tamen svadeo, literis eum interdum appelles, rogesq; ut respiciat fortunas tuas, & aliqvid eis, atq; adeo multum cogitationis impertiat. Calvino, optimo viro, mihiq: vetere benevolentiâ conjunctissimo, amoris, & studii erga te sum ipse optimus testis: sed ætas jam obstat, qvô minùs ea, qvæ res

postulat, obire, & exeqvi possit omnia. Itaq;, nisi me fallit opinio, totum in Rasario est. Nam ego, ùt scis, vel infirmitate valetudinis, vel diuturna jam consvetudine, & voluntariâ qvadam desidiâ, loca publica non admodum freqvento: qvo familiaritates intermitti, & ex eo amicitias, si qvæ penitus virtute non hærent, paulatim dissui necesse est: testimonium tamen judicii de te mei nullo loco deerit. Et de doctrina qvidem, ùt spero, fidem faciet oratio nostra: eloqventiam verò, in qva tibi qvantum tribuam, cum alii, tum omnium modestissimus, & ingeniosissimus adolescens, Franciscus Vianellus à me sæpè audiit, tua scripta facilè probabunt. Vale. Venetiis.

FEDERICO GALLO, URBINUM.

EIPST. XIV.

1. Accipit Galli excusationem, qvòd is se insalutato discesserit: cujus tamen desiderio flagrarit, tùm, ut ipsi mandata daret ad patrem: tùm, ut cum ipso de ratione studiorum ageret. 2. Hortatur illum, ut per literas, qvid legat, qvid scribat, sibi significet; nec se desidiæ vel voluptati dedat: sed patris exemplum imitetur.

ITerum jam te purgas, qvod in discessu tuo menses ferè qvatuor abfuturus, ad me non adieris; qvem, ùt opinor, tui cupidum ac peramantem cognoveras. Ego autem, etiamsi repentinam illam discedendi necessitatem literis minùs excusasses; tamen vide, qvàm faveam amicitiæ nostræ, & qvam non

non ſtricto jure tecum agam; nunqvam mihi perſuaderi paſſus eſſem, hoc abs te ſalutationis officium vel noſtri oblivione, vel contemptu, vel ulla omnino inhumanitate tua fuiſſe prætermiſſum. Qvare accipio excuſationem tuam: ſperoqve te operam daturum, ne utaris eâ poſthac; idq; mihi ſcito fore jucundiſſimum. Nam cùm ſemper dilexerim plurimùm, à qvo primùm die mihi cognitus eſt, parentem tuum; cui te cupio & ſpero ſimillimum fore in iis artibus, qvibus honeſtius, aut glorioſius eſſe nihil poteſt: tum verò ſtudia tua, ingenium, qviq; lumen, & ornamentum ingenii ſunt, mores ita me tibi adjunxerunt, ut omnibus te laudibus libenter cumulem, nihil de te, qvod indecorum, aut turpe videatur, ne ſuſpicari qvidem velim. Eqvidem mirifico tenebar deſiderio tui, tum, ut mandata darem, de qvibus ageres cum parente tuo; tum etiam, ut, qvô tibi ſtudiorum genere totam æſtatem in patria traducendam ſtatueres, à te ipſo cognoſcerem: ut vel ex optima tuorum conſiliorum ratione voluptatem caperem; vel, ſi qvid contrà ſentirem, indicarem ſententiam meam. Qvanqvam, cùm domi habeas, unde diſcas, & unde præclara qvæq; ſumas; neq; te meis, neqve cujusqvam egere præceptis intelligo. Veruntamen verus amor latere non poteſt; oſtentat ſe, ubi etiam minimè opus eſt. Actu qvidem percommodè feceris, ſi qvod coràm non licuit, fortunæ potiùs culpâ, qvàm tuâ, id tibi agendùm per literas exiſtimabis, ut aliqvid de qvotidiana tua tum lectione, tum etiam, ſine qva lectio penè inanis eſt, ſcriptione ſigni-

fignifices. Non enim te puto vel desidiæ qvidqvam loci relinqvere, vel iis levitatibus, in qvibus pleriq; adoleſcentes inſaniunt, operam perdere. Scis, qvod ſapientiſſimi homines prodiderunt, imitatricem boni voluptatem falsâ ſpecie decipere, illecebram eſſe turpitudinis, eſcam malorum omnium, qva capitur ætas improvida, nec ſe captam ſentit, niſi cùm imprudentiæ pœnas luit. Atq; hoc in genere labi, & errare, cùm cæteris turpe ſit, iis videtur eſſe turpiſſimum, qvibus ad amplectendam honeſtatem præcepta non defuerunt. Et, præcepta ſi valent, qvæ tibi ego, pro meo in te ſingulari ſtudio, deeſſe non patiar: qvantò plus valere exempla æqvum eſt, præſertim qvæ poſita ante oculos ſunt, qvæ tibi nunqvam intueri non licet, qvæq; familiæ tuæ qvandam qvotidie laudem pariant, facilè potes intelligere? Itaqve non à te mediocre aliqvid, ſed ſumma omnia expectari, nec expectari ſolum, ſed exigi etiam qvaſi debita, debes cogitare. Qvæ ſi præſtas, lætitiâ qvidem parentes tuos, qvibus potiſſimum, & patriæ natus es, afficies incredibili; te ipſum autem perpetuis inſtrues, maximisq; bonis; nec illa timebis externa, qvæ caſus, & fortuna invehit: ſed à te ipſo pendens, nullis objectus injuriis, firmiſſimô artium optimarum præſidiô munitus, vitam deges beatiſſimam, æternamq; poſteris tui nominis memoriam relinqves. Vale. Venetiis.

OCTAVIANO FERRARIO, MEDIOLANUM.

EPIST. XV.

De

De variis rebus agit. Scribit non pœnitere, indigno officia præstitisse. Literis ejus se delectari. De libris transmittendis negotium alicui domesticorum dedisse. Consilium ejus de farciminibus transmittendis probare. Cruditate stomachi laborare, & quid medici sentiant, exponit: rogatque ut sibi radicem, quæ Irios dicitur, conditam mittat.

O Præclaram παλινῳδίαν! at ego tuarum literarum memoriâ, contuleram in eum perpetuò qvodam studiô, qvidqvid præstare poteram officii, operæ, diligentiæ. Nec me tamen pœnitet, eò processisse, unde nunc tu ipse penè revocas. Mutare autem consuetudinem, præsertim in benè merendo, vix licet. Nam illa superiora, si doctrinæ non vis, in qvo me fefellit opinio, humanitati certè dedimus. Nunc dandum esse aliqvid constantiæ, ne nostrum damnemus institutum, profectò vides. Verùm absit jam hoc argumentum à literis nostris: valeant ea, qvæ jucunditatem non habent, qvam eqvidem non modò ex tuis elegantissimis epistolis, verùm etiam cùm ipse ad te scribo, capere mirificam soleo. Nihil est tanti, qvod cum sermonibus nostris permutari debeat. Nec, de nobis ipsis qvod scribamus, deesse unqvam patietur mutui amoris abundantia. De libris tuis, dedi negotium homini domestico, ut à peritis de ratione vecturæ cognosceret, eosq; qvamprimum istuc mitteret. Qvod ille, ùt est omnibus ferè jucunda negligentia, fortassè nondum fecit. Urgebo literis, & mandata renovabo. Suilla farcimina curaturum te significas: in qvo amo voluntatem tuam: qvòd autem

addis, non antè, qvàm extremo menſe; ne cùm recentia ſint, incluſa corrumpantur; conſilium probo: & qvoniam veſtra iſtius generis opſonia, qvi palatô ſapere putantur, ſine exceptione laudant; nec artes qvæſtuoſas officinæ temerè dediſcunt; puto fore ſuaviſſima. Sed audi, qvod eſſe totum aliud intelliges, id eſt aliqvantò magis ad me pertinere. Κακοζωμαχοι ſumus, & cruditate laboramus. Id qvidem à pueritia: ſed auxit vitium aſſiduus literarum uſus: qvô ademptô qvæ nobis, qvi vulgaria contemninus, delectatio, vel potiùs qvæ vita ſupereſt? Qvare ignoſce, ſi mihi non impero: qvod ne tu qvidem, opinor, facis. Qvæſitum inter medicos eſt, ecqvid adjumenti aqvæ ſulphureæ potus afferre poſſet? Variè ſentientibus, recuſavi; ne, qvod ajunt, de ſorte etiam in dubium venirem. De gutta capiti inſtillandâ ſermo fuit. Ne hoc qvidem placuit: ne memoriam periclitaret. Ventum deniq; ad victus rationem. Præbui me facillimum, qvidqvid vellent. In primis radicem probarunt, qvæ Irios vocatur: qvam condiri apud vos egregiè, ferunt. Eam igitur, qvod tuo commodô fiat, velim perqviras, inventamqve, & mediocri vaſculô diligenter incluſam, cures aliqvâ ratione perferendam. Qvidqvid erogaveris, bonâ fide, cui voles, hîc numerabitur. Alexandri ὑπόμνημα nondum ab eo, cui frater commodaverat, extorqveri potuit: nec ego urſi vehementer, poſteaqvam, non ab Aphrodienſi, cujus in eo libro mentio fit, ſed à poſteriore Alexandro ſcriptum cognovi; qvod etiam χαρακτὴρ declarat. Vale, & Cruceio, Ca-

præ-

præqve, communibus amicis, familiaribus tuis, qvos utinam aliqvando complectar, salutem plurimam. Patavii.

JOH. BAPT. RASARIO, VENETIAS.

EPIST. XVI.

Agit Rasario gratias de communicata secum Ferrarii epistola, qvam sibi placuisse, nec ulla alienatæ voluntatis signa se in ea reperisse, scribit. Promittit autem, se ipsum apud Ferrarium purgaturum, illumq; hortatur, ut ipsum tanqvam ducem suum ad philosophiam observet & diligat.

AMo te vehementer de Ferrarii epistola: qvæ mihi ita placuit, ut nihil unqvam legerim libentius. Sanè causam suam diligenter agit, & mihi qvidem egregiè probat. Qvanqvam multis jam annis eam imbibi animô de illius ingeniô, doctrinaqve opinionem, ut errare nihil credam, si qvis multorum rationibus unam ejus auctoritatem anteponat. Qvam tibi qvoqve sententiam probari, cùm intellexerim antea; cumqve, ut verè dicam, hoc ipso nomine plurimùm accesserit ad benevolentiam in te meam: cupio te nunc ne leviſſimè qvidem à te ipso dissidere; idqve mihi tum facilè, pro eo judicio, qvod de tua virtute semper habui, tum etiam, pro meo erga Ferrarium singulari studio, libenter persvadeo. Sed, ut redeam ad epistolam; vides, qvàm eruditè, qvàm ingeniosè disputet; qvàm tecum amicè, qvamq; (ùt apertus, nec ulla tectæ simulationis labe suffusus, ejus animus

est,)

est,) ingenuè, & simpliciter agat. Alienatæ verò à te voluntatis, cum causâ nulla subsit, ne signa qvidem ulla in ejus literis mihi videor agnoscere. De qvo qvia te nonnulli ex epistola tua sensi laborare; nec injuriâ: vetus inter vos amicitia fuit, eritqve, ut spero, vitæ æqvalis, maximis illius in te meritis, ex tuæ mihi prædicatione cognitis, non vulgaribus tuis in illum officiis culta: purgabo te apud eum primis literis accuratissimè; nec ab illo probata damnasse, aut omnino in dubium revocasse, sed qvæsisse nonnulla tanqvam à magistro tuo, veteremq; in eo consvetudinem retinuisse, si volueris, ostendam. Non dubito, qvin, si qva ei de tuo sensu, qvod eqvidem vix opinor, suspicio hæsit, amoveat, ac se tibi qvàm primùm restituat. Novi hominis lenitatem: benevolentiam in te vidi: isqve meæ in te benevolentiæ fons, ea primùm origo fuit. Nec enim, qvæ de te olim ad me scripserit, possum oblivisci; nec, si possim, velim. Illud à te, mi Rasari, si qvid nostrâ etiam causâ vis, etsi necesse non arbitror, tamen vehementer peto, &, si pateris, rogo, non ut optimum virum, doctissimum hominem, Ferrarium, tuæ laudis auctorem, qvòd is tibi ad philosophiam aditus aperuit, viamq; munivit, observes, ac diligas; qvod à te fieri, certò scio: sed ut in omnibus officiis, qvæ ad illius non modò dignitatem, sed etiam voluntatem pertinebunt, certare mecum velis. In qvo te mihi parem esse percupio, vinci nunqvam patiar. Vale, & Magium nostrum, singulari adolescentem ingeniô tibi pro sua doctrina, mihi pro meo in eum non mediocri studio deditum, saluta, Patavii. Hæc

Hæc dictavi, ùt soleo, filio meo: nam, ut scriberem ipse meâ manu, neqve per medicum licebat, nec sanè stomachi ferebat imbecillitas.

ANTONIO ROLANDO.

EPIST. XVII.

Primò agit Rolando gratias de mandatis diligenter exhaustis. Deinde pro suo erga ipsum amore hortatur eum, ut Lutetiæ, quò profectus erat, studia literarum gnaviter colat, nec à Turnebi latere unqvam discedat.

Form. deferendi studium: Cui qvidem si paribus. (A)

Form. hortandi. Refer ad nos illa præclara. (C)

Turnebi laus. (B)

STudium tuum in exhauriendis mandatis meis, celeritas in rescribendo, qvorum ego à te alterum pro nostra conjunctione exspectabam, alterum autem pro tuis occupationibus postulare vix audebam, magnam habent significationem amoris in me tui: (A) cui qvidem, si paribus non licebit officiis, pari saltem ut amore respondeam, operam dabo: nec dubito, qvin consequar: atqve etiam qvod mihi vel injurato velim credas, me jam esse consecutum intelligo. Qvî enim, tua qvæ fuerint erga me officia, meæ qvæ sint partes, ignorare possum, aut non assiduè cogitare? Ego, Rolande, qvô primùm die, cum lectissimo adolescente, familiari tuo itemq; meo, †, accessisti ad me, dilexi mores tuos, in qvibus ingenui multum pudoris, qvi probitatis index est; multamq; prudentiam eluce-

re

re vidi. Paucis diebus, cùm de nostris delectationibus, id est, de communibus literarum studiis, colloqveremur, probasti mihi ingenium, doctrinamq; tuam, & ad meam de te opinionem, † testimonio excitatam, plurimum addidisti. Postea facilè inter nos exorta familiaritas: vel qvòd multis in rebus nostri sensus congruere viderentur, & latentis qvædam naturæ vis animos utriusq; conjungeret: vel qvòd assiduitas tua penè qvotidiana, ususq; domesticus nihil amicitiæ nostræ deesse pateretur. Me, deinde Venetias rationes meæ, te non ita multò post Lutetiam vocarunt studia tua. Manet amor tamen in me qvidem is, qvi fuerat præsente te, vigetq: memoria tui, nec locorum, aut temporum intervallis unqvam evanescet. Qvòd nisi me tuæ laudis magna qvædam cupiditas teneret; angerer, qvòd abes, &, ùt audio, abfuturus es: sed, versari te in ista eruditorum hominum celebritate, frui consvetudine doctrinaqve Hadriani Turnebi, (B) qvem jam pridem omnes cantant, ego orno, qvantùm possum, in sermonibus meis; nisi vehementer gaudeam, te non amem, nec, qvem ames ipse, qvod in primis cupio, dignus sim. Qvare nostrâ etiam causâ contende, ut, qvo consilio Lutetiam petivisti, id qvàm maximè, qvamqve licet celerrimè consequaris. (C) Refer ad nos illa præclara, qvorum gratiâ discedendum tibi à tuis; perferenda longi itineris incommoda, asperrimarum alpium perpetuis obsessa nivibus juga non sine magno periculo superanda existimasti. Qvo de genere tecum agam brevibus; qvia, sensus cùm optimè tuos habeam, cogni-

cognitos, non dubito, qvin sæpe tibi veniat in mentem, ex ista urbe, qvô, tanqvam ad amplissimum artium ingenuarum mercatum libenter omnes confluunt, inanem redire, qvàm non deceat. Qvod si te, studio cognitionis incensum, cetera qvæ istic habes plurima, liberalium doctrinarum adjumenta deficerent: unus tamen idem ille, qvem paulò antè nominavi, qvi præter ceteros cum literis humanitatem, Græca cum Latinis, antiqvæ philosophiæ scientiam, qvod è scriptis ejus facilè cognoverim, cum elegantiore doctrina conjunxit; unus, inqvam, tibi instar esse omnium Turnebus, unus & suô te commovere exemplô, & suis adjuvare plurimùm documentis, consiliisq; posset. Cujus ut à latere, qvoad hominis permittet humanitas, ne unqvam discedas, & istam urgeas occasionem divinitus datam, adipiscendæ virtutis; si tu is esses, qvi naturam humanam solâ perfici virtute nescires, hortarer etiam atqve etiam: idqve libenter tribuerem amicitiæ nostræ: sed cavendum intelligo, ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας: cum tu ibi sis, unde ad alios præclara instituta, unde laudabilis vitæ ratio & sapientia ferè manat omnis. Viam, & rationem latine scribendi, obsecro, mi Rolande, cur à me petis, cùm is, qvo ego uno magistro sum usus, & tibi, & omnibus Cicero pateat? an tu me vel hujus generis reconditum aliqvot tenere artificium putas, à qvo longè absum, vel si tenerem, posse fieri, ut ab ullo, præterqvàm ab hoc ipso, cognoverim? nec tamen, utiliter qvædam præcipi, & ad artem posse redigi, negabo: sed mihi ne tantum

one-

oneris imponis, cui nec à domesticis curis otii multum est, & id ipsum, qvod est, vel amicis officii causâ, vel valetudini necessario tribuitur? Scripsi olim de meis exercitationibus, nescio qvid, à nobilissimo viro, bonarum artium patrono, Stephano Saulio rogatus: & fortasse digitum ad eum fontem intendi, qvò si accesseris, non dicam eqvidem istam eloqventiæ sitim explebis, sed, ùt arbitror, nihil inqvinatum hauries. Exstat ea, cum aliis edita, epistola. Si videtùr, leges: aut, si legisti, & qværis ampliùs; à me cur exspectes, qvem respirare negotia non sinunt, hoc eqvidem tempore non est: pete ab istis, qvi vacant, optimis, & scribendi, & judicandi magistris. De Laërtio, &, qvod egisti, pergratum est; &, qvod acturum te ostendis, id si præstabis, maximam inibis à me gratiam. Turnebus, ut me plurimum diligat, qvod certè mutuò faciet, exopto; plurimum ut mihi tribuat, qvod literæ tuæ significant, non postulo. Qvid enim ego sum? aut, si esse aliqvid videor, præ illo tamen qvid sum? non enim χάλκεα χρυσείοις unqvam conferam, ne cum Homerico Glauco errem: sed χρύσεα χαλκείοις anteponam semper: Ille est, cui jure omnia tribuantur, qvi jam pervenerit eò, qvo nobis adspirare non licet. Saluta eum meis verbis, cum veterrimo amico meo, spectatæ virtutis, & industriæ viro, Carolo Stephano. Vale. Venetiis.

CAROLO SIGONIO, PATAVIUM.

EPIST. XVIII.

Sigonium hortatur, 1. det operam, ut Patavii cùm Si-

Sigonium hortatur, 1. det operam, ut Patavii cùm sit, in celeberrimo Italiæ theatro, omnium expectationi respondeat, & nihil mediocre sibi præstandum existimet 2. ut Scalam amet, 3. ut crebrò scribat.

EGi diligenter, qvod mandaveras. Præcisè negavit, ac visus etiam nonnihil molestè ferre. Sed, mihi crede, hujus generis penè magistro, vestri sensus non congruerent. Nihil morosius. O multa in omnibus intolerabilia: qvæ nobis tamen, mi Sigoni, qvi à libris nescio qvid plùs, qvàm ceteri, sapere didicimus, ferenda sunt. Qvamqvam tibi qvidem, pro tua prudentia atq; etiam pro superioris vitæ perpetua consvetudine, nihil difficilè. Sed, Patavii te nunc esse, in celeberrimo Italiæ theatro, ubi spectatur, & notatur acerrimè, qvidqvid dicas, & sæpe mihi, nec unqvam sine aliqvo metu in mentem venit. Sic sunt, qvi amant: omnia cupiunt, omnia timent. Vides, qvo te in loco tua virtus, qvantà omnium exspectatione, constituerit: nihil mediocre præstandum est, nec, ut cum aliis, qvibus te jam doctrina, industriâq; antecelluisse omnes judicant, sed ut tecum ipse certes, teq; ipsum, si licet, vincas, omniqve laudis genere cumules, elaborandum: Qvæ, cùm, ad qvem scribam, considero: & cùm mihi singularem tuam rectissimis in studiis cupiditatem, ac diligentiam propono; mirificè lætor: nec me tamen pœnitet hoc nostræ necessitudini tribuisse, ut ea legas à me scripta, qvæ minimè necessaria duxerim. Hesternum diem puto te mutuis cum Pace Scala sermonibus jucundissimè traduxisse: qvem volo à te amari plurimùm: vel qvòd

ab illo te qvoqve amari plurimùm sensi; vel qvòd eô nihil humanius, nihil amabilius. Præterea, qvod te vehementer movebit, multis nominibus ego illum in oculis fero: nec in eo rivales habeo paucos. Faloppio nostro si discessum meũ excusaveris, cùm uxoris morbus urgeret; gratissimum erit. Nec tamen diutius hic me commoraturum puto. Tanti nihil est, ut vobis carere possim. Interim vale, &, si vacat, scribe non accuratè, sed, ut ego nunc, qvicqvid in buccam: ne pereat omnino fructus nostrorum sermonum: qvem si literæ restituent; paulò feram lèviùs absentis tui desiderium: cujus igniculum, è cubiculo meo cum discederes, sentire cœpi: nec deinde tuum spectrum discessit ab oculis meis. Venetiis.

MARCO ANTONIO MURETO, ROMAM.

EPIST. XIX.

Exstat etiam inter Mureti Epistolas Vol. I. lib. II. Ep. 22. Respondet autem Mureto ad lib. I. Ep. 12. Venit ad te.

1. Gratulatur Mureto, qvòd Regibus operam det, qvòd ingenium ejus Pontifici & Cardinalibus probetur. 2. Orationes ejus laudat. 3. Querela de obitu Duareni. 4. Significat se valere, & commentarios texere in Epistol. Ciceronis. 5. Gratias agit de amicitia Petri Fabri.

Form. Deferendi amorem: Meum in te animum &c.

(A)

GAudeo, mi Murete, qvod profectò etiam me tacente existimas, te navare operam Regibus, in-

ingeniumq; tuum, qvod ego semper unicè dilexi, extuliq; laudibus, à tanto Pontifice, & ab universo Cardinalium Collegio vehementer probari. Nam, si qvi aliter sentiunt: qvanqvam qvis est, qvi aliter sentire possit? veruntamen si qvi fortassè reperientur, qvos livor impediat, qvò minùs rectè ac sincerè judicare possint: de iis laborandum non erit: cùm te præsertim ille noster, qvem seqvuntur multi, sed ille præter cæteros, qvi nobis qvasi αὐλικὸς ζεὺς debet esse, non mediocriter ornet atq; diligat. Hæc altera tuo oratio priorem illam vel æqvat, vel vincit, sententiarum, verborum, ordinis præstantiâ. Qvo in officio, ac munere cupio te pergere. Simul enim perges in expedita, maximeq; directa gloriæ via, per qvam processisti jam longissimè, nemine præcurrente, me favente plurimùm. De tua in me benevolentia, cùm recordor meam, dubitare non possum. (A) Meum in te animum expertus jam es; eundem si & esse nunc, & perpetuò futurum arbitraris, non fallam opinionem tuam. Nam & mea non solùm consvetudo, sed etiam natura ita postulat: & tu perficis eas laudes, qvarum principia me olim, exspectantem id, qvod præstare te nunc video, in tui amorem impulerunt. Habeo summas gratias, qvas agi à te cupio, Archiepiscopo Beccatellio: eumq; meo nomine, ut qvàm licebit officiosè, qvamq; plurimùm salutes, valde rogo. N.†, ut scribit ad amicos, floret honoribus in patria, carus Imperatori, jucundus omnibus. Nosti humanitatem, & ingenium: doctrinam auxit à discessu tuo, qvantùm vix credas: itaqve summa omnia de illo

adolescente sperare nobis licet. Duareni obitu, de qvo heri primùm à Germano homine, qvi ex Gallia recens venerat, accepi, damni plurimum injure civili factum est. Eqvidem dolui vel tuâ causâ, qvòd eum à te amari senseram; qvanqvam hæc, si ferret humanitas, prorsus dolenda non essent. Qvid enim proficimus? angi qvidem graviùs, neqve communis conditionis necessitas concedit, & vitæ commutatio, brevissimæ cum æterna, miserrimæ cum beatissima, valdè vetant. Ego nunc, qvod acceptum divinæ benignitati refero, qvodqve tibi puto fore jucundissimum, valetudine utor satis commoda oculis qvidem optimis, qvod aliqvot annis non contigit. Itaqve, cum otium non ferrem, (scis enim me qvievscere non posse) commentarios in reliqvas Ciceronis Epistolas cœpi texere: &, ùt initia sunt, prorsus industria non ὀίχεται. Absolvi, ùt mihi qvidem videtur, majorem partem, id est, tres primos libros, &, extra ordinem, Octavum. In qvibus, ùt dixi jam, nisi me communis φιλαυτία decipit, non videtur opera malè collocata. Habebis in clausula, de Petro Fabro, tuo dicam, an meo? ita me triduo cepit, sibiq; devinxit ingeniô, humanitate, prudentiâ. Planè vixi, qvàm diu mecum fuit: nec mediocri sum amore discedentem prosecutus: næ tu, si nihil præterea meâ causâ velles, qvi & vis, & egisti jam plurimum, tamen hoc uno munere, qvòd auctus per te sum tàm ornati adolescentis amicitiâ, meis omnibus in te studiis, qvæ tu merita vocas, optimum gratiam retulisti. Vale. Venetiis.

HIE-

HIERONYMO CAPILUPO, EPISCOPO FANENSI.

EPIST. XX.

Respondet officiosæ Epistolæ Capilupi, & pudorem suum excusat, quòd factum sit, ut literæ illius suas anteverterint. Deinde se laudibus ejus delectari scribit, ac gratias illi agit, quòd aditum sibi ad amicitiam suam aperuerit.

Form. Agendi gratias. Tibi verò (A)

SAnè postulabat mea pervetus in te observantia, ex ingenii tui præclaris orta monumentis, ut aliqvid ad te literarum darem: sed me dignitas tua semper, & persona deterruit, verentem, ne talem virum, tantarum rerum occupatione distentum, inanibus appellare literis, prudentis hominis non esset. Nunc, ut verè dicam, penè accuso modestiam meam; qvòd, dum cogito ad te scribere, nec tamen consilium explico, interea tua fecit singularis humanitas, ut anteverteres. Qvanqvam cur ego apud te, maximarum virtutum laude præstantem, ad qvas mihi adspirare non licet, plus residere officii molestè feram, cùm præsertim hoc ipsum amoris in me tui, qvô eqvidem antiqvius nihil habeo, non obscurum argumentum esse videatur. Qvocirca, ut interdum me pudet pudoris mei, qvòd nihil ad te scribere sim ausus, cùm tamen maximè cuperem: sic istâ tuæ voluntatis erga me declaratione, istis etiam laudibus, qvibus me ornat epistola tua, mirificè delector. Noli enim existimare, si qvid unqvam meis laboribus ac vi-

gilis non contemnendum præstiti, me fructum ullum, aut mercedem præstantiorem exspectasse, quàm quæ ex tuo, tuique similium judicio, ac testimonio percipitur. Quod si assequor, triumpho. Sin, quod suspicari facilius possum, ita me laudas, ut quasi deficientem in cursu tuâ voce impellas; ne sic quidem vulgari me munere obstringis, cùm ad cohortandum, atq; incitandum, si ulla res, certè tua plurimum valeat auctoritas. Itaque enitar, ne tu me non bonum tuarum literarum interpretem fuisse putes. Incumbam enim paulò acriùs ad ea, quæ qui possidet, jure laudem fert. (A) Tibi verò, quòd ad me tàm humaniter scripseris, quodque ultro ipse mihi diu exoptatum ad tuam amicitiam aditum aperueris, si, quam debeo, gratiam referre non potero, habebo saltem, ut priores officii partes repotiùs tibi, quàm studiô & voluntate concedam. Vale. Venetiis.

NICASIO CASLETANO.

EPIST. XXI.

Resp. ad conciliatoriam Epistol. Casletani, & excusatâ responsionis tarditate, primò literas ejus ob humanitatem & elegantiam laudat; deinde se parem ipsi in laudando & ornando voluntatem redditurum, pollicetur.

Form. Dubitare, utrum majorem lætitiam an dolorem ex amici literis acceperis. Ibi. Quantum mihi (A)

Form. Deferre alicui studium suum. Quare cum istam *&c.* (B) *Et:* Quod ad me attinet. (C)

Form.

Form. Promittere crebras literas. Ibi: Præsentem scilicet (D)

(A) QVantum mihi voluptatis attulerant literæ tuæ, summæ tum humanitatis, tum etiam doctrinæ notis insignes: tantum postea doloris, ac molestiæ, ereptâ ob adversam valetud:nem respondendi facultate, suscepi. Non enim aut is ego sum, cui qvidqvam prius officiô sit: aut eum te esse ex† literis cognovi, cujus amicitia contemnenda potiùs, qvàm appetenda videatur. Sed omitto† vel testimonium, qvod apud me ponderis, sicuti debet, habet plurimum; vel voluntatem, cui libenter omnia tribuerem. Ipsa, qvam ad me misisti, epistola qvid est, qvod impetrare non possit? scripta primùm humanissimè, cùm benevolentiam in me tuam significes, meam exoptarer videaris: deinde ita eleganter, ac disertè, (ne vivam, si mentior) ut ego tibi in hac eloqventiæ laude comparem sanè pauciſſimos, anteferre debeam neminem. (B) Qvare cum istam animi tui singularem in me amando, atq; etiam laudando liberalitatem libenter amplector: tum verò, me tibi parem in utroqve voluntatem reddere, idq; non tàm officii tui magnitudine provocatum, qvàm judiciô facere, velim existimes. Tu videris, qvid de me sentias, & qvô me locô reponendum statuas: non enim ita laudem aspernor, præsertim qvæ ab iis, de qvibus bene omnes existimant, proficiscitur, ut, qvam de studiis meis opinionem suscepisti, ejus deponendæ, aut imminuendæ, tibi auctor esse unqvam velim. (C) Ego, qvod ad me attinet, si qva tui dabi-

tur facultas ornandi, plenâ manu tuas virtutes ad cœlum tollam: studiô qvidem, & amore ne vincar, & emitar, ùt soleo, diligenter, &, ùt spero, conseqvar. (D) Præsentem scilicet mutui sermonis svavitatem longinqvitas aufert: literis tamen, si valebo, qvod adhuc non contigit, ne prorsus abesse videamur, operam dabo. Vale, & † meo salutem, Venetiis.

JULIO BELLOGRADO, UTINUM.

EPIST. XXII.

Hortatur Bellogradum, ut in cursu ad laudem pergat, & paternam virtutem imitetur. NB.

Form. hortandi: Perge adolescens. (A)

AMabam te antea, mi Juli, qvòd esses eô patre natus, cujus excellentem probitatem, atqve doctrinam non præsentes modò, sed longinqvi etiam prædicant; ego summam in me humanitatem sæpe sum expertus: nunc, istâ indole, istô te ingeniô præditum esse cùm intelligam, ut paternam virtutem, tanqvam ampliſſimum patrimonium, non modò conservare, verùm etiam augere possis; an dubitas, qvin omnia in te studia libentissimè conferam? Qvibus addam officia, cùm licebit: &, ut sæpè liceat, exopto. (A) Perge, adolescens egregie, mihi carissime, in isto ad laudem cursu. Viam inveniſti, qvæ te ad immortalitatem feret, directam, expeditam, à vulgi erroribus longè remotam. Qvo tibi nomine gratulor, mihi gaudeo plurimùm, &, ut perpetuo gaudeam, futurum confido.

Speci-

Species enim virtutis eximia, qvò propiùs eam adspexeris, eò te commovebit magis, & amorem sui mirabilem excitabit. Interim contemplare actiones prudentissimi viri, parentis tui: ad ejus te imitationem totum finge, atq; conforma; ut haurias ab eo laudem tuam, qvam capere uberiorem ex nulla disciplina potes. Me velim existimes omnibus de te maxima polliceri, & in te amando, si patrem excipias, nemini concedere. Filius meus te sibi majoris fratris loco ducit; nec ullum tui ornandi, qvantum in ipso erit, locum prætermittet. Vale.

HIERONYMO SERIPANDO CARDINALI CREATO, ROMAM.

EPIST. XXIII.

Gratulatur Seripando de Cardinalitia dignitate, sperans, ejus sapientiâ causas dissidiorum in Ecclesia sublatum iri.

Aqvo primùm tempore aliqvid sapere, id est, à vulgi opinionibus dissentire cœpi, semper ita judicavi, multò esse optabilius, multoqve præstantius, consequi virtutem ipsam, qvàm ornamenta virtutis. Itaq; nunc, allatô de tua dignitate nunciô, qvem hic ingenti lætitia boni omnes exceperunt, non sanè tuâ causâ magis, qvàm antea, pro communi qvidem Ecclesiæ bono, cui tantum ex honore tuo præsidii, tantum splendoris accesserit, magnopere sum lætatus. Tu enim is es, cujus animus hæc humana nunqvam spectaverit, semper omnem spem, omnemq; gloriam, ac felicitatem in

uno Deo, & in illa cœlesti vitâ, rectè, ac laudabiliter agentibus propositâ, collocarit. Cui sint occultæ mirabiles illæ tot annorum cogitationes, actiones, conciones tuæ? qvæ si obscuræ fuissent, uno illo factô illustrarentur maximè, cùm illa Præfecturæ generalis insignia, qvæ libenter omnes assumunt, multò ipse libentiùs deposuisti. Qvocirca non eqvidem magis, qvia Cardinalis nunc es, qvàm qvia semper ita vixisti, vt Cardinalium collegiô dignissimus esses, & mihi, & omnibus lætandum intelligo. Nec verò singularem, ac divinam Pii IV. Pontificis Max. sapientiam admirari, & efferre laudibus unqvam desinam, qvi vexatam assiduò pravarum opinionum impetu, nec mediocri periculô fluctuantem Christianæ reipubl. navem, auctoritatis, & doctrinæ tuæ pondere constituendam putaverit. Itaq; non jam illas à septentrione horribiles procellas, à qvibus antea naufragium impendere videbatur, posthac timebimus. Pio IV. gubernante, qvod utinam divina benignitas diuturnum esse patiatur, tuâ, Seripande, tuorumq; similium ope, summâ tranqvillitate perfruemur. Id & speratur, jam indictô conciliô, qvod unicum tantis malis eximia superiorum Pontificium sapientia remedium invenit: &, mihi qvidem si contigerit, ut ad eam diem spiritum ducere liceat, cùm sublatas in perpetuum exitiosi dissidii causas, unam in communi salute voluntatem, unum gregis universi pastorem, ac moderatorem videam; satis me vixisse arbitrabor, & planè lætus ex hac vita discedam. Interim fruar exspectatione; & tibi, tuisq; vir-

virtutibus, qvas omnes laudant, utinam imitari multi vellent, eam, qvam debeo, obſervantiam, benevolentiamq; præſtabo. Vale. Venetiis.

ALOYSIO ESTENSI CARDINALI CREATO, FERRARIAM.

EPIST. XXIV.

Gratulatur Aloyſio Eſtenſi de Cardinalitia dignitate, cum addita hortatione, ut locum hunc pro ſua & majorum ſuorum dignitate tueatur.

Form. Hortandi: Gaude igitur. (B)

MUlta, & magna Principibus viris, inter qvos, Aloyſi præſtantiſſime, tua præcipuè nobilitas elucet, ad ſtudium eximiæ laudis adjumenta ſuppetunt: qvæ ſi comitatur voluntas, excellunt facilè, ſic, ut ad immortalitatis præmia, cum qvibus non opes, non imperia ſapientes comparant, expedita qvadam, & qvaſi compendiaria viâ perveniant. Hoc tibi contigiſſe, cùm omnes antea faterentur, graviſſimum acceſſit Pii IV. Pontificis Maxim. teſtimonium, qvi te, diu expetitum, penè recuſantem, non rogantem qvidem certè, in ampliſſimum Cardinalium collegium, ipſo maximè comprobante Collegio, ſummâ bonorum lætitiâ, proximè cooptavit. Reſtat, qvod futurum nemo dubitat, & tua ſuperior vita pollicetur, ut iſtum honorem, pro tua, majorumq; tuorum dignitate adminiſtres. Qvod facilè conſeqveris, ſi te, qvidqvid ſtatues, qvidqvid ages, Cardinalem eſſe cogitabis, id eſt, ex

ex eo ordine, unde maximi, ac præpotentis DEI Vicarii, rectores humani generis, Pontifices deliguntur. Locum tenes, qvem ſumma dignitas illuſtrat, & in qvo nullum neqve dictum, neq; factum obſcurum eſſe poſſit. Nec tibi aut à natura qvidqvam, aut à fortuna denegatum eſt, qvò minùs ampliſſimo te dignum ſacerdotiô præbeas. Operoſum aliis, & perdifficilè ſit, ùt eſt omnino, ac ſemper fuit, rectè, & laudabiliter agere; Aloyſio Eſtenſi, in tanta ingenii animiq; præſtantia, tam propenſa ad honeſtum voluntate, tantis etiam opibus, qvis aditum veræ laudis non patere, qvis æternæ viam gloriæ non eſſe facillimam exiſtimet? (A) gaude igitur tam excellenti bono; & incumbe totus in eam curam, ut antiqvum familiæ tuæ decus, per tot ſecula, tot Ducum, tot Regum, & Imperatorum virtute partum, non tueare ſolùm, verùm etiam vehementer augeas. Nam nunc qvidem eô tantùm nomine tibi gratulamur, qvod ſimul cum iſto honore præclaram ſæpe exercendæ virtutis occaſionem accepiſti. Cumulabitur lætitia, & erit aptior gratulandi locus, cùm hæc honorem inſignia, qvæ multis oneri fuiſſe conſtat, juſtitiâ, pietate, omniq; beneficentiæ genere ita ſuſtinebis, ut & optimi Pontificis judicio, & bonorum exſpectationi, qvâ nulla major unqvam fuit, egregiè ſatisfacias. Qvod eventurum brevi, omnes confidunt: ego, pro meo in te ſingulari ſtudio, qvaſi jam evenerit, præſenti gaudio cupiditatis meæ fructum capio. Vale. Venetiis.

JOH.

JOH. BAPTISTÆ SARACIO, FERRARIAM.

EPIST. XXV.

Gratias agit Saracio, qvòd ipsius autoritate è perdifficili negotio sit expeditus, & suam erga ipsum observantiam majorem esse dicit, qvam à se exprimi aut officio declarari possit.

Form. gratias agendi: Nec tamen futurum despero (A)

SEmper eqvidem existimavi, qvod tu qvoqve sentis, doctissimè Saraci, non minimùm fortunæ præstare virtutem; in qva etiam unâ satis esse ad bene beateq; vivendum putarunt multi: tamen incidunt qvædam tempora, cùm ipsi etiam habenda fortunæ gratia videatur. Qvod mihi nunc gaudeo contigisse. Nam cùm, aliqvot ab hinc annis, consentiens multorum sermo, eximias ingenii tui svavitates assiduè prædicantium, in eam me voluntatem ac mentem adduxisset, ut diligerem te vehementer, & colerem: casu accidit proximis diebus, ut auctoritas tua, magnis atqve perpetuis erga Principes tuos meritis, virtutibusq; parta, expedire me hærentem, atqve impeditum perdifficili negotio, posset. Hoc ego fortunæ meæ non vulgare beneficium esse duco. Alterum est tuæ virtutis, qvòd, cùm tibi meam cupiditatem vir egregius, omniumq; humanissimus, Paulus Sacratus ostendisset; contulisti statim ad rationes meas studia tua, spemq; nostram, jam propè langventem, atqve abjectam, erexisti, & confirmasti promissis primùm, dein-

deinde etiam officiis tuis. Quô qvidem in me singulari merito, qvibus tibi verbis gratias agam, plane non reperiô. Vincit enim, vincit prorsus, optime Saraci, ingenium meum humanitas tua. Sed hoc ipsô fit virtus illustrior, cùm in eos beneficia conferuntur, qvi satisfacere non modò ipsâ re, sed ne verbis qvidem ullô modô possint: qvod tibi persvasum esse qvis dubitet, qvi consvetudinem bene merendi tuam, à præstanti qvadam natura ortam, liberalium doctrinarum studio mirabiliter auctam, cognoverit? veruntamen, qvando mihi non simul cum facultate voluntas qvoq; eripitur remunerandi, nonnihil in molestia gaudeo, & fruor tacitus officii conscientiâ; (A) nec tamen futurum despero, ut, qvæ mihi nunc ad grati animi significationem deesse verba sentio, eadem aliqvando abundent, in tua benignitate apud alios prædicandâ. Interim, sine me hoc impetrare ab humanitate tua, ut multô majorem esse putes obsservantiam, ac benevolentiam in te meam, qvàm ullo unqvam à me exprimi, ac declarari officiô possit. Qvod si, ut spero, facies; mihi crede, præsentem gratiam, qvam ex primis Sacrati mei literis absolutam exspecto, haud paulô majore gratiâ cumulaveris. Cupio nisi grave est, à te salutaris meis verbis Joh. Baptistam Pignam. Vale. Venetiis.

PAULO SACRATO, FERRARIAM.

EPIST. XXVI.

Respondet Epistolæ officiosæ P. Sacrati, eumq; laudat

dat à singulari elegantia, quam non putavit ille potuisse inter studia tam diversa contingere.

Laus Jac. Sadoleti.

Deinde laudes à Josepho Fasinardo in se conjectas non agnoscit. 3. Pro navata in rebus suis operâ gratum animum illi promittit.

Form. Laudem non agnoscere. Oblitum esse modestiæ suæ. (A)

Form. Pollicendi gratum animum: Quæque à te in meis. (B)

SOlet interdum eventus esse gratior, quàm causa; interdum etiam causa, quàm eventus. Me delectavit utrumq; pariter in literis tuis. Nam, & ut Latinè ad me scriberes, homo tum domesticis curis, tum etiam sedandis, ut audio, multorum controversiis assiduè distentus, certè amor impulit, atque humanitas: & epistola tua ita mihi ornatè, ita copiosè omnes non modò animi, verùm etiam ingenii tui partes expressit, ut nihil unquam legerem libentiùs. Ego tibi antea, optime Sacrate, tribuebam sanè multa, quæ pauci consequuntur, prudentiam, integritatem, doctrinam, maximè verò præstantem quandam ad excolendas officiis amicitias & voluntatis, & naturæ propensionem: istam verò orationis exornandæ facultatem, quæ cùm multi temporis, magnæque videtur esse industriæ; tum verò, ùt ego sentio, atque usu etiam didici, ab intimo quodam, planeque recondito depromitur artificio; vix putabam tibi inter diversa planè studia posse contingere. Sed videlicet me fefellit, quod ingenium tuum communibus metiebar exemplis;

nec

nec mihi veniebat in mentem, avunculi tui Cardinalis, Jacobi Sadoleti, præceptis, & consvetudine domesticâ aditum tibi ad omnem gloriam esse patefactum. Nam, cùm ille cunctis virtutibus, qvas laudabit posteritas omnis, assequetur fortasse nemo, bonorum ac sapientium judiciô virorum excelluerit; hâc tamen in primis Latinè scribendi laude ita floruit, ut veteres illos propemodum æqvaverit; nos qvidem, per eandem viam cupientes excurrere, longè reliqverit. Sed, ùt ex epistola tua conjicio, conservabis hoc qvasi patrimonium, familiæ vestræ proprium; & hæc tibi communis hæreditas erit, cum patrueli fratre tuo, Paulo Sadoleto, qvem omnes homines ad egregia qvæqve natum intelligunt. Eqvidem in hoc mihi ipse primùm gratulor, qvi tibi harum literarum, qvibus nescio an qvidqvam non modò humanius, verùm etiam ornatius esse possit, causam dederim. Nam Josephum Fasinardum, qvem ob ejus doctrinam & mores egregios vehementer amo, (A) oblitum arbitror modestiæ suæ, cùm de me loqveretur, & utrumqve vestrûm in eo consensisse, ut ille; te libenter audiente, pro veris falsa narraret, aut certè veris plurimùm affingeret; tu illi plenâ manu, ùt sæpe prodigus amor est, ea, qvæ prorsus non agnosco, in me conferenti, pro tuo in me studio libenter, & facilè crederes. Utinam qvidem, qvi vobis nunc esse videor, is aliqvando esse possim: qvod qvia sperare non licet, ne cupiam qvidem est. Meus in te animus (qvid enim præterea pollicear?) officio erit, mihi crede,

sin-

singulari: (B) qvæqve à te in meis rebus opera, atqve benevolentia navatur, perpetuô qvodam erga te studiô ita compensabitur, ut nihil nemo omnium, exceptô amore domesticô, te uno carior, aut jucundior unqvam esse possit. Franciscus Morandus, cujus ego contuberniô, & qvotidianâ consvetudine mirificè delector, vir egregius, nec juris tantùm civilis peritiâ, sed poëticâ etiam laude, & literarum elegantiâ vehementer excellens, mutuò te diligit, &, qvâ ego tuis verbis eum salute impertivi, eandem tibi ut ejus nomine his literis adscriberem, diligenter mandavit. Tu salvere plurimum à me jubeas Joh. Baptistam Saracium, deditum semper optimis disciplinis maximeq; cupidum ornandæ virtutis, itemq; †, qvem vidi nunqvam, amo tamen sic, ut mihi te rivalem esse vix patiar. Vale. Venetiis.

FRANCISCO ROBORTELLIO, BONONIAM.

EPIST. XXVII.

Gratulatur sibi de reconciliata Robortelli gratia, eumq; rogat, ut se mutuò diligat, & officiis secum certet. (Potest referri ad Officiosas) Gratias qvoq; illi agit de oblatis sibi typis Græcis, &c.

Form. Gratias agendi. Tibi tamen, qvia de commodo *&c.* (A)

Form. promittendi gratum animum. Qvod, si à me paria, *&c.* (B)

MAgnam habeo gratiam Hieronymo Seripando, optimo Cardinali, omniumqve virtutum

gloria præstantissimo, qvòd ab aliqva nos ab imitationem virtutis exortâ simultate ad summam benevolentiam, conjunctionemq; traduxerit. Te qvidem cum eximiâ doctrinæ opinione, qvam apud omnes meritò consecutus es, humanitatis laudem velle conjungere, tum meâ causâ lætor, qvi tuâ consuetudine nimiùm diu molestissimè carui, meæqve in te perpetuæ voluntatis ipse mihi egregiè sum conscius; tum verò, qvod inter te, & Sigonium meum, viros tales, & planè duo nostræ Italiæ lumina, non optimè convenire, ferendum vix erat. Itaq; cùm de nostra, auctore Seripondo, reconciliata gratia ex ipsius Sigonii literis cognovissem; feci statim, qvæ meæ partes erant, ut omninò te complecterer, meq; tibi, leviter antea, nec sanè mediocri cum dolore immutatum, libentissimè totum restituerem. A te peto, non ut me mutuò diligas; qvòd te jam facere, perpetuoq; facturum certò scio: sed ut officiis etiam ita mecum certare velis, qvibus & cupidè vincam, & vincar tamen non invitus, ut nihil omninò neq; de mea in te vetere observantia, neq; de tua in me benevolentia detractum esse videatur. Qvanqvam hoc, tuâ fretus bonitate, & sapientiâ, cùm speraverim antea, nunc ut planè confidam, literæ tuæ fecerunt, ad hominem bene doctum, & utriusq; nostrûm amantissimum, Raphaelem Cylleniùm proximè conscriptæ: qvibus in literis partim de me, qvô sum mirificè lætatus, amantissimè loqveris, partim etiam typos Græcos fratris mei, nescio qvâ culpâ amissos, benignissimè mihi polliceris, ac defers. Ego, mi Robertelle,

le, istam vehementer amo voluntatem, qvam tibi certè emetior: liberalitate verò tua etsi delector maximè, tamen, cur utar, non est; cum officinam satis amplâ & pereleganti hujus generis copiâ magnis jam sumptibus instruxerim. (A) Tibi tamen, qvia de commodo meo tuâ sponte cognoveris, qvod sine summo erga me amore fieri profectò non potuit, æqvè debeo, ac si rem omnium maximam meo perneceſſario tempore detulisses. Qvòd si à me paria, ac multò etiam præstantiora in omnibus rebus, qvas ad tuæ laudis, tuiq; commodi partem aliqvam pertinere intelligam, studia, & officia exspectabis, nunqvam te fallam. Atq; hujus qvidem testem promissi, & qvasi loco fœderis, qvod à me violari nunqvam patiar, hanc esse apud te epistolam volo. Camillum Palæottum, cujus excellentem humanitatem, conjunctam pari virtute, non dubito, qvin præclarè cognitam habeas, & communem amicum, dignum Romulo parente filium, Pompilium Amasæum, rogo te, salutes meis verbis diligenter. Vale. Venetiis.

ALEXANDRO CRISPO.

EPIST. XXVIII.

Respond. conciliatoriæ Epistolæ Crispi, eâq; scribit; suam de ipsius ingenio susceptam opinionem magis esse confirmatam: cum addita hortatione, vel potiùs petitione, ut cœptum virtutis cursum teneat, nec se ulla re ab eo abducì sinat.

Form. hortandi: Hìc ego hortarer. (A)

HAbet hoc virtus, ut amicitias nullo interces-

sore conciliet. Itaqve, cùm de studiis tuis & incredibili qvadam ad liberales artes voluntatis propensione, ex Sebastiani Leonis, familiaris mei, literis cognovissem: dilexi te statim, idq; ut intelligeres, vehementer optavi. Nunc, qvando opinionem meam de ingenio tuo susceptam epistola tua confirmat; ego qvoqve aliqvantò magis ad te amandum impellor. Qvòd verò etiam in amore mihi respondeas, tuamq; operam, curam & auctoritatem nullo unqvam loco defuturam promittas: utrumqve facio plurimi, & esse perpetuum cupio. Qvod ut confidam, tua probitas facit, multorum sermonibus, præcipuè verò Leonis nostri testimonio comprobata. (A) Hìc ego hortarer, pro mea in te summa benevolentia, ut acriùs te ad omnem laudis cupiditatem incitares. Sed neq; industria tua cujusqvam indiget præceptis: nec te res ulla magis ad gloriam accendet, qvàm nobilitas tua, qvam, non dubito, qvin sæpe mente & cogitatione contempleris. Tantùm igitur te rogabo, ut istum teneas, qvem cœpisti, cursum, nec te unqvam aut voluptas, qvæ adolescentibus maximè suis blanditiis, & fictâ boni specie pernicioſas insidias tendit, aut fucatus rerum humanarum splendor à studio virtutis, id est, à vera, solidaq; gloriâ deducat. Vale, & Leoni nostro, doctissimo atq; optimo viro, dic salutem meô nomine plurimam. Venetiis.

SCRIPSIT HANC ROGATUS A NOBILISSISSIMO VIRO.

EPIST. XXIX.

Nobi-

Nobilissimus vir delatus fuerat apud Principem, qvòd ipsi in sermone detraxerit, qvòdq; gloriatus sit de suâ erga ipsum liberalitate. Hoc nomine se apud Principem excusat, & ostendit, se non esse tàm pravum, tàm stultum, tàm ingratum, tàm honoris sui negligentem, ut de ipso iniqviùs loqvatur aut sentiat: Ac proinde ipsum rogat, ut omnem offensionem deponat, & se totum sibi restituat.

Cùm in summis molestiis, qvibus me fortasse immerentem fortuna vexet, qvæ qvidem tibi satis notæ sunt, unicum mihi solatium fuerit benevolentia tua, qvam opinabar me singulari qvadam ac perpetuâ erga te observantiâ, & studio qvodam incredibili consecutum: eô me solatiô magna ex parte privatum esse, ex eo sermone, qvem habuit mecum proximè Drusus tuus, vehementer doleo. Qvod qvidem eò patior acerbiùs, qvia, si posset augeri amor in me tuus, augeri potiùs debere pro mea in te egregia voluntate, maximisqve studiis, existimabam. Qvid enim, à qvo primùm tempore aditus mihi patuit ad amicitiam tuam, de te senserim, ipse mihi optimè sum conscius: qvid verò prædicaverim, testes habeo, non leviſſimos homines, sed præstantes viros, eosq; minimè paucos, qvorum auctoritas, & probata vita vel sine jurejurando facilè fidem facere possit. Qvæ cùm recordor, magnam ex officio meo voluptatem capio: propterea, qvòd nihil unqvam mihi grati animi memoriâ jucundius aut est, aut unqvam erit. Et, qvanqvam animum tuum nonnihil immutatum Drusi verba significant; cùm ego perpetui-

tatem amoris tui exspectaverim; eamq; tanti fecerim, ut ex omnibus rebus humanis nihil penè pluris æstimaverim: tamen, non ùt animatus nunc in me sis, sed ùt antea fueris, in omni mea vita jucundissimè cogitabo; qvæq; in amicitia colenda à doctissimis viris constantiæ tributa laus est, eam ut omnino conseqvar, enitar qvantum in me erit: non qvòd tua virtus cujusqvam hominis laudationem, vel tua fortuna cujusqvam opes, aut merita desideret: sed profectò apud sapientissimos homines, qvem ego te in numerum refero, significatio bonæ voluntatis, etiamsi merita non habet, pro meritis tamen est. Te verò, Principem egregium, omniumq; virtutum apud omnes homines, maximeqve apud omnes Principes laude florentem, præterea istâ ornatum dignitate, qvæ ad omnem laudem tacitâ qvadam cohortatione videtur impellere, figmentis commoveri hominum improbissimorum, & alienis fortasse bonis invidentium, prorsus æqvum non est. Qvid enim? an ego tam pravus esse possim, ut optimo viro coner unqvam in sermone detrahere? An tam stultus, ut, qvi mihi multis rebus prodesse, multis etiam obesse possit, eum indignissimis lacessam injuriis? An tàm ingratus, ut cujus erga me summam humanitatem, ac benignitatem senserim, de eo qvidqvam cogitem, aut etiam loqvar iniqvius? Qvid honor meus? an apud me nullius est ponderis? Ille verò mihi vel ipsâ vitâ carior adhuc fuit, eritq; in posterum. Ita sum à puero educatus, ita natus: ita etiam didici ab exemplis majorum meorum. An igitur honor meus tan-

tantam ferre posset inconstantiam? Ille certè cùm omnes maculas, tum hanc, qvæ turpissima est, levitatis, & intemperantiæ, respuit ac formidat. Qvare, si peccarem in te, magne Princeps, simul in me ipsum peccarem. Qvorum alterum ab officio meo, alterum à voluntate nimis abhorreret. Qvod igitur neq; committere debeo, neq; possum, id mirarer eqvidem à te credi; si planè, qvæ ad me delata sunt, vera omnia putarem. Sed primùm haud libenter id credo, qvod injucunditatem, ac solicitudinem affert animo meo; deinde, qvod indignum videtur bonitate tuâ, qvam ego, ùt maximè omnium habeo cognitam, ita maximè omnium efferre laudibus, ubiq; soleo: postremò, qvod cum ipsâ veritate pugnat. Qvòd autem, qviddam etiam de liberalitate mea glorioſè à me jactatum, iidem comminiscuntur: impudens mendacium est, ac, ne aliis utar argumentis, te ipso teste falsum. Nam, fuisse me tui perstudiosum, omnia tibi, tuisq; qvæ potuerim, obseqvia atq; officia præstitisse, verè dixeris, & multi sciunt: qvô tamen ipse nomine gloriari non soleo: contentus ipsâ re sum: verùm fuisse me, cui multa desunt, in te, qvi cunctis rebus abundas, liberalem, & de meis rivulis penè aridis affluxisse aliqvid ad tuos uberrimos fontes, certè nemo dixerit; nec, si qvis diceret, ego agnoscerem. Hôc igitur unô, qvod inanissimum esse constat, reliqva mihi objecta refelluntur. Patent insidiæ malevolorum: infirmatur, ùt sæpe solet, à se ipsâ, & suô qvasi gladiô jugulatur improbitas. Itaq; recreor paululum in acerbissima molestia: ut etiam hoc

sperem, si qva voluntatis tuæ facta mutatio sit, qvod qvia meritus minimè sum, ideò minimè possum credere, me tamen ab humanitate tua facilè impetraturum, ut te mihi totum restituas. Nec enim decet, apud talem virum, tantumq; Principem, naturâ bonum, judiciô, & consvetudine optimum, consiliis & artibus locum esse hominum perditorum. Qvam mihi spem ut confirment literæ tuæ, peto à te pro mea pervetere non solùm erga te, verùm etiam erga tuos omnes observantiâ: idq; à te summa tua, tuæq; familiæ dignitas postulat. Vale.

EPISTOLARUM PAULI MANUTII,

Lib. VI.

FRANCISCO RICHARDOTO, EPISCOPO ATREBATEN.

EPIST. I.

Conciliatoria, qvâ se, cùm sermone Panthagathi, tùm oratione ejus in Cameracensi Synodo habita, impulsum, scribit, ut aliqvam voluntatis suæ significationem daret. Deinde lætatur, ipsum de studiis suis optimè sentire, idq; omnibus opibus præfert. Tertiò hortatur eum, ut scriptis suis benè de Rep. Christiana mereri pergat. Et denique suum illi studium in virtute ejus celebranda prolixè defert.

For-

Formul. In te ornando & amando nulli cedam. Me tamen ita animatum. (A)

Form. Deferendi alicui suum studium. A me velim. (B)

CUm antea tibi, ex hominis mihi amicissimi, tuiq; studiosissimi, singularis viri Octavii Panthagathi, sermone, tribuebam plurimum, ac te, nondum mihi facie notum, colere tamen, & diligere non vulgariter cœperam: tum verò, ùt legi orationem tuam, nuper habitam in Synodo Cameracensi, qva nescio an qvidqvam adhuc viderim præstantius, dici vix potest, qvantum ad meum de te judicium, qvantum etiam ad amorem accesserit. Vidi enim, ùt in tabella pictam, atqve expressam, ingenii doctrinæq; tuæ imaginem excellentem: qvam intuens, amore tui sum incensus incredibili, sic, ut ardentius esse nihil possit. Et, qvanqvam assiduis distinebar curis; feci tamen; studio scilicet impulsus; ut his tibi literis aliqvam voluntatis in te meæ significationem darem. Nam etsi tu is es, cujus virtutes, qvasi pleno theatro spectatæ, jam ita notæ sint, ut nec augeri cujusqvam præconiô, nec minui vituperatione possint: (A) me tamen ita animatum, esse velim existimes, ut, cùm multi certatim te ornent laudibus, ego tamen in eo vel principatum appetam, vel superiorem, certè feram neminem. Nam, qvòd te de studiis meis non pessimè sentire, & Joannes Richardotus, præclarâ indole juvenis, natus ad omnem laudem, planeq; te avunculo dignus, affirmat, & literæ tuæ, ad illum scriptæ, singnificant: valde triumpho, atq:

istam opinionem, mihi crede, beatorum hominum copiis, atqve opibus non comparo solùm, verùm etiam antepono. Qvid enim optabilius, qvàm iis placere, qvorum virtus, & vita tum principibus viris, tum etiam populo placet universo? Qvid autem accidere cuiqvam possit illustrius, qvàm à te laudari, qvi ita vivis, ut nihil agas, nihil expetendum putes, nisi cum eximia laude conjunctum? Notum enim genus est institutorum tuorum, nota industria, notæ curæ pro salute animarum vel tuendâ, vel recuperandâ. Scimus, qvos ex ingenio tuo fructus Atrebates tui partim jam colligant, partim etiam exspectent: dicerent, nobis invidentibus, si aut in Christianum invidia caderet, aut ex eo genere virtus esset, qvæ non longè distribui, non communicari passim facilè posset. Qvod cùm ita sit; non committam tamen, ut te horter, ut ad nos qvoqve tua scripta pervenire velis. Qvod enim publicè profuturum videtur, in eo neq; cujusqvam hortationi bonitas tua, neq; consilio prudentia locum relinqvit. Lætabor potiùs, qvòd ea sis & voluntate, & virtute præditus, ut optimè de Christiana rep. mereri, eamqve miseris temporibus labefactatam confirmare maximè possis. Qvô factô, inibis maximam gratiam ab omnibus bonis, tibiqve perennem gloriam, & ea, qvæ summis meritis proposita sunt, præmia conseqvêris. (A) A me velim, si qvid tuâ, tuorumvé causâ præstare possim; qvanqvam, & qvàm tu firmus ab omni re sis, & qvàm ego imbecillus, intelligo; veruntamen, si acciderit, ut vel amplitudini, gloriæq; tuæ, vel eorum, qvi tibi

bi cari sunt, commodis servire possim; exspectabis eadem à me, qvæ soles ab iis, qvorum valde cognitam habes fidem, benevolentiam, observantiam. Dabo operam, & assequar, ut spero, ut opinioni tuæ officia mea respondeant. Studium qvidem, si res poscet, exstabit ejusmodi, ut nec obscurum esse, nec mediocre videri, possit. Vale. Romæ, prid. Id. Sept. M. D. LXV.

NICOLAO GOTIO, EPIDAURUM.

EPIST. II.

Respondet officiosæ Epistolæ Gotii, & eam laudat ab elegantia Romanæ linguæ, sibiq; de amicitia illius gratulatur, gaudetqve rationem suorum studiorum ab illo probari.

Form. Felicem me judico. Cum qva, mihi crede. (A)

MUlta virtus præmia, sed nullum habet seipsa præstantius. Itaqve, nisi teipsum prorsus ignores, valde te lætari necesse est, mi Nicolae, tum doctrinâ, tum etiam eloqventiâ tuâ: qvarum alteram ex hominis mihi amicissimi, cujus testimonio plurimum tribuo, Pauli Bosii literis jampridem habeo cognitam; altera sese ostendit in epistola tua, sic, ut speciem egregiam veteris Romanæ linguæ propemodum in te uno mihi videar agnoscere. Qvocirca patriæ tuæ gratulor, qvam præclaris institutis, opibusqve florentem præcipua qvadam scientiæ tuæ gloriâ nobilitas. Gratulor etiam mihi de amicitia tua: cum qva, mihi crede, neq; Regum opes, neq; ulla omninò fortunæ bona confero,

ro. Nec verò Imperatores illos veteres, qvorum bellica facta historiæ celebrant, tantam è suis triumphis, atq; ex insigni illa laurea cepisse voluptatem existimo, qvantam haurire me sensi, cùm eam partem legerem literarum tuarum, in qva, rationem studiorum meorum probari tibi vehementer, significas. Qvod si tu aliter sensisses; mutassem institutum: meq; ad consilium tuum, tuaq; præcepta totum contulissem. Et, qvoniam, qvid præstare possis, video; cupio, te aliqvid mandare literis, qvod ad posteros perveniat. Plura vellem, sed avocant negotia. Unum illud addam, te mihi esse in oculis, idq; tuo meritô. Ferus enim, ac ferreus nimis est, qvi te amori singulari non amat, tot præditum suavitatibus ingenii. Ego tibi à me singularem benevolentiam & perpetuam tui nominis observantiam polliceor. Vale. VI. Id. Sext. M.D.LXI.

JOH. SARIO ZAMOSCIO, PATAVIUM.

EIPST. III.

Officiosa, qva significat, se rogatu Sigonii Zamoscium Muscovio commendasse, ac lætatur hanc sibi datam facultatem, amicitiæ cum ipso per literas ineundæ: qvæ, etsi qvidem major futura esset, si communicatio sermonis accedederet: tamen cùm id rationes utriusq; non ferant, hortatur Zamoscium, ut Sigonii præsentis consvetudine fruatur, & se absentem diligat.

Form. In te amando nulli cedam. Itaq; statue. (A)

Laus Sigonii. (A)

Sæpe

SÆpe mihi antea literæ Caroli Sigonii, cui qvantum tribuam, non ignoras, præclarum & humanitatis, & ingenii, doctrinæq; tuæ testimonium dederant: itaqve te eram complexus amore non mediocri, sic ut faverem tuæ laudi mirabiliter, idq; ut ipse illustri aliqvo signo intelligeres, vehementer cuperem. Ut optabam, ita contigit. Nam, cùm tu animum induxisses, valere me gratiâ apud Petrum Miscovium, florentem virum honoribus, opibus, omniqve virtute; facilè impetravit à me Sigonius, cùm tuo nomine rogaret, ut ei te commendarem literis, qvàm possem diligentissimè. Verùm, ùt est Miscovius in liberales doctrinas egregiè animatus, & ingeniorum existimator intelligens: non dubito, qvin tibi plus apud eum virtus tua, qvam mea commendatio profutura sit. Utut erit, ego mihi interim facultatem esse datam testificandæ benevolentæ in te meæ, etiam atq; etiam lætor. Qvod ita velim interpreteris, ut accepisse me beneficium, non dedisse existimes, qvando hinc vel orta inter nos, vel certè aucta amicitia est, & mutuò jam literarum qvasi pignore confirmata. Qvod si ad hanc animorum consensionem, qvâ tamen conjungi absentes videmur, communicatio sermonis & suavitas consuetudinis posset accedere; id qvod forsitan optamus pariter, sperare mihi per meas rationes, tibi per studia tua, non licet: præstantes, opinor, fructus caperemus eorum studiorum communione, qvæ, qvi verè sapiunt, sola esse instar vitæ putant; qvanqvam hanc mihi aliqvantò iniqviùs, qvàm tibi, ferendam esse jacturam intelligo. Tu enim

enim istic & abundas otio, cujus mihi fructus, nisi commentarer interdum aliqvid antelucanis horis, planè eriperetur omnis: (A) & cùm te Sigonio nostro, humanissimo viro, non iis modò artibus, qvæ specie qvadam alliciunt, & defessum gravibus curis animum recreant, verùm etiam iis, unde ratio sumitur, & moderatio vitæ, instructissimo, totum, ùt audio, dedideris, mihi crede, non est; qvod aliunde qvidqvam petas, aut cujusqvam præterea vivam in hoc genere vocem desideres. Qvare istô bonô fruere, dum licet: in qvo tamen admonitionem, & consilium meum prudentia tua non exspectat: atqve hôc eqvidem nomine tibi plurimùm, ùt debeo, gratulor: me verò absentem dilige. (B) Itaqve statue de mea voluntate, ut multos credas usu, & familiaritate, qvotidianisqve officiis conjunctiores tecum esse posse, qvàm me; amore autem, & studio prorsus neminem. Vale Romæ. Kalend. No. M. D. LXI.

PETRO MISCOVIO.

EIPST. IV.

1. Cessationem suam in officio literarum excusat à variis & qvotidianis occupationibus, qvibus in editione sacrorum libb. distineatur. 2. Deinde fretus amicitiâ, qvæ sibi cum ipso intercedit, commendat illi Zamoscium, eumq; rogat, ut suâ & Sigonii causâ illum sibi commendatum habeat.

Form. Commendandi. Suspice igitur. (A)

A qvo die, accitus à summo Pontifice, ad Urbem veni, otioso nunqvam esse mihi licuit: & qvan-

qvantum divino, eadem perpetuò erunt omnia: neq; verò salutationibus qvotidianis, qvarum pleræqve mihi qvidem voluntariæ sunt, necessarias qvasdam aliis ambitio facit, valde me deditum esse, velim existimes. Valeant hæc, & si qvid est generis ejusmodi: ego in ea cura, qvam suscepi, ut emendati edantur sacri libri, mihi esse hærendum intelligo; & eò magis, qvòd ad res præclaras communemq; animorum utilitatem, ita Pontificis voluntas incumbit, ut excitet studia multorum, eaq; intermitti, aut langvescere non sinat. Qvæ si tibi, ùt arbitror, jam nota sunt; non dubito, qvin me cessantem in officio literarum, omni vel negligentiæ, vel oblivionis amicitiæ inter nos institutæ culpâ liberes. Sin ex me primùm hæc accipis: æqviorem saltem in posterum te mihi præbere debebis, & existimare id, qvod res est, me tibi ex iis, qvos in longinqvis terris viventes, similitudine mihi studiorum conjunctos, libenter cœpi diligere, præcipuam uni præstare memoriam, atq; observantiam; nec mei jam in hoc officio dissimilem esse posse, qvando tu qvoq; ùt audio, qvotidie tui similiores, id est, earum virtutum laude præstantior, qvarum fama tibi multos non mediocri voluntate, me verò aliqvot abhinc annis planè singulari studio devinxit. Ac vide, qvid verus amor valeat. Ego, cùm tibi me comparare nullâ re audeam, ne utrumqve nostrûm videar ignorare; tamen, cujus in te animi sum ipse mihi conscius, in eo te respondere, libenter credo. Fert hoc humanitas, postulat consvetudo tua, exigit etiam amicitia nostra, cujus eqvidem re-

recreor memoriâ, honestor etiam nomine. Hac spe fretus, à te peto, ut Johannem Sarium Zamoscium, qvi hanc epistolam cum suis literis ad te mittet, ita complectaris, ut meam commendationem, qvod ille sibi persvasit, valuisse plurimum intelligat. Est in familiarissimis, atq; intimis Caroli Sigonii: & excellit, ipso teste Sigoniô, moribus, ingeniô, omni deniq; indole virtutis. Jam, qvæ mihi cum Sigonio intercedat necessitudo, qvanta studiorum, animorumq; conjunctio, qvàm consentiamus in literis, aut qvàm svaviter interdum dissentiamus, ùt ego mihi illum semper antepoſuerim, ille mihi semper tribuerit plurimum, utriusqve scripta declarant. (A) Suscipe igitur, si qvid non modo meâ, verum etiam Sigonii causâ vis, & orna, qvantùm potes, excultum doctrinis juvenem, præstantis animi, natum ad patriæ suæ decus, tui verò mirificè studiosum, atqve peramantem: nos enim simul in illo ornabis testimonio benevolentiæ tuæ, qvam cognosci à qvamplurimis, & nos aliqvid apud te esse, qvia vehementer hoc ad nostram laudem pertinet, propterea vehementer cupimus. Vale, & Patricio meo, nisi grave est, salutem meis verbis plurimam. Romæ XIV. Kal. Octobr.

M. D. LXI.

JOHAN. SARIO ZAMOSCIO, PATAVIUM.

EPIST. V.

Gratulatur Zamoscio, de benevolentia Miscovii suis literis ipsi conciliata, eumque tectè monet, ut literas humaniores colere pergat.

EST, cur gaudeam, capere te fructum aliqvem ex iis literis, qvas ad ornatissimum virum, Petrum Miscovium, de te scripseram. Qvanqvam hanc ego jam lætitiam animô præceperam, qvippe qvi & Miscovii præstantem humanitatem cognitam haberem, & in te ipso esse multa, qvæ amorem concilient, non ignorarem. Qvod si te nobis, id est, alienioribus, tua virtus ita commendat, ut cupiamus tuâ causâ, qvidqvid possumus: cur eadem virtus omnia tibi à tuis, nullâ cujusqvam commendatione, non impetret? Hoc teqvoqve existimare, cùm intueor studia tua, facilè mihi persvadeo; nec dubito, qvin, ex qvibus artibus manant hæc, qvæ tibi proposita sunt, qvæqve adeptus in summo splendore ac dignitate vives, eæ tibi artes cariores qvotidie sint, cùm præsertim excellere te intelligam industriâ, doctrinâ, eloqventiâ, sic, ut alios tua laude commoveas, exemploq; doceas, malè suis rationibus consulere, si qvem à sempiternis præmiis paucorum annorum labor avertat. Patricius denuo cupit Venetiis imprimi sua Fragmenta. In ea re meam operam videtur exposcere, nec mihi voluntas deest: amo

enim hominem amore non vulgari: sed, absens qvid possim, non video, nec libenter suscipio, qvòd, si parum succedat, amici animus offendatur, & ego illius angar molestiâ. Scribam tamen ad eum, cùm vacabo. Nam nunc occupationibus valdè urgeor. Vale. Romæ.

JOHANNI TURRITIANO, SERMONETAM.

EPIST. VI.

Inter varias occupationes respondet officiosæ Epistolæ Turritiani, & lætatur, qvòd propinqvitate locorum conjuncti majores mutuæ benevolentiæ fructus per literas capere possint. Deinde narrat, qvid de illius statu ex Gambara audierit, & suum illi statum exponit.

Form. Causas scriptionis allegare. Etsi eram valdè. &c.

ETsi eram valdè districtus earum rerum curâ, qvæ ad sacrorum librorum editionem pertinent: cui toti muneri, me esse à Pio IV. Pontific. Maxim. non contemnenda conditione præpositum, credo te audivisse: tamen, acceptis literis tuis, humanissimè scriptis, & elegantissimè, vicit occupationes meas, nec à me responderi nihil est passa recordatio nostræ veteris amicitiæ, qvam à virtute ortam eadem postea virtus aluit, atq; conservavit. Ego te, mi Turritiane, qvô primùm die cognovi, dignissimum duxi, qvem omnes homines in oculis ferrent: itaqum delectatus ingenio

tuo

tuo; ita doctrinam, ita mores probavi. Consvetudinem tuam, atqve usum inter nos assiduum, cùm vehementer expeterem, per utriusqve rationes consequi non licuit. Nunc sive casus, sive nostra voluntas ita tulit, ut ego Romæ, tu Sermonetæ viveres; lætor plurimum hac locorum propinqvitate, & spero futurum, ut majores mutuæ benevolentiæ fructus, si minùs præsentes, literis saltem consequamur. Ego tibi omnia, qvæ potero, diligenter officia præstabo; memoriam qvidem, & benevolentiam, ùt debeo, singularem. De tuo statu audieram antea sæpè à Laurentio Gambara; proximis autem diebus à familiari tuo, juvene svavissimis moribus ornatô, cognovi ea, qvæ mihi lætitiam attulerunt incredibilem: valere te gratiâ, & auctoritate apud Sermonetanum Cardinalem omni laude cumulatum, ejusqve fratrem, Bonifacium, Principem, majorum suorum virtute simillimum: in Auditoris munere nunqvam te à jure, & æqvitate discedere, consequi tamen humanitate, & ingenii præstantiâ, ut summis, & infimis carus æqvè jucundusqve sis: filiolum te habere indole optimâ, qvem patris domestica virtus ad verum decus excitabit. Hæc de te, ùt optabam, qvæ spero fore perpetua. De me, præter ea, qvæ ab aliis accepisti, nihil ferè habeo, qvòd significem. Valeo satis commodè: filius discit apud me diligenter: nec pœnitet, qvantum proficiat: vivimus, mediocri fortunâ contenti. Vale & clarissimo Principi, cujus ego parentem, cùm viveret, avum autem pater meus omni observantiâ coluit, salutem

plurimam, officioſè manum oſculatus, meis verbis dices. Romæ, VI. Id. Nov. M. D. LXI.

ANDREÆ SYLVIO, VENETIAS.

EPIST. VII.

Hortatur Sylvium, 1. ut in Horatiana interpretatione pergat, 2. ut Romam ſe conferat, qvòd ibi certior. & majora bonis artibus præmia ſint propoſita, qvàm alibi locorum.

VIx credas, mi Sylvi, qvàm ſæpe in magnis occupationibus tangar deſiderio tui. Non enim tuæ ſuavitatis, non ingenii, non etiam pudoris ingenui, qvô delector in primis, exemplum facilè reperio. Moveor etiam promiſsô illô tuô interpretationis Horatianæ, de qva te abſentem interdum admonere poſſum, præſentem qvotidiè appellarem, ac penè conviciô exigerem. Qvis enim, qvi de poëtis modò judicare aliqvid poſſit, uni inter Latinos omnes Horatio, vel acumine ingenii, vel ſententiarum gravitate, palmam non tribuit? Qvis igitur non magnoperè tuarum lucubrationum cupiditate capiatur? Dixeras, velle te omnia, qvæ ille à Græcis plurima transtulit, ut ſuam poëſin, tanqvam auro purpuram illuſtraret, diligenter colligere, oculisq; omnium, ut imitandi ratio pateat, ſubjicere. Totum opus erit egregium: ſed hanc maximè partem, in qva non admodum aliorum elaboravit induſtria, à te homines eruditi vehementer exſpectant, & augetur exſpe-

exspectatio sermonibus meis. Qvare velim, si qvid ego apud te sum, vel potiùs, si tibi ipse carus es, ad urbem te conferas ineunte vere. Nusqvam certiora, aut majora bonis artibus proposita sunt præmia. Aliis in locis, tanqvam peregrina, procul adspicitur virtus: hîc statim colitur, ùt domestica complexu excipitur, fovetur sinu. Qvis autem ipse sibi tam iniqvus esse velit, ut, ubi aliqvem possit, atqve adeò maximum suorum laborum, & vigiliarum fructum ferre, ibi non & sedem ponere, & perpetuam vitam ducere animum inducat? Exempla ne qværas: undiqve enim suppetunt. Hæc tantùm scripsi raptim, in magnis temporis angustiis, ut intelligeres, me esse memorem amicitiæ nostræ, & cùm assiduis distinear curis, de tuis tamen commodis, & ornamentis cogitare. Vale Romæ. Idibus Non. M.D.LXI.

JOANNI BAPTISTÆ TITIO, FLORENTIAM.

EPIST. VIII.

Facit Titium certiorem de variis rebus Romanis; item de suo statu & Typographia.

Cùm, qvid ageres, ignorarem, nec jam, ut ingenuè fatear, tui desiderium satis ferrem: qvippe tua mihi suavitas, tuum ingenium, tuæ literæ sæpe occurrunt: amore sum impulsus, ut hæc in magnis occupationibus ad te scriberem. Et, ut ordiar à rebus Romanis, id primùm cognosce, tranqvilla hîc esse omnia, nihil turbulenti, nihil adversi: civitas qvotidie magis hoc Pontifice re-

viviciſcit. Ita non modò ipſe excellit juſtitiâ, pietate, beneficentiâ; verùm etiam ſuos omnes, egregiæ illos qvidem ad virtutem indolis, veruntamen ſuô etiam exemplô, qvales eſſe debent, tales præſtat. Qvod in magna poteſtate, rerumqve copiâ qvàm non facilè contingat, utinam veteribus tantùm, non etiam recentibus exemplis cognitum haberemus. Multis locis ædificatur ſtrenuè: nam Pontifex, ut præſtanti animô eſt, antiqvæ illius Romæ ſpeciem eximiam, & formam cognitione, ac mente complexus, excitari præclara monumenta, vias reſtitui veteres, novas muniri, aqvas etiam à longinqvis fontibus impensâ maximâ in urbem duci jubet. Qvæ cùm erunt abſoluta, nihil adſpectu pulchrius, nihil magnificentius, aut etiam commodius eſſe poterit. Ego, qvanqvam tum aliis rebus, tum officio ſalutandi moleſtiſſimo qvotidie ferè diſtineor, jucundè tamen ſatis vivo: ſi modò homini, ſcientiæ cupido, ſine librorum uſu, qvô careo perinvitus, jucundi qvidqvam eſſe poteſt. Præla noſtra, comparatis jam ferè omnibus rebus, qvæ ad imprimendum pertinent, propediem in officio erunt, & à Cypriani epiſtolis, qvod felix, fauſtumqve ſit, initium fiet. De tuo ſtatu exſpectabam omnino aliqvid ex literis tuis; idqve poſtulare videbatur amicitia noſtra: ſed, cùm ea ſpes me fefellerit, noluí committere, ut viciſſim ipſe officium meum deſiderare poſſes. Vale, & ſalve à filio meo, cui raptim hæc manè dictavi, cùm in Vaticanum, negotii

tii causâ, properarem. Romæ, Nonis Decembris, M.D.LXI.

JOHANNI TURRITIANO, SERMONETAM.

EPIST. IX.

Rogat Turritianum, ut se excuset Principi Cajetano, qvòd non possit ejus filium informare, his argumentis: 1. qvòd aliis id deneget. 2. Qvòd propter occupationes publicas neqveat huic rei vacare. 3. Qvòd informatio hæc reqvirat maximam diligentiam: cùm in tot occupationibus neqveat mediocrem præstare. 4. Qvòd suum ipsius filium non amplius informet: &c.

Form. Deferendi alicui suum studium in rebus, qvas possit præstare. Eiq; de meo sensu. (A)

IN magna jucunditate, qvam tua mihi attulit Epistola, molestiæ nonnihil, ac doloris adsperſit illa pars, in qva Bonifacii Cajetani nomine, Principis egregii, cujus causa velle me omnia, atqve etiam debere confiteor, accuratè petis, ut ad ejus filium liberalibus excolendum disciplinis conferam studium, & industriam meam. Qvod idem antea cùm & sæpe, & vehementer peterent Cardinales aliqvot, optimè, de me meriti, invitus eqvidem, tamen pernegavi: neqve verò ob eam causam, qvia privatim docere, præsertim in urbe Roma, dignitatem non habere, arbitrantur multi: qvod mihi qvidem videtur secus: qvod enim scire honestum est, id cur docere turpe sit, non intelligo: sed multò magis, qvia publici muneris

cura, libenter à me pro communi utilitate susceptа, vacui sanè temporis minimum relinqvit: &id ipsum, qvod relinqvitur, jure qvodam suô sibi postulant, atqve exigunt studia mea. Qvanqvam ab his me sæpe vel salutandi necessitas, vel amicorum avellit interpellatio. Ita traducuntur dies. Honestè, inqvies. Fateor. Addo etiam, satis jucundè. Non enim me μισάνθρωπον qvendam, abhorrentem à consuetudine hominum, & humanitatis expertem, natura finxit. Veruntamen cum illâ, tibi non ignotâ, studiorum nostrorum suavitate voluptatem nullam comparo. Qvod si nobilissimi adolescentis conformandum optimis artibus ingenium susciperem; valdè mihi cogitandum esset, qvid patri ejus, & patruo, qvid etiam avi memoriæ, qvem colui studiosissimè, qvid familiæ claritati deberem. Sæpe mihi occurreret mea fides & susceptі ratio muneris, & hominum qvoqve opinio, cui serviendum esse non ignoras. Qvæ profectò, vel singula tanti sunt, ut maximam à me diligentiam flagitare videantur: cùm in hac tot rerum occupatione tantâ ne mediocrem qvidem præstare possim. Filius meus, cui te bene ominari gaudeo, meâ voce jam, qvâ qvotidiè ferè aures ejus antea personabant, in discendo non utitur. Sic enim in utrâq; versatur Lingua, ut suô jam studiô potiùs, qvàm nostrâ proficiat industriâ. Qvare velim eô te esse locô fingas, qvô ego sum: &, si nec officii me putas ignarum esse; nec obstare, qvò minùs officio satisfaciam; voluntatem vides; tribuas hoc ami-

amicitiæ nostræ & æqvitati tuæ, ut causam meam apud optimum Principem diligenter agas; eiqve de meo sensu (A) & studio ita fidem facias, nihil ut sibi tàm esse deditum sentiat, qvàm operam omnem meam, atqve curam; nec malle me qvicqvam, qvàm ejus, cùm possim, obseqvi voluntati; &, cùm non possim, vehementer angi. Hoc tu cura, & perfice, si me gravi sanè solicitudinis onere levatum vis. Facilè, ut opinor, vel humanitas illius, vel ratio ipsa, qvod cupimus, impetrabit. Idqve à te, ne videar humanitati tuæ diffidere, pluribus verbis petere non debeo. Vale. Romæ, XVI. Kalend. Januar. M.D.LXI.

COLÆ ANTONIO CARACCIOLO MARCHIONI VICI, NEAPOLIM.

EPIST. X.

Consolatur Caracciolum de obitu avi, qvem non lugendum dicit, propterea, qvòd nihil sit in hac vita exoptandum, qvod illi non divinò munere contigerit: vita longa, virtus, opes, amicitia. &c. Deinde ipsum monet, ut avitas virtutes imitetur, & qvam ingressus est gloriæ viam, per eam celeri cursu pergat.

Form. pollicendi alicui præconium laudum. Ibi: Me qvidem perpetuo. (A)

AVum tuum, Marchionem Vici, virum omni laude cumulatum, vitâ excessisse, amicorum literæ significant. Qvô eqvidem nunciô primùm

vehementer sum commotus, cùm mihi veniret in mentem doloris tui, qvem ex illius interitu, conspectu erepto carissimi hominis, & fructu amisso maximarum virtutum, qvibus in vita excelluit, jure suscepisti: deinde, ut me collegi, occurrebant multa, qvamobrem animus meus à mœrore abductus, non mediocri solatiô conqviesceret. Qvid enim est in hac vita exoptandum: Vita ipsa, dixerit aliqvis. Num qvid præterea? Virtus & bona existimatio, sine qvibus ipsum vivere sapientibus jucundum non est: amplæ fortunæ, qvas Peripatetici non neglexerunt; amicitiæ, qvarum usus in secundis rebus delectationem, in adversis utilitatem semper, interdum etiam salutem affert. At hæc avo tuo, divinô qvodam munere, omnia contigerunt, qvi & ad ultimam ferè senectutem vitam perduxit, & sempiternam laudem, militari scientiâ, ac fortitudine partam, posteris reliqvit; opibus autem non abundavit solùm, verùm etiam optimè usus est; amicitias, & clientelas, officiis, & liberalitate qvæsitas, coluit diligentissimè. Qvæ cùm ita sint; non tibi dolendum est ejus interitu, qvem sciebas natum esse mortalem; sed lætandum potiùs, qvòd ita vixerit, ut minimum ei mors, qvæ multorum nomina cum corporibus exstingvit, adimere posse videretur. Vivet enim avus tuus, vivet, inqvam, in hominum memoria, qvamdiu probitati, consilio, virtuti locus erit. Atqve ille qvidem lætari vehementer solebat, cùm te nepotem suum, omni decore florentem, hæredem sibi futurum cerneret non

earum

earum modò rerum, qvæ fortunæ bona dicuntur, sed etiam virtutis, ac sapientiæ, qvæ neqve à fortuna dantur, nec eripientur unqvam. Itaqve debes eniti, & curare, qvod te jam egregiè præstare audio, ut ejus in te virtutes agnoscantur: & qvam veræ gloriæ viam jam ingressus es, per eam celeri cursu eodem pergas. Sic enim brevi ad ea, qvibus jam bonis omnibus mirificè faventibus, ac lætantibus, appropinqvas, immortalitatis præmia pervenies. Me qvidem perpetuò (A) præconem laudum tuarum, si qvid mea vox valeret, fore pollicerer: studio tamen, & conatu, si minùs re ipsa licebit, fortasse consequar, ut, qvæ mea sit erga te observantia, qvæ de tuis virtutibus opinio, qvæ tua simul in me merita, homines intelligant. Vale. Romæ, pridie Kal. Martii, M.D.LXII.

JOH. ANTONIO SERONI, NEAPOLIM.

EIPST. XI.

Respond. ad Laudatoriam, in qva 1. se excusat de prolato respondendi officio. 2. Laudes in se plena manu congestas non agnoscit, sed eas in ipsum transfert. 3. De doctrina illi gratulatur, & ipsum monet, ut aliqvid literis mandet, qvod posteritas in manibus habeat.

Form. excusandi se de silentio. Etsi non dubito, &c. (A)

Form.

Form. Imparem se referendæ gratiæ fateri: Ibi: Qvibus in rebus gratiæ &c. (B)

Form. laudem non agnoscere: Qvod ad laudes attinet, *per totum* (C)

Form. Polliceri alicui studia sua. Ibi: Qvod reliqvum est. (E)

Form. Dubitandi, utrum majorem lætitiam, an molestiam ex amici literis acceperit. Ibi. Vix possum constituere. (D)

ETsi non dubito, (A) qvin tu, pro tua prudentia, qvibus assiduè distinear curis, & qvæ negotiorum onera sustineam, præclarè intelligas: tamen peccasse mihi videor, nec à me ipso veniam facilè impetro, qvi acceptis literis tuis, humanitate simul, & ingenio conditis, respondendi officium ad hanc usqve diem protulerim. Hac enim me esse mente, velim existimes, ut nihil aut à fortuna conseqvi, aut ab industria possim, qvod tui similium amicitiis anteponendum putem. Itaqve nullius mihi non modò culpæ, sed nec erroris conscius, magno tamen in dolore versor. Appellasti me prior suavissimis literis, ornasti laudibus: amoris nulla significatio est, qvâ vacaverit epistola tua. Qvibus in rebus gratiæ (B) referendæ facultatem non habeo; studiô tamen, & memoriâ benignitatis tuæ, partes meas facilè tuebor. Qvanqvam, qvod ad laudes (C) attinet, qvas in me plenâ manu congessisti: vix possum constituere, (D) lætitiænè plus, an molestiæ mihi attu-

attulerit judicium de me tuum. Nemo ferè amat, nisi de qvo bene existimat. Cur igitur, à qvo amari vehementer cupio, ei me talem videri, qvalis nunc qvidem certè non sum, atqve utinam aliliqvando esse possim, non vehementer gaudeam? Rursus, cùm ad me ipsum cogtationem converto, meiqve vires ingenii cum opinione tua confero, statim illustrat veritatem ratio, erroremqve mihi tuum cum pudore meo, atqve etiam, ut verè dicam, non mediocri cum dolore patefacit. Qvanqvam, cur ego errare te credam, qvi studiô, & doctrinâ jampridem es assecutus, ut minimè omnium in hoc genere falli possis? Nec servire auribus certè vis, homo ingenuis disciplinis eruditus. Qvid ergo est? Socratem videlicet imitaris, & ironia te delectat. Nam, qvòd tua bona minuis, nostra verò, si qva sunt, auges: amo eqvidem in altero modestiam tuam, in altero humanitatem: verum hoc scito, & patere æqvo animo: me de te ipso contra te sentire, persuasum jam elegantiâ, & subtilitate literarum tuarum: qvas qvi legerit, qvàm longè per eloqventiæ viam processeris, intelliget. De me autem, utinam sententiam tuam scripta mea non refellant: qvibus ut ingenium non defuerit, qvod tu existimas, ego aliter statuo, diligentia certè, qvæ sublevare ingenium potuit, in magnis occupationibus, & valetudinis infirmitate semper defuit. Qvare omitte, qvæso, ironiam istam, & æqva lance utrumqve nostrûm perpende. Ita fiet, ut, qvæ in me ornamenta contulisti, maximam

eorum

eorum partem in te transferas. Ego enim, si qvis voluntatem, vel si etiam industriam in me laudet, facilè patiar; cetera non cognoscam. Te verò, qvanqvam antea eruditissimi, & in primis acuti juvenis, Joh. Vincentii Pinelli testimonio magnopere credebam; tamen, ex una tua epistola, tanqvam ab ungve leonem, planè totum cognovi. Itaqve, cùm tibi de ista præstantis ingenii facultate, doctrinaq; copiâ plurimùm gratulor: tum verò, ut tua bona nôris, id est, ut aliqvid literis mandes, qvod omnis posteritas in manibus habeat, pro institutâ inter nos amicitiâ non hortor solùm, verùm etiam rogo: Qvod reliqvum est, (E) licèt inter bonos haud valdè necessariam officii promissionem existimem, præsertim in ea necessitudine, qvam studiorum similitudo peperit: omnia tamen, qvæ præstare possum, qvæ summa esse cuperem, sed ea tamen, qvæcunqve sunt, in omnibus tuis rebus, minimis, maximis, æqvè tibi polliceor, ac sijam pridem amare cœpissemus inter nos. Hôc enim, & aliis frui privilegiis decet eas amicitias, qvæ à studio virtutis emanant. Vale. Romæ. Kalendis Mart. M.D.LXII.

NICASIO CASLETANO, PATAVIUM.

EPIST. XII.

1. Gratulatur Casletano, qvòd Patavium venerit. 2. dolet, qvòd non priùs venerit, qvàm ipse Romam migrârit. Qvem enim unius tantum diei intervallo disjunctus

junctus fructum amicitiæ capere potuisset, illum jam ex literarum officio qværendum esse. 3. Excusat se de tarditate literarum, nec causam fuisse scribit, cur amicum de literarum infrequentia excusaret. 4. Negat illi literas commendatitias ad Sigonium & Sophianum opus esse. 5. Cupit scire, qvid Patavi agat.

PAtaviumte venisse, qvæ semper urbs officina qvædam est habita doctrinæ, lætor eqvidem communium studiorum causâ plurimùm. Cerno enim jam animô, ubi tu philosophiam cum eloqventia conjunxeris, qvantum ornamenti literis nostris, qvantum splendoris accedet; sed mecum actum est incommodiùs, qvi qvo tempore nobis, unius diei tantùm intervallô disjunctis, præsentes amicitiæ nostræ fructus nullô negotiô capere licuisset, qvô mihi optatius, aut jucundius esse nihil potuit, nunc abesse à te cogar, & omnem suavitatis, delectationisqve nostræ ipem in mutuo literarum officio reponere. Crede mihi, hâc ego curâ vehementer angor: qvippe, cujus imaginem humanitatis, ingenii, eloqventiæ jampridem vidi in epistolis tuis, ac sæpe sum animô contemplatus, ea si propiùs adspicerem, qvâ lætitia, qva voluptate, perfunderer? Valeant, si qvi aut opes, aut honorum insignia, vel illustrium virorum ambitiosas salutationes tanti æstimant, ut hæc bonis, jucundis, sapientibus, id est, tui qvam simillimis amicis anteponant. Accedit ex occupationibus molestia, qvibus impedior, qvo minùs tecum per literas qvàm sæpissimè colloqvar. Qvod

ob eam qvoqve causam ad te scribo, ne mihi vitiô vertas, neve oblivione, aut negligentiâ meâ potiùs, qvàm negotiorum multitudine, factum suspiceris, qvòd paulò seriùs fortasse, qvàm exspectabas, epistolæ tuæ responderim. Nulla enim re magis, qvàm deserti officii memoriâ, crucior, nec tamen ab amicis plus, qvàm commodum eorum, aut etiam voluntas ferat, unqvam postulo. Itaqve, amicum nostrum cur excusares de infreqventia literarum, causæ nihil fuit. Qvidvis enim mihi potiùs persuaderi patiar, qvàm ei me absente effluxisse ex animo, qvem ego præsentem qvibus coluerim officiis, qvæqve ad ejus salutem studia contulerim, optimus ipse testis est. At scribit perqvam rarò, Fortasse aulicæ vitæ consuetudo ita fert. Fortasse etiam, cùm velit, per negotia non licet, vel privata, vel publica: aut, si licet, nostram amicitiam, qvæ satis per se firma est, non modò literis, sed nec ullo prorsus officiô putat esse fulciendam. Qvâ ego qvoqve in sententia sum. Et tamen ita me comparavi jampridem; si qvid ab amicis præter meam exspectationem omittitur, id ne accipiam duriùs; & malim omnia mitiorem in partem interpretari, qvàm committere, ut sanctissima necessitudinum jura suspicio, plerumqve falsa, violare possit. Atqve hæc ipsa, nisi grave est, ad eum perscribas velim: & hoc addas, me, cùm primum Romam veni, de meo statu literas ad eum dedisse; qvas à communibus amicis fideli, & certo tabellario commissas, periisse non arbitror: ab eo tempore novi nihil in meis

meis rebus contigisse, nisi hoc novum videtur: Mihi cum hoc cœlo, cujus multi gravitatem non ferunt, adhuc qvidem optimè convenire. Qvod ei fore jucundissimum, certò scio. Tibi ad Carolum Sigonium, & Michaëlem Sophianum, præstantes viros, mihiqve & studiis, & amore conjunctissimos, cur literis opus esse commendatitiis existimem? qvasi non eorum uterqve, ut doctrinâ, sic etiam humanitate excellat. Et profectò jam tibi ad eorum amicitiam, qvâ vir bonus & studiosus nemo excluditur, aditum aperuit, nullô intercessore, virtus tua; illiqve te cognitum diligunt, tuaqve in primis consvetudine delectantur. Qvâ ego interdum cogitatione ita fruor, ut hac etiam specie felli me sinam, qvasi ipse vestris deambulationibus, & sermonibus interfim. Ego hîc, nisi me noctes aliqvando adjuvissent, caruissem prorsus literulis nostris, qvarum svavitate pascor. Nunc, æqvatô jam noctibus dierum spatiô, vereor, ne non otii, qvantum vellem, relinqvatur. Tu qvàm libenter Patavii sis, qvamqve diu te futurum putes, qvô utaris in philosophia doctore, (nam Genuam, omnium facilè principem, rariore jam dentium ordine, minùs explánatè loqvi ajebant) hæc si ad me scripseris, & simul de singulis publicè intrepretantibus qvid sentias; duplicem fructum capiam, &, qvòd ea, qvæ scire aveo cognoscam, & qvòd ex literis tuis, in qvibus vernaculum illum Romani sermonis leporem, & planè Ciceronianam elegantiam mihi videor agnoscere. Vale. Romæ. IV. Id. Mart. M. D. LXII.

HORATIO CARDANETO, PERUSIAM.

EPIST. XIII.

Respondet ad Conciliatoriam Epistolam Cardaneti, & primò illi gratias agit, qvòd se prior ad amicitiam elegantissimâ epistolâ provocârit. Deinde, par pari se relaturum promittit. Denique illi de elegantia Latini sermonis gratulatur.

Form. gratias agendi. Ibi: Tantum tibi debeo.

(A)

DE virtute rectè sentis. Ea conjungit absentes, & in eos, qvos nunqvam vidimus, amorem conciliat. Qvòd autem, ut me, qvasi aliqvâ virtute præditum, diligeres, adductum te significas: amplector voluntatem tuam: de amoris causâ non disputo. Sit ita, ùt existimas; vel potiùs, existimes, qvod lubet. Nam ego me tibi, qvi sim, nunqvam aperiam; ne de amore in me tuo, qvem video esse non vulgarem, aliqvid atq; adeò multum detrahatur. Ego tibi, primùm qvòd honorificè de me sentias, deinde qvòd id ipsum elegantissimâ mihi declarandum epistolâ putaveris, tantum debeo, (A) qvantum intelligo persolvi à me vix posse. Nam, etsi nullum à me officium, aut studium, qvod ad tuam laudem, aut rem pertineat, desiderari à me patiar: tamen, qvòd tu me prior tuâ sponte ad jungendam inter nos amicitiam provocaveris, par pari referre, vel si omnia tuâ causâ præstem, nunqvam videbor. Qvid, qvòd ista humanitas, qva me tibi devinxisti plurimùm, ingenii,

nii, eloqventiæ, doctrinæqve laude cumulatur? qvæ facilè apparent in literis tuis, itaqve dedi statim eas legendas filio meo: ut exemplô tuô commoveretur, & qvasi tua per vestigia ad eandem gloriam contenderet. Tibi autem vehementer gratulor, qvòd tam præclaram Latinè scribendi facultatem sis adeptus, proprio tu qvidem naturæ munere; verùm nisi accessisset Grifoli mei, viri doctissimi, atqve integerrimi, egregia disciplina, & ad disciplinam studium, & industria tua, nunqvam is fuisses, cui possent invidere multi, similes esse pauciſſimi. Româ discessisse Joh. Baptistam Titium, probum juvenem, & in primis eruditum, antea magnopere dolebam; nunc eò minùs angor, qvòd vos unà esse, & colloqvi de studiis communibus, ex literis tuis intellexi: ex qvo non dubito, qvin fructus ad utrumqve, ùt in literis uterqve excellit, maximi perveniant. Salutem ei meo nomine, si modo adhuc istic est, dices; sin discessit, qvod tuâ causâ nolim, literis adscribes. Vale. Romæ. XI. Kalend. Qvinct. M. D. LXII.

CHRISTOPHORO SAXO, PERUSIAM.

EIPST. XVI.

Conciliatoria, qva testimonio Cardaneti commotus, se ad amicitiam ejus applicat, scriptâ laudat, qvibus adductus ipsum maximis viris comparat, & denique ut oculorum invaletudinem æqvo animo ferat, hortatur.

HOratium Cardanetum, licet ignotum mihi de facie, tamen, ob ejus excellentem doctrinam, & eloqventiam, vehementer diligo. Is mihi disertissimâ epistolâ non vulgarem virtutis tuæ significationem dedit: cujus testimoniô commotus, vel si tua scripta nunqvam legissem, nihilqve ex aliorum sermone de tuis optimis institutis, ac studiis cognovissem, tamen ita statuerẽ, te mihi non modò amandum, verùm etiam, qvantum in me esset, ornandum: si modò ornamenta desiderat virtus tua, qvæ te ipsum jam pridem, istamq; civitatem illustrat. Sed, mihi crede, uberiùs nemo de te, aut honorificentiùs loqvitur; nemo mihi pluris est, qvam Rhetor tuus: cujus facultate, & copia facilè sum adductus, ut comparem te maximis viris, tuâq; causâ, qvæ possum, qvæqve etiam non possum, cupiam. Qvod si credideris: jure à te fieri senties, qvod nunc si facis, tuâ sponte, non meo merito, facis, ut me diligas: & exspectabis à me eadem, qvæ à familiarissimis tuis: qvorum, pro tua probitate, & eruditione summâ, numerum audio esse qvàm maximum. Tuis oculis restitui cupio, vel qvod assiduus librorum usus, vel ætas jam ipsa, ad omnem corporis infirmitatem proclivior, ademit. Tu tamen, qvando animo, ac mente vides ea, qvæ simul cum oculis amitti non possunt, fruere cogitationibus tuis, & forti animo feras hoc, qvidqvid est incommodo. Malum enim, aut calamitatem, qvô tu vocabulô usus es, nunqvam vocabo id, qvod à culpa sejunctum esse crediderim. Vale. Romæ.

†. EPI-

†.

EPIST. XV.

Expostulat cum amico Anonymo, qvòd post annum demum sibi gratulatus sit de Romana migratione; & refutatis qvibusdam causis, qvas hujus suæ tarditatis afferre posset, ponit unam, qvam si is eâ uteretur, cogitur admittere. Deinde honores à se non captari scribit.

NB. Amor non sinit inter amicos officia numerari.

Cùm tuas literas legere cœpissem, in qvibus mihi amantissimè, qvòd ad Urbem migraverim, gratulabaris, primùm accusavi tabellariorum incuriam, qvi eas tàm serò pertulissent: deinde, cùm ad clausulam legendo pervenissem, liberavi culpâ tabellarios, de te cœpi qværere, qvod etiam nunc qværo, qvid consilii tui fuerit, ut, qvi primis diebus, aut etiam primis mensibus adventus mei nullam omnino lætitiæ tuæ significationem dedisses, idem post annum deniq; & eò amplius, omissum antea consilium gratulandi, repetendum putaveris. Neq; enim hanc afferre causam potes, qvòd eõ tempore minùs commodè se haberent Romanæ res, nunc autem in eo statu sint, ut gratulatione dignæ videantur. Nam contrà, qvæ tunc tranqvilla satis erant, nunc turbulenta multi putant: ego tamen, ùt opto, sic etiam auguror, & spero, fretus infinitâ summi DEI clementiâ. & consiliis optimis Pii IV. Pontificis, qvi publicæ qvieti ut consulat, nullum ipse qvietis partem capit, omnesq; suas curas intentô semper animô, tum in Ecclesiæ digni-

tate, tum in communi salute defigit. At metuebas, ne cœli nobis, præsertim gravioris, obesset insolentia. Esto: tamen hunc dissimulari metum decuit: & ego amicissimô homine gratulante, bonum omen libenter accepissem. Mores hominum fortasse, & consuetudo aulica, & hæc propè qvotidiana salutandi necessitas occurrebat: me contrà, otii cupidum, hujus ignarum ambitiosæ observantiæ, qvam hîc veteres incolæ humanitatem, nos inqvilini fucum appellamus, vix putabas hæc probare posse, nedum imitari velle. Qvod si ita est, paulisper, mi † tuam in me benevolentiam possum reqvirere. Partes enim videris eas abjecisse, qvas tibi imposuerat amicitia nostra. Tuum erat, idq; ego sanè exspectabam, vel præceptis erudire me, ad hanc disciplinam aptis; vel si tibi qvoqve hoc artificii genus incognitum est, hortari saltem, ut Romana studia ne contemnerem, habendamqve loci, ac temporis, qvod etiam sapientes probaverunt, rationem putarem. Hæc ego, à te omissa, si essem in exigendis officiis paulò severior, & si id pateretur amor in te meus, jure forsitan expostularem. Sed nihil est tanti: & cupio mihi persuaderi qvidvis potiùs, qvàm, qvô ipse animô erga te sum, eodem te erga me non esse. Ac vide, qvàm non iniq; tecum agam, atqve adeò qvantô æqvior in te sim, qvàm in me ipsum. Ego, si qvid in hâc scribendi tarditate peccatum est, sæpe id utriqve nostrûm pariter adscribo, interdum etiam averto à te culpam, & in me totam transfero. Nam, si tu hoc dixeris, non abjecisse te officium scribendi, sed igno-

ignoratione rerum mearum distuliſſe, exſpectantem qvotidie, ut aliqvid de meo ſtatu, non ex humaniſſimi, optimiq; viri, Pauli Sacrati ſermone, ſed ex meis literis cognoſceres: qvidqvid enim ſcripſiſſem, ad id tuas literas accommodaturum fuiſſe: hoc, inqvam, ſi dixeris, in tuto tua cauſa eſt: neqve ſolùm excuſationem tuam agnoſcere cogar, & probare, verùm etiam, qvod contrà afferam ad amovendam à me culpam, fortaſſe non reperiam. Itaqve abſit omnis qverela: &, ſi qvid offenſum in hoc genere à nobis eſt, viciſſim alter alteri largiamur. Verus amor, ac ſummus, qvo tu me, ut opinor, ego certè complexus te ſum, numerari inter nos, aut perpendi officia non ſinit. Qvod ſi fructum reqvireret amicitia noſtra, qvis eſſet uberior conſcientiâ mutuæ voluntatis? Sed profectò non reqvirit; ipſaqve ſibi fructus eſt, ſeqve ipſam alit, ac ſuſtinet. Atqve eqvidem recordatione ipsâ amicorum meorum ita paſcor, ut in ſecundis rebus nihil jucundius, in adverſis hoc ſæpe maximum ſolatium invenerim. Honores autem illi, qvos tu ſperari à me vis, in qvo adverſantur multa, modicè me capiunt. Qvid enim habent, qvô melior fiam? qvod curandum eſt unum: aut, ſi hoc non habent, cur expetendi? Cur igitur hac ſpecie falli me patiar, aciemqve mentis, homini à DEO datam, ut à malis bona diſtinguantur, inani ſplendore præſtingvi? Illud optemus potiùs, ut honeſti pulchritudinem, nullâ interjectâ rerum humanarum nube, contemplari liceat. Qvod ſi aſſeqvemur, contemnemus ea, qvæ

ceteri mirantur, & in privata vita, minimô contenti, regum fortunam adæqvabimus. Vale. Romæ. IV. Id. Octob. M.D.LXII.

MARIO NIZOLIO, PARMAM.

EPIST. XVI.

Respondet Nizolio, & primò gaudet, se literis ab illo ad scribendum esse provocatum; deinde judicium suum cum illo communicat de libris varia Figurarum & argumentandi amplificandiqve genera complectentibus. Denique commentariis in Epistol. Cicer. ad familiares se finem impositurum scribit horis antelucanis.

DUm aliqvid ad te scribere qvotidie cogito, & tamen diem è die exspecto, spe vacui temporis, non modò ut commodiùs, sed etiam ut uberiùs possem scribere: fecit, ut anteverteret humanitas illa tua, qvam ego conjunctam pari doctrina, in amore, & in ore semper habui: ac mihi qvidem sive ratio ipsa, sive amor in te meus facilè persvadet, ut præreptum abs te officii priorem locum, non solùm æqvô animô feram, verùm etiam gaudeam. Qvid enim mihi aut est, aut esse debet optabilius, atqve jucundius, qvàm, à qvo maximè omnium diligi cupio, eum dare operam, ut id me esse consecutum intelligam? Qvod autem eorum librorum, in qvibus & Figurarùm & argumentandi, amplificandiqve varia genera complecteris, qvasi specimen qvoddam ad me mittendum putasti: sive tu id feceris, ut obseqverere studio

meo,

meo, cùm id me valdè cupere intelligeres; sive, ut eliceres judicium meum, qvòd me velle tuâ causâ multum, posse aliqvid fortasse, hac qvidem in re, animum induxisses; utroqve nomine est sanè, cur te amem, ac tibi debeam plurimum; nec deesse patiar, qvalecunqve est, voluntati tuæ judicium meum. Ego enim, ut verè dicam, istam excellentem ad bene de literis merendum animi tui propensionem ita probo, ut efferam laudibus: agere autem hæc te simul omnia, & implicari tot rebus eodem tempore, qvas curare singulas, & conficere permagnum est, æqvè probare non possum. Nec me fugit, argumentandi, amplificandiqve ratio, præsertim à te tradita, qvem afferre fructum possit; sed Figurarum via, naturâ obscurior, præceptis ad hanc diem minùs cognita, usu certè parùm trita, poscere primô locô videtur lumen aliqvod doctrinæ tuæ, ut ad exoptatam omnibus eloqventiæ laudem certum iter aliqvando unius industria patefaciat. Duo reliqva mox: sunt enim præclara, planeqve studiô tuô digna: interim hoc unum si ages, primùm tibi ipsi laborem valde minues, sine ulla tamen imminutione laudis tuæ; deinde communis desiderii exspectationem, ex inveteratâ jam tua virtutis opinione ortam, explebis aliqvantò maturius. Qvàm multi enim sint, qvi hæc Latinæ orationis lumina nondum viderint, ac ne esse qvidem ulla suspicentur: qvàm pauci verò, qvi, cùm ea videant, imitandi tamen viam, & rationem ignorent; scis ipse omnium optimè, & ju-

dicasti jam ab illo tempore, cùm te hac ipsâ de re confecturum esse artem qvandam, eamq; illustraturum unius Ciceronis exemplis professus es. Nimiùm diu debes, mi Nizoli, qvod olim petentibus à te tribus familiarissimis tuis, tuæqve gloriæ cupidissimis, Petro Bunello, Paulo Magnulo, mihi tunc adolescentulo, sæpè promisisti. Nec tamen urgere te audeo, hominem ætate infirmum, oculis non bene utentem, publico etiam docendi munere districtum: sed meam sententiam de re dicendam putavi: in qvo habui rationem in primis valetudinis tuæ, veritus, ne, cum multa senex admodum susceperis, omnia perferre vix possis: te tempore autem, etsi jam indicavi non tàm, qvid ego, qvàm qvid omnes cuperent, tamen ipse moderaberis ex prudentia tua, & eo qvidem animo, ut, in magna exspectatione nos qvoq; te tuo commodo vehementer laborare, tibi persuadeas. Eqvidem, si me audis etiam illud suaserim, ne ad figuras oratorum similia aggregares poëtarum loca; qvorsum enim? Cum ab uno Cicerone omnis ubertas, & qvasi sylva tùm rerum, tùm verborum sumi possit. Qvòd si poëtis prodesse vis: hoc qvoq; seperatim fiat: benè locabitur industria: nec ego aspernor ea studia, qvæ colui adolescens, & qvorum ope fateor me ad aliqvam oratorii numeri scientiam facilè pervenisse. Nunc elabores velim & hanc unam, & simplicem, omnium, ùt ego sentio, maximam, ac difficillimam eloqventiæ partem. Qvo in genere, sive tu verborum, sive sententiarum ornamenta qværas, non video, cur uno Cicerone con-

contentus esse non possis. Mihi qvidem, cùm immensas ejus opes intentis oculis contemplor, egere interdum ipsa penè Græcia videtur. Certè de nostris, qvi ad eandem laudem adspirare potuerit, neqve fuisse antea, neqve fore qvemqvam puto. Dixi, qvid sentirem, ingenuè pro mea consuetudine, libenter pro amore in te veterrimo, atqve verissimo. Tu qvid statuas, utrum instituta commutes, an ut cœpisti pergas, pro tua singulari sapientia judicabis. Commentarios meos in epistolas Ciceronis, qvæ familiares vocantur, cùm à te exspectari video, augeri mihi animos ad scribendum sentio: & qvanqvam tu non instes: admoneri tamen videor, ut absolvam. Sed hoc nec sine otio fieri potest: &, Romæ otium optare, ejus est, qvi Romam ipsam ignoret, aut, qvi, qvod accidat, universis, in eo sibi præcipuam conditionem sperare solus audeat. Sed, qvia cessamus inviti; & qvia, qvod fuit in opere difficilius, transactum jam est: enitemur, ut reliqva diu non desiderentur. Angustiæ temporis obstabunt: at detrahere aliqvid somno, & conferre ad elucubrandum licebit. Turpe enim nobis est, qvi versamur in artium nobilissimarum studiis, anteluca-nâ vinci leviorum opificum industriâ; præsertim cùm illi nihil, præter ea, qvæ corpori serviunt, & vetustate corrumpuntur, nos animi fructum cum nominis immortalitate qværamus.

Vale. Romæ. IV. Kalend. Decembr.
M. D. LXII.

ANDREÆ

ANDREÆ GOSTINIO, CRACOVIAM.

EPIST. XVII.

Respondet ad epistolam Gostini, & missam ad se ejus orationem laudat ab eloqventia: in qva excolenda, ut pergat, ipsum hortatur: Deinde ipsum de rerum suarum statu certiorem facit, & inter varias occupationes invitum se à literarum studiis divelli scribit.

Form. hortandi: Perge, mi Gostini (A)

Form. offerendi alteri sua officia. Ibi. Ego tibi. (B)

RECtè conjeciſti, obruime planè negotiorum fluctibus. Nam, qvi antea, cùm eſſem Venetiis, vel infimi ordinis hominibus reſpondere ad me ſcribentibus conſvêſſem; ſcilicet Andreæ Goſtinio doctiſſimo, & eloqventiſſimo viro, ſumma apud Principes auctoritate, & gratiâ, humaniſſimè ſcribenti, nihil reſcriberem? Tùm vero me, hominem non eſſe, minimeqve dignum iis literis putarem, qvibus ab ineunte ætate ita meum ſtudium dedi, nihil ut antiqvius habuerim, nihil omninò duxerim præſtantius. Feci tamen in ſummis occupationibus, ut orationem tuam legerem: de qva ſic ſtatuo, ſcriptam eſſe graviter, & ornatè, ſic, ut ex iſta provincia, qvæ nunc egregiis floret ingeniis, tibi comparem paucos, anteponam neminem. Qvo ſanè nomine vehementer tibi gratulor, & liberalibus diſciplinis, qvibus ab iſta eloqventia qvantum ornamenti poſſit accedere, mente jam proſpicio. Perge, mi Goſtini,

(A) per

(A) per eam viam, qvæ te à immortalem gloriam ducit. Nihil optabilius sapienti, qvàm ea qverere, qvæ vulgus contemnit; eos vitæ terminos, qvos natura præscripsit, virtute proferre. Qvod tu potes, & velle debes, &, ut velis, ego te, amicitiæ causâ nuper inter nos institutæ, non solùm moneo, verùm etiam rogo. De migratione nostra video te ex aliorum literis cognovisse. Nunc ex meis hoc scito ampliùs, cum hîc honestissimorum hominum & benevolentiâ, & consuetudine fruar, nec mihi qvidqvam in mentem venerit optare, ac petere, qvòd à summo Pontifice Pio IV. non facilè sim consecutus; angi me tamen, qvòd studiis nostris, qvorum qvæ sit suavitas, ipse optimè nosti, ita divellar, ut ex iis, qvæ pro communi utilitate non pauca eram exorsus, pertexere nihil liceat. Qvam jacturam, fortasse re minimam, tamen, ùt adjuvandas bonas artes animi mei propensio est, fero molestissimè. Qvocirca tibi jam, tuiq; simlibus, qvi mihi voluntate pares, doctrinâ & otiô præstant, cogor tradere vigiliam meam: idq; facio libentissimè, qvi publici commodi rationem ipsam per se, non cum mea laude conjunctam, plurimi semper fecerim. (B) Ego tibi, si qvid operæ navare possum, id totum polliceor, ac defero. Serviam libentissimè, qvantum in me erit,, voluntati, commodisq; tuis. Vale, & Petrum Miscovium, Andream Patricium, singulares viros, qvibus fortasse excidimus, intermissô literarum officiô, rogo te, meis verbis diligenter saluta. Romæ.

FRAN-

FRANCISCO MORANDO, VERONAM.

EPIST. XVIII.

Primò gratias agit Morando, de conciliata sibi Julii Justi Comitis amicitia. 2. De dilata Naugerii profectione scribit. 3. Orationem ab ipso limari probat. 4. De rebus suis quædam adjungit.

Form. Laudare literarum elegantiam. Ibi: Vicit opinionem meam. (A)

Form. Adulationis suspicionem à se amovere. Ibi: Non loqvor ad gratiam. (B)

Form. Laus viri nobilis. Ibi: Huic viro. (C)

EX omnibus officiis, qvæ in me plurima contulisti, qvæ cogitare sæpe soleo, nullum mihi scito pluris esse, qvàm qvòd operam dederis, ut Julii Justi, Comitis omni laude cumulati, amicitiam conseqverer. Nam, etsi antea, testimoniô adductus tuô, præstare eum literis, ingeniô, humanitate existimabam: tamen vicit opinionem meam (A) illius epistola, sanè ita luculenter scripta, ut ad antiqvorum eloqventiam proximè accedat. Non loqvor ad gratiam: (B) neq; id amicitia nostra, nec natura mea patitur. Huic viro, (C) si cum generis nobilitate spectatur virtus, qvanqvam nihil est ipsâ virtute nobilius, qvi præferri possit, neminem video; itaqve illum in oculis fero, ornare etiam laudibus cogito, & meam observantiam, si fieri poterit, apud posteros testatam relinqvere. Tu, si spoponderis ei de me, qvæcunq; ab homine conjunctissimo exspectari solent, gratissimum feceris.

ceris. Naugerius controversiâ qvadam impeditus, tibi, ùt arbitror, non ignotâ, suam profectionem distulit invitus. Nunc nihil obstat, præter anni tempus, qvò minùs in viam se det, qvantum divino. Si Pontifex Bononiam se conferet, de qvo rumor penè raucus factus est, itineris comitem se præbebit: sin minùs, circiter Kalendas Martias, remissione frigoris, discedet. Orationem tuam licere tibi diutiùs, qvàm volueras, limare ac perpolire, non molestè fero; at obtrectatio laudem minuet: qvasi præstare idem, si temporis ad scribendum tantundem daretur, qvivis posset. Tu hoc suspicaris: ego secus. Nam boni, & rectè intelligentes, ipsam rem æqvissimis animis æstimabunt: improbi & imperiti qvid sentiant, laborandum non est. Alioqvi negotium nobis nunqvam deerit. De rebus meis, hoc unum, qvò lætari possis, accipe: frui me multorum benevolentiâ: cetera satis frigent. Causam conferamus in tempora: nam ab hominibus libenter culpam averto. Pontificis qvidem præstantem animum ita variæ itaq; graves distrahunt curæ, ut ignorare multa cogatur, multa etiam delegare aliis, qvi præter suum negotium nihil curant. Valet filius, & res Romanas cupidè tractat, qvibus libellum suum de Orthographia non mediocriter locupletavit. Vale. Romæ. XII. Kalend. Februar. M. D. LXIII.

JULIO JUSTO, VERONAM.

EPIST. XIX.

Respondet conciliatoriæ epistolæ Julii Justi, & 1. benevo-

nevolentiam suam ega ipsum illâ auctam esse, scribit. 2. Laudat illum non tàm à bonis fortunæ, quibus abundat, quàm à bonis animi, quæ adolescens etiam sectatus sit. 3. Ex laudibus in se conjectis duplicem fructum se percepisse scribit, & quòd se jam nosse cœperit, & quòd laborandum sibi sit, ut laudibus illis aliquo modo respondeat. 4. Denique congressum illius exoptat.

FRANCISCUS MORANDUS, vir sanè ita probus, veriqve cultor, ut neminem unqvam fallat: ita ingeniô, doctrinâ, prudentiaqve excellens, ut falli ipse non possit, multa mihi Venetiis, cùm unà jucundissimè viveremus, de tua singulari scientia, integritate, suavitate morum, & eximia qvadam ad omnes artes, nobili viro dignas, propensione sæpe prædicare solitus est. Credebam facilè tali viro affirmanti, teqve amabam vehementer, ejus testimonio permotus: sed qvantò eadem vidi illustriùs, atqve apertiùs in literis tuis, qvas ad me qvò longiores, eò gratiores proximè misisti. Itaqve ad priorem illam voluntatem, qvam in te antea tantam contuleram, ut ad eam accedere nihil posse videretur, accessio tamen ejusmodi facta est, ut eorum studiis, qvi te & summâ, & pervetere necessitudine attingunt, facilè se æqvaverit amor meus. Nec verò me afficiunt illa, qvæ multis prima sunt, familiæ dignitas, amplæ clientelæ, & earum rerum, qvas fortuna suppeditat, copia. Neqve omninò hoc de genere nunc disputo. Optent, si qvi hæc non habent; &, qvi habent, honestè fruantur. Sed, esse qvædam

dam haud paulò præstantiora, qvæ neqve extrinsecus affluant, & semel adscita nunqvam removeantur, qvis, nisi sanæ mentis expers, dubitavit unqvam? Qvæ tu, cùm illa qvoqve possideres, à majoribus parta, à præstante viro parente tuo aucta, ita tibi acqvirenda existimasti, qvasi hæc sola tui juris, vereqve tua propria futura essent, reliqva ad de parùm, aut etiam nihil attinerent. Macte istâ sapientiâ, istaqve virtute. Qvi enim, subductâ rectè vivendi ratione, corpori sè minimum, animo debere plurimum sentit: qvi ita factus, itaqve institutus est, ut imperet iis rebus, qvibus alii serviunt; voluptatem nullam amet, ab honesto sejunctam; ipsamq; honesti speciem ita contempletur, ut in ea totus hæreat: is vitæ fructum capit; is honorum vocabula contemnit, qviqve verus honor sit, & unde manet, qvidqve vera nobilitas à fucata distet, solus intelligit. Hæc te olim videre, ac sentire adolescentem, cùm tibi ipse dux esses in rebus egregiis ita strenuus, itaqve certus, ut nec ætas illa, qvàm plurimos in optimo cursu remorari solita, languidiorem faceret, nec æqvalium error à proposita gloria deflecteret, jure mirabantur multi: nunc isto ductum sensu, istâ incitatum voluntate, mirabiliter adjuvante naturâ, fortunâ nunqvam adversante, cujus etiam commoda, qvibus ad neqvitiam abutuntur multi, ad virtutis usum convertisti, perveniisse ad eam laudem, qvo adspirare pauciſſimis licet, cur miremur? incendi potiùs imitandi cupiditate, & commoveri exemplò debemus. Eqvidem, à qva hora

ra legi epistolam tuam, qvâ nescio, an qvidqvam gravius, aut elegantius adhuc vederim, tantum abest, ut assentatus mihi sim ob eas laudes, qvas in me pleno modio contulisti, ut etiam, si, qvam antea de me ipso opinionem susceperam, qvæ sanè perexigua fuit, planè omnem deposuerim. Qvod si, se ipsum nosse, tanti semper fuit, ut inter saluberrima, humanæqve vitæ necessaria præcepta hoc præcipuè veteres illi Apollinis oraculo tribuerent: qvantum à te habeo beneficium, qvas tibi debeo gratias, qvòd, ut ipse me penitus inspicerem, ac mihi posthac essem notior, effecisti? Neqve hoc simplex lucrum est, qvòd, revocatâ ad veritatem ratione, cœpi me minùs diligere: sed accedit illud, qvod acuisti industriam meam, ut conformarem me, qvatenus liceret, ad judicium tuum, &, qvibus me laudibus ornandum putasti, iis aliqvâ saltem ex parte respondere possem. Qvanqvam, si tu me, qvem ames, dignum jam existimas: cujus præmii spe evigilem, aut qvid laborem amplius? Uberrimum cepi fructum studiorum meorum: nulla mihi merces amicitiâ tuâ præstantior, nulla carior esse potest: in ea tantum pono, qvanti virtutem æstimo, qvam certè omnibus rebus antepono. Congressum nostrum ita exopto, ut tibi non concedam: nec tamen sperare audeo futurum, ut unà esse possimus: nisi si, qvalia sæpe multa contingunt, ejusmodi aliqvid præter spem dies afferat, præsertim publicis rebus ita fluctuantibus, ut mutari multa possint: utinam jacturâ levi, qvod eqvidem spero: veruntamen, si qva

si qva res orbem converterit rationum mearum, lenietur incommodum spe consuetudinis tuæ: Morandi qvidem nostri, hominis humanissimi, atqve doctissimi, convictu domestico, qvotidianisqve sermonibus non dubito qvin perfruar. Vale. Romæ, XII. Kal. Febr. M.D.LXII.

MARIO CORRADO, BRUNDUSIUM.

EPIST. XX.

Qveritur de literarum raritate, qvòd videlicet nec ipse ad Marium, nec Marius ad se crebrò scribat; & utrumqve excusat: se qvidem propter occupationes: illum verò propter modestiam, qvòd nolit sibi rescribendi onus imponere. Rogat autem Marium, ut, si fortè paulò diutius sileat, responsum à se per literas Latinas exigat.

SI mihi omnia planè hîc essent secundissima, qvod utinam aliqvando contingat; adhuc qvidem adversi nihil est, qvod ad rem domesticam & meam, meorumq; valetudinem pertinet: aliqvis tamen in summo gaudio dolori locus esset, qvòd nec ipse ad te, ut interdum Venetiis solebam, præ occupatione qvidqvam possum scribere; & simul fructu careo literarum tuarum svaviſſimo: qvô nihil ferre molestius possum, captus elegantiâ sermonis tui, eâq; maximi erga me amoris significatione; qvæ licet minimè necessaria sit, si qvando tamen in literis elucet, amanti nihil gratius, nihil jucundius est: Qvanqvam hoc ipso nomine, qvòd ad me tam raro scribis, cur ego te, mi Mari, non amem magis etiam, qvàm soleo;

si modò id fieri possit? agnoscò enim modestiam tuam: agnosco humanitatem. Nunqvam tu hoc officium, qvô absentes colloqvimur & cogitatione saltem conjungimur, qvô qvidem utriqve nostrûm nihil optabilius existimo, intermissum esse patereris, nisi veritus esses, ne mihi diligentia tua, curis assiduis distento, rescribendi onus imponeret. Qvod si ita est: cessare tamen te, qvi vacas, prorsus nolim. Mihi verò hoc juris non arrogo, ne nunqvam rescribam: sed hoc, te permittente, sumo, ut in commodô meô fiat. Negligentiâ me peccare in hoc genere non putato. Qvòd si memoriæ meæ parùm confides, & diu responsum tibi à me deberi non patieris, admonebis, cùm videbitur, atq; adeò exiges. Nunqvam mihi in appellando, modô, ùt soles, Latinè appelles, molestus eris: qvin etiam gratiam inibis, qvòd efficies, ut cum aliqvo solvam lucro, crebrò reguştandis epistolis tuis, qvas lego libentissimè. Vale.

EIDEM, BRUNDUSIUM.

EPIST. XXI.

Excusat se de literarum intermissione, & postqvam probavit, suam ergà ipsum voluntatem, & filii observantiam nullo modo mutatam esse, culpam silentii transfert in ipsum Marium, cujus literas, uti & promissa Inscriptiones non acceperit.

Form. Valde te diligo. Ibi: Unicè enim te diligimus. (A)

Form. Respondendi ad object. At nihil ad te literarum. *Ibi.* (B)

Noli,

NOLI, obsecro, secus qvàm debes, & qvàm te dignum est, aut de mea in te voluntate, aut de filii observantia suspicari. Unicè enim te diligimus, (A) sic planè, ut in eis necessariis, qvibus cum qvotidie vivimus, qvosqve in oculis pro summis eorum meritis gestamus, Marium Corradum, qvem nunqvam vidimus, numerare soleamus. Si dubitas, testes dabo. Testes dico? cùm unus instar omnium esse possit. Nam Petrus Perpinianus, de cujus probitate, & doctrina non tu sentis meliùs, qvam ego, ex multis meis sermonibus, qvo tu apud me loco sis, qvantumq; tibi tribuam, optimè conjecit. De filio autem qvid putas? an tenero ejus animo persvaderi qvidqvam posse, qvòd à meo judicio, meaq; consvetudine abhorreat? mihi crede: cum illum egregiis imbui studiis exopto, imitari cum laude possit domesticam industriam: tum hoc volo in primis, & hoc illi præcipio semper, ut amet eos tantùm, qvi virtute excellant, & qvos amari, ac laudari à me senserit. In qvô magnam capio voluptatem, qvòd eum video præceptis meis locum non relinqvere, & in hanc sententiam suâ sponte ita propendére, qvasi propriam in eo sitam esse laudem existimet. Itaqve sumus erga te pariter animati, nec amicitiâ tuâ qvidqvam carius, aut antiqvius habemus: meritò id qvidem: qvid enim te amabilius? qvis te vincit humanitate, literis, eloqventiâ? nostri verò, nisi me signa fallunt, qvæ tamen obscura non sunt, qvis cupidior, aut etiam studiosior? At nihil ad te literarum (B) per tot menses, Vis tu

nos alieni peccati culpam sustinere? Non arbitor te esse tam injustum: neqve hoc humanitas, & consuetudo tua fert. Accusa eos, qvibus id negotii dederas, ut literas ad nos tuas perferrent: qvarum in desiderio diu fuimus, & mirabamur, cùm sis in scribendo minimè impiger, & cùm ad Perpinianum bene longas epistolas mitteres, nos à te, tuos veteres amicos, ne schedulam qvidem, aut literam accipere, cùm præsertim de Inscriptionibus antiqvis à filio meo, qvi M. Brutum in eo imitatur, qvia, qvod vult, valde vult, rogatus esses. Qvare nostram causam debes æqvam judicare, & arbitrari, id qvod res est, si tuas literas, aut etiam sine literis, Inscriptiones accepissemus, nunqvam nos commissuros fuisse, ut officium nostrum desiderare posses. Nam Palia tuus Aldi mei sitim suis promissis incendit, re nondum sedavit. Vale. Marcello fratri tuo salutem dices meis verbis. Romæ, XV. Kalend. Febr. M.D.LXIII.

†, EPISCOPO CREATO.

EPIST. XXII.

Gratulatur Andr. Dudithio de Episcopatu Qvinqveclesiensi, eumqve hortatur, ut hanc dignitatem ad gloriam Dei conferat. (Nomen hujus Dudithii est omissum: qvia Dudithius hic postea abdicavit se Episcopatu, & religionem Evangelicam amplexus, Vratislaviæ domicilium fixit, ibiqve mortuus est Anno 1589.)

Hortandi form. Nisi tuos ad laudem. (A)

Etsi,

ETsi, de futuris rebus affirmare gravitatis, & prudentiæ non videtur: conjecturam enim sæpe fallit eventus, & obscuritatis plena sunt omnia; si qvis tamen eas perseqvitur divinandi vias, qvæ ab excellentibus & ingeniis, & studiis, à cognitâ industriâ, à spectatâ virtute ducuntur: hunc ego opinionis errore nunqvam labi, hunc optimum esse vatem existimo. Qvæ me ratio movit ante aliqvot annos, ut de tua dignitate prædicerem ea, qvæ partim consecuta jam sunt, partim sic à me exspectantur, qvasi longè non absint. Qvid enim agebant, & qvò spectabant curæ illæ tuæ, ab ipsa penè pueritia susceptæ? Qvæ res, qvæ spes tibi proposita fuit, cùm Reginaldi Poli Cardinalis, innocentiâ & literis eximii contubernium, ac domesticam consuetudinem expetebas? Qvid, cùm Lutetiæ, post obitum Poli, Vicomercato, Patavii, Genuæ, præstantibus in Philosophia viris, operam dabas? Qvidqvamne seqvebare præter ea, qvæ qvi adipiscuntur, omni honore digni & habentur, & sunt? Nos qvidem te, amici tui, Patavii præclara studia ita complexum, ut divelli vix posses, cùm & creberrimæ propinqvorum literæ in patriam revocarent, & præsens frater non modò hortaretur ad reditum, verùm precibus etiam peteret, atqve obsecraret, vi propemodum extrusimus, inviti omnino, qvibus carendum te esset, cujus consvetudine nihil svavius; sed ita duximus expedire tuæ laudi: cùm intelligeremus, qvantò futura esset illustrior ingenii tui facultas, ab otio literarum ad res gerendas traducta, præ-

sertim in ista provincia, in qva tibi majorum tuorum virtus tritum iter ad gloriam reliqvisset: isto Imperatore, qvo nemo bonas artes excipit liberaliùs: his etiam temporibus, cùm Christiana Resp. domesticis hostibus vexata, ab iis, qvi eam doctrinâ, probitate, prudentiâ juvare plurimùm possunt, id est, à tui similibus opem poscere videatur. Qvocirca primùm tibi gratulor ob actiones illas Tridentinas, in qvibus ostendisti sæpè, ut audio, pro communi salute lumen animi, ingeniiqve tui; nunqvam inops à consilio in ambiguis rebus, nunqvam in maximis ac difficillimis à constantia relictus: deinde verò, qvòd tantorum meritorum egregiè memor optimus & sapientissimus Imperator non solùm Qvinqveclesiensi te ornaverit Episcopatu, qvi summis viris deferri solitus honor est, verùm etiam ad arcanas res admissum iis interesse consiliis voluerit, unde manat cum CHRISTI gloriâ provinciarum salus, unde proficiscuntur ea, qvæ multis re, exemplô omnibus expediunt. Omnibus enim utile illud est, qvô Principibus Christianis rectè imperandi ratio, & emendatæ disciplinæ formula præscribitur. Atqve eqvidem videre jam videor, & planè conjecturâ prospicio qvalis & qvantus in isto munere, bonorum omnium, beneq; intelligentium sententiâ, sis futurus, tum eloqventiâ, qvâ excellis, tum ratione, prudentiâ, integritate, qvæ in omnibus natura ipsa inchoat, industria perficit in paucis. Qvod nisi ita fore considerem, & nisi tuos ad laudem impetus jam inde ab eo tempore, cùm te mihi qva-

hi qvasi meis informandum sermonibus tradidisti, probè cognitos haberem: facerem id, qvod tu, ut opinor, amori in te meo facilè concederes: hortarer te, & precibus etiam agerem, iisdem scilicet, qvibus agerem cum filio meo, si isto loco esset: ut assiduè cogitares, qvam personam gereres, qvàm gravem, qvàm illustrem, à qvo impositam Principe: qvi cùm suum de te judicium beneficiô maximô declaraverit, beneficium tamen ipsum significatione judicii sui vehementer auxit. Qvid enim putas esse in rebus humanis optabilius, qvàm ei non displicere, qvi nisi Deo valde placeret, valdeqve carus esset, incursione & vi barbararum gentium vastarentur omnia, legibus, moribus, hominibus, urbibus deniqve ipsis extremum impenderet exitium? Multa sunt opinionibus hominum excelsa, atqve ampla: qvæ si qvis conseqvi vult, curas suscipiat, labores perferat, de ipsa interdum vitâ periclitetur necesse est. Hæc tibi, mi †, (meum enim adhuc appello, nec, ut spero, ista mihi te dignitas immutavit) hæc, inqvam, tibi cogitanda non sunt. Nam qvid tu non habes, cùm hoc habes unùm, ut mores, ingenium, studia tua Ferdinandus Imperator probet? Hoc ejusmodi est, ut neqve diu solum esse possit, &, si omnia conseqvantur, omnia tamen unum vincat. Qvare isto bono sic fruere, qvasi fonte & capite bonorum omnium, & qvasi omnium maximô. Tuos verò sensus, tuas actiones in omni vita, non dubito, qvin ad immortalis DEI gloriam conferas. Sic educatus, sic eruditus es. Hanc ego tibi laudem

tribuebam adolescenti: nunc, si verear, ut robustior aliter sentias, ac tui te dissimilem præbeas, faciam imprudenter. Retine igitur institutum, & persuade aliis exemplô tuô, verum decus in bene agendi perpetuitate positum esse: nihil opes ad laudem, nihil præfecturas valere: obsolescere prorsus horum insignia, nisi splendor virtutis accedat. Quod quia te sentire certò scio, propterea tibi ex animo, vereqve gratulor acceßione dignitatis tuæ: &, qvanqvam variis distinebar curis, feci tamen libenter, ut hanc ad te, indicem lætitiæ meæ, testemqve voluptatis, epistolam mitterem. Cui si responderis, jucundum tibi fuisse officium meum intelligam; sin minùs, molestum tamen fuisse nunqvam putabo: & occupationibus hoc tuis, illud amori tribuam. Vale. Romæ, Kal. Januar. M. D. LXIV.

DECIO BRANCALEONI, NEAPOLIM.

EPIST. XXIII.

Respondet Conciliatoriæ Epist. Decii, & 1. se excusat propter occupationes de intermisso respondendi officio. 2. (illum hortatur, vel potiùs) *illi gratulatur, qvòd ætatem illam, qvam alii ad inanes voluptates deflectere solent, ad virtutem conferat; utqve illam mentem DEO acceptam referat, ipsum hortatur.*

Form. Excusandi silentium. Ibi: Nisi tibi nota esset. (A)

Form. Adulationem à se amovere: Nec me putes blandiri. (B)

Nisi

NIsi tibi nota esset (A) occupatio mea, vererer in primis, ne accusares officium meum, qvi literis tuis, amantissimè scriptis, nihil adhuc responderim. Ego, mi Deci, hoc mihi juris assumo cum amicis, ut, si qvid ad eos magnopere non pertinet, à me verò non satis commodô meô fieri potest, omittam interdum, aut in aliud tempus rejiciam. Te verò cur in meis necessariis non numerem, vel Cambii mei testimonio, qvi tuam in me benevolentiam prædicare solitus est; vel affirmatione tuarum literarum, ex qvibus duplicem voluptatem cepi: & qvòd amari me abs te cognoverim; & qvòd eum te esse, qvem qvi non amet, hominem non esse contenderim? Nec me putes blandiri (B) velle: Sic eqvidem loqvor, ùt sentio. Præclara virtutis fundamenta jecisti: signa video non obscura, nec dubia tum studii, tum ingenii: nec hortari magis, qvam gratulari debeo; cùm tu, qvâ ætate multi ad inanes voluptates deflectunt, in eâ solidam laudem qværas, & propemodum inventâ gaudere possis. Nec dubito, qvin istam mentem, & qvidqvid ex ea tibi manat gloriæ, vel commodi, totum, qvantumcunq: futurum est, acceptum Deo referre velis. Qvod si facis, nætu mihi multò amabilior es: tibiqve ipse optimè consulis, cùm falsam speciem felicitatis humanæ à veri boni possessione distingvis. Vale, & Cambium nostrum, juvenem eximiæ humanitatis, cupidumq; omnium liberalium doctrinarum, saluta meis verbis. Romæ, IIX. Idus Qvinct.

ɔIc Ic LXIV.

EIDEM

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. XXIV.

Excusat se de silentio propter occupationes, qua cùm ipsi non sint ignotæ, miratur officium suum ab ipso requiri.

Form. Deferre alicui sua studia. Ibi: Nam in iis, qvæ tuâ intereſſe. *&c.* (A)

Form. Pollicendi mutuum amorem. Ibi: Eqvidem in te amando. (B)

MIramur uterqve: tu, qvòd literis tuis non respondérim: ego, qvòd eô me nomine appelles, atqve officium meum reqviras. Qvid? tu solus ignoras, qvibus distinear curis? Qvantis rerum oneribus premar? qvàm nunqvam vacem? nec tamen deserere officium soleo. Nunqvam id mea vel consuetudo, vel natura pateretur. At non rescripsi. Excusat me literarum tuarum argumentum. Petebas à me scripta mea, qvæ corrigere cùm vellem, otium nunqvam nactus, comprimenda potiùs, qvam emittenda, judicavi: idqve sum arbitratus licere mihi per humanitatem tuam. Hoc ipsum, inqvies, scripsisse te vellem. Hoc ipsum te qvoqve suspicari decuit: & erat amoris, & ego, id te cogitare, aut ad aliam saltem causam referre silentium meum, libenter mihi persuasi. In qvo si tu me putas indulgere mihi plùs, qvàm oporteat: assentiar cum eâ fortasse conditione, ut te qvoqve plus à me, qvàm par sit, exigere fateaˉris. Nam in iis, qvæ tuâ intereſſe (A) cognovero, nulla, mihi crede, impediet occupatio, qvò minùs amici-

amicitiæ nostræ debitum officium præstem. Inanes autem literas ut mittam, vix impetrarem à me ipso, si otio abundarem; qvid, cùm egeam vel maximè? Eqvidem, in te amando (B) partes ut meæ desiderentur, nunqvam committam. Idemq; à te peterem, nisi voluntatis in me tuæ testes epistolas tuas, Cambium autem nostrum, qvem æqvè diligimus, qvasi sponsorem haberem. Adventum tuum, de qvo spem rursus injecisti, avidè exspecto. Vale. Romæ. III. Non. Feb. M.D.LXV.

ANTONIO FURNARIO, NEAPOLIM.

EPIST. XXV.

Respondet ad petitionem Furnarii de Indice corrigendo: qvod ejus negotium à se rectè curaturum esse scribit.

ET æqva petis: & nihil est, qvod ego tibi, pro tua præstanti virtute, non libenter tribuam. Itaqve licet iis distinerer curis, qvibus respirandi locus non esset: potius tamen habui nihil, qvàm ut adirem ad eos, qvi cùm Indicem correxerint, ejusdem interpretandi scientiam maximè omnium tenent. Ii sunt qvatuor viri, doctrinâ, & dignitate non vulgari, humanitate etiam tantâ, qvantam ego summam cognoverim. Qvorum unus, vetere mihi necessitudine conjunctus, eloqventiâ princeps, Mucius Calinus, Archiepiscopus Jadrensis, cùm literas tuas legisset, incendi aliqvâ tui cognoscendi cupiditate visus est, extulitq; laudibus ingenium tuum, assentiente me. Deinde, acturum se

se cum collegis de tua re diligenter, pollicitus, biduo pòst ita mihi respondit: ii qvi sint Astrologiæ judiciariæ libri, qvi certò aliqvid non affirment, eos legi tutò posse: totamq; hanc esse partem in Indice disertis verbis ita explicatam, ut nihil addendum videatur: Episcopis providendi, ne peccetur, facultatem esse permissam: iis se nihil præscribere neqve velle, neqve posse: nec dubitandum, qvin ii pro salute animorum, & religionis nostræ commodô, atqve ornamentô egregiè administrent omnia. Hæc de negotio tuo: in qvo præstiti, qvæ sunt in me, diligentiam, & fidem: reliqva pro tua prudentia, & æqvitate, nisi fallor, à me non reqviris. Amicitiam tuam, ùt debeo, facio plurimi: idq; ut intelligas, elaborabo, & fortasse perficiam. Vale. Romæ, IIX. Id. Qvinct. M. D. LXIV.

EIDEM, NEAPOLIM.

EIPST. XXVI.

Respondet ejusdem Furnarii gratiarum actioni, & lætatur officium suum illi jucundum fuisse; at qvod pro eo munusculum miserat, non qvidem aspernatur, sed amorem è similitudine studiorum contractum munera non deferare ait.

OFficium meum, qvod ab ōptimo erga te animo profectum est, jucundum tibi fuisse, vehementer gaudeo. Eqvidem vellem, qvantum in me voluntatis, & studii, tantum esset auctoritatis, & gratiæ. Næ tu intelligeres, qvo apud me loco sis, qvantumq; iis, qvæ vulgo bona appellantur, ante-

anteponam ea, qvæ verè bona sunt. In qvo puto non discrepare judicium tuum à sententia mea. Exculto enim virtute animo nihil inane placet; recta & honesta, & cum ipsa virtute conjuncta, prima sunt. Qvare velim ita planè existimes; patere me totum tui similibus, id est, probis, & eruditis hominibus; nihil mihi pluris esse, qvàm iis operam navare, eorumqve commodis inservire: qvod ubi contigit, ita lætor, qvasi beneficium acceperim, non dederim. Tu autem, qvasi magnum aliqvid tuâ causâ præstiterim, gratias mihi agis: & suavissimam epistolam conditâ rosâ dulciorem facis: amanter tu qvidem, & benignè: sed è studiorum similitudine, præsertim artium liberalium, qvibus uterq; nostrûm deditus est, contractus amor munera non desiderat, seipso contentus est: nec mihi qvidqvam est, aut esse potest te ipso præstantius, & benevolentiâ tuâ: qvam si conservas, omni me afficis beneficiorum genere: & hoc nomine majores tibi habeo gratias, qvàm si mihi Adonidis hortos donares. Ego te, ùt debeo, in oculis jam fero, licet nunqvam viderim. Vale. Romæ, IV. Kalend. Sext. M.D.LXIV.

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. XXVII.

Agit Furnario gratias, & de literis ad se scriptis, etsi qvod scriberet, nihil esset: & de pastillis aromaticis dono missis.

Form. Amicitia ex studiorum similitudine contracta. Ibi: Hoc idem qvi sentiunt. (A)

Magni

MAgni amoris indicium, qvod scribere ad me volueris, cùm tamen, qvod scriberes, nihil esset. Argumentô scil. nunqvam indiget verus amor. Verè autem qvis amat, nisi qvi, speciem virtutis intuens, hæret in ea, unam expetit, cetera floccifacit? Hoc idem qvi sentiunt, (A) facilè conjunguntur animis, licet longissimè distent. Qvod, opinor, utriqve nostrûm contigit. Nam studiorum similitudo contraxit amicitiam nostram, nec vulgarem, ùt video, sed qvalem sæpè multorum annorum obseqvia, officiaq; plurima, & familiaris consuetudo non peperit. Qvod tu si cogitas, ùt ego non mediocri cum voluptate sæpè facio: contentum esse me, & lætari vehementer voluntate, ac studiô tuô, munera verò prorsus non esse necessaria existimabis; qvanqvam amplector eqvidem officium tuum, & de pastillis aromaticis ago gratias, cùm præsertim stomacho langventi utiles admodum experiar. Qvòd verò de muliere dulciaria addidisti: amo diligentiam tuam; vel qvòd ejus excellenti operâ usus es; cùm vulgaris tibi confectura, qvi tuus est in me amor, non satis faceret; vel qvòd ipsum mihi significandum putaveris. Cymbæ tuæ secundos ventos exopto: & libenter spero fore, qvod vehementer cupio. Res tamen ipsa qvæ sit, qvidq; sibi velit Aqvilonaris illa tempestas, planè non asseqvor. Sum enim aliqvantò hebetior, qvàm tu suspicaris. De minutis avibus, risi; & consilium tuum, licet causam ignorem, tamen improbare non audeo. Nimirum, cavere, sapientis est: & satis cavet, qvi non temerè credit,

credit, qvod Epicharmi, Poëtæ Siculi, celebrato versiculo monemur. Vale. Romæ, XII. Kal. Febr. M.D.LXIV.

NATTÆ.

EPIST. XXVIII.

Hortatur Nattam, qvem se diligere scribit, ut in laudabili industriæ cursu pergat.

Form. hortandi. Perge in cursu. (A)

NOtum tibi esse arbitror statum rerum mearum: de qvo tamen, & de mea valetudine, ex familiari tuo, qvi has literas perferet, cognosces. Voluntatem in te meam, atqve observantiam, qvæ antea fuit, eandem esse, ac semper futuram tibi persuadeas, utinam re ipsa aliqvando experiaris. Habet hoc virtus, ut langvescere animos in amore non sinat. Te vero, qvis jam ignorat, cum pauciſſimis in omni genere laudis esse conferendum? Perge in cursu (A) laudabilis industriæ tuæ: qvando nec otium deest, qvod misti occupationibus eripitur, & præclara habes adjumenta doctrinæ atqve ingenii, qvæ tibi gloriam, nobis fructum afferent. Me verò ut ames amore illo tuo singulari, ita cupio, ut nihil magis. Hæc scripsi raptim, in summa vacui temporis inopia. Vale. III. Idus Qvinct. M.D.LXIV.

PETRO MAFFÆJO, GENUAM.

EPIST. XXIX.

1. *Hortatur Maffæjum, ut otii, qvo se abundare scribit, rationem reddat.* 2. *Facit mentionem cujusdam*

JCti, qui adhuc litiget. 3. Nomine cujusdam Antoniani gratulantur ipsi de prospero rerum statu, & sperat ipsum bene nummatum reversu um, & literis, tranquillo animo fruiturum. 4. Camillo gratulatur, quod cum nobili juvene rusticetur.

ET otium tuum significas, qvod eqvidem vehementer optabam: & Latinè scribis, & coralia qvoqve polliceris. Nil profectò tuis literis jucundius. Hoc enim verbo pet uxoris & filiæ valetudinem jam uti licet. Unum reqviro, qvod otii rationem prope nullam reddis. Atqvi me id à te, vel si taceam, exspectare tamen, ne dicam exigere, poteras opinari: si modo, te à me diligi, & diligi propter studia tua, putas. Jurisconsultus ille adhuc litigat, cum damno lucrum qværens. Qvem diligat, ignoro: utitur qvidem perpancis, & amare tenebras videtur. Fortasse illi persvasum est, desiderari se posse ab oculis multorum, si rarus in publico sit. Id populus curat scilicet. Hæc de illo: qvod ad me attinet, non libenter, tuâ verò causâ scripsi non invitus, ne prorsus amiculi desiderio tabesceres. Venio ad Antonianum, qvasi à ruta ad pulegium: nihil enim hoc adolescente amabilibus, sive mores, sive doctrinam spectes. Gratulatus ei sum tuo nomine de oratione, qva Cæsarem in funere laudavit. Is tibi vicissim gratulatur de statu rerum tuarum: speratqve fore, ut aliqvando te ad nos referas bene nummatum, & fruaris nobiscum simul tranqvillo animo, litterulis nostris, certò vectigali, tua virtute partò.

Qvod

Qvod hîc, ùt sunt tempora, paùci consequuntur. Nihil autem miserius, homini præsertim liberaliter educato, qvàm susp ensas habere vivendi rationes, & aliunde pendere, dubiâ spe, qvam sæpè fallit eventus. Tu igitur fruere istò otiô, & colloca in tuto fortunas tuas: qvod vides facere discipulos tuos. πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. Camillum Severinum, doctum juvenem, & probum, rusticari cum nobili juvene, optimeqve erga ingenuas artes animato, Joh. Baptista Nigro: valdè lætor. Non enim dubito, qvin multas diei horas jucundissimè traducant, animum egregiis de virtute sermonibus oblectantes, corpori tribuentes, qvantum satis est. Utrumqve cupio, qvod tuô commodô fiat, meô nomine salutari. Aldus te, ùt debet, amat, salutemq; tibi multam impertit. Vale. Romæ, Idibus Septemb. M. D. LXIV.

PAULO SACRATO, FERRARIAM.

EPIST. XXX.

Qveritur, Sacratum de immutata sua erga ipsum voluntate suspicari, ipsumqve rogat, ne hanc suspicionem in se residere patiatur. 2. Gratias illi agit de pensione exacta. 3. Privatorum fortunas novis exactionibus exhauriri dolet. 4. Dolorem hunc suum qvô solatiô levet, indicat.

MAlè sentis de utroqve nostrûm, cùm de immutatâ mea erga te voluntate suspicaris. Nam & me levem, atqve inconstantem, & te fingis dissimilem tui, id est, eum, cujus in amore, cognitâ

gnitâ jam virtute tuâ, languere qvisqvam possit. Tu de te ipso vide qvid statuas, & qvô modô feras injuriam tuam: ego meam nec dissimulare, nec ferre leviter possum. Nam cum ab ineunte ætate ingenium, animumqve meum in artibus, & studiis incoluerim, unde præclara omnia nascuntur: scilicet egregium industriæ meæ fructum ferrem, si, qvod in qvibusdam soleo reprehendere, qvodq; ipse sciens nunqvam feci, in amicitia peccarem, præsertim tuâ, qvæ non, ut multæ, casu & fortuitò contracta, sed expetita à me semper, & pluris æstimata, qvàm qvæ vulgò maximæ putantur. Obsecro te, istam ne patere suspicionem in animo tuo residere: cogita, qvod res est, te mihi esse in oculis: delectari me vehementer memoriâ officiorum tuorum, & angi nonnunqvam, qvòd habere magis gratiam, qvàm referre possim. In pensione exactâ, & pecuniâ permutatâ agnovi diligentiam tuam, vel amorem potius, qvo tu adductus, mea negotia vel minima ita curas, qvasi maxima sint; majoremqve commodi mei, qvàm dignitatis & personæ tuæ rationem habes. De locatione verò renovandâ, totum ad te refero. Mihi, qvidqvid egeris, non modò ratum, sed etiam gratum erit. Venditionem qvidem temporibus excludi, & privatorum fortunas novis vectigalibus exhauriri, non meâ magis, qvàm vestrâ, causâ doleo: qvanqvam dolorem nostrum levare debet illa ratio, qvòd nihil malum sine culpâ, item ut cum culpâ nihil bonum. Ego me hoc in adversis didici sustentare solatio. Qvod ignorari à Christianis,

stianis, qvibus hæc sententia præstantissimum in cœlo fructum promittit, cùm iis etiam Philosophis, qvi veræ felicitatis vix umbram viderunt, notissimum fuerit, turpe simul & exosum est. Vale. Filius te salutat, & in primis observat. Romæ, XVI. Kal. Decemb. M. D. LXIV.

EPISTOLARUM PAULI MANUTII Lib. VII.

CAMILLO PALÆOTTO, BONONIAM.

EPIST. I.

1. Gratias agit Palæotto cum de aliis officiis: tum qvòd longam & omni lepore refertam epistolam ad se scripserit. 2. Doctrinæ & eloqventiæ laudem sibi tributam non se agnoscere: & eam gloriam, sublatis præmiis, jam ad exteras nationes migrasse scribit. 3. Rogat ipsum, ne se jam senem ad libros scribendos hortetur, sed potiùs Sigonium & Amasæum. 4. Significat ipsi, Amulium Card. ejus memoria valde delectari, & Vitellio gratam fuisse de dignitate gratulationem.

Form. Laudem non agnoscere. Ibi: Nam qvòd me laudas. (A)

REctè, & amabiliter cogitas, cùm usuram mihi sermonis tui, tuæq; suavitatis ademptam locorum intervallis, restituendam

qvoqvo modô literis existimas. Hoc sanè non modò mea pervetus in te, & perpetua, & jam ad summum perducta benevolentia, verùm etiam humanitas illa tua postulat, in qva tibi conferre possum pauciſſimos, neminem certè debeo anteponere. Atqve hôc locô recurrit animus ad initia nostræ necessitudinis, repetitqve secum & magnâ cum voluptate contemplatur officia tua: qvæ libenter aliis prædico; tibi non minùs libenter exponerem, ut hocipso me gratum, & memorem intelligeres, nisi me revocaret pudor tuus, & putarem confidere te mememoriâ meâ, nec tamen expetere à me qvidqvam, præter voluntatem. Sed omitto illa vetera; recentem gratiam præterire non possum, qvòd homo semper districtus à publicis rebus, privatis etiam, qvæ tua benignitas est, amicorum negotiis tum operâ, tum animô distentus, epistolam tamen ad me miseris, & benè longam, qvod ipsum amoris est, & omni prorsus officio, omniqve lepore, & elegantiâ refertam. Nam, qvòd me laudas; (A) non ita desipio, ut velim tecum de veritate contendere. Si te delectat hic error; fruere qvàm vis diu, me nec regugnante, nec invitô. Sin errare turpe ducis, in eo præsertim genere, in qvo te, vel si ego tecum sentire velim, res tamen ipsa facilè refellet: dic me deditum literis, dic antiqvitatis cupidum imitandæ: studium tribue: largire industriam: hæc fatebor, & agnoscam: de doctrina verò, & eloqventiâ, qvam in me utramq; plena manu congessisti, etiam vide qvid sentias. Qvam enim tu laudem benè & emen-

emendatè scribendo consequeris, eandem laudem non bene de scriptis alienis judicando ut amittas, committere non debes. Habuit istam gloriam proxima superior ætas: cum florerent illi viri, de quibus nulla posteritas conticesceret, Bembi, Sadoleti, Poli, & horum vel æmuli, vel imitatores multi. Tunc industriam benignitas excitabat: fructus laborem sequebatur: ad opes, ad honores aditus patebat. Nunc obsolescit splendor omnis Romanæ linguæ, & destituta præmiis migrat ad exteras nationes eloquentia. Hìc tu me vocas ad scribendum, & quasi jam languentem in cursu, quantum potes, incitas. Obsecro, quid spectemus? vides enim tempora: vides hominum ingenia, ad invidiam proniora, quàm ad æquitatem. Dignitatem verò illam, & ea commoda, quæ proposita olim erant, nihil est, quod cogitemus. Quocirca sine me cedere temporibus, & minuere laborem, ætate jam ingravescente: si non concedis, quod interdum cupimus, ut artem omnino desinamus. Ac faceres tu quidem, ùt ego sentio, aliquantò justiùs, si ad communes amicos, Sigonium, & Amasæum, utrumq; doctrinâ, & ingeniò præstantem, cohortationem istam converteres. Quanquam Sigonium cessare non arbitror: scribit enim non minùs alacriter, quàm egregiè. Amasæi autem Musas, quæso, cur pateris silere? certè illum dixeras accuratè quædam pangere in historias Polybii. Magnifica res, & gloriosa, cujus exspectationem ego te auctore jam aliquã apud eruditos homines commovi. Nunc tuæ sunt partes, ut illum urgeas,

efficiasqve, ut omnino opus appareat: simul enim & studiosorum utilitati, in qva pater ejus, dum vixit, eximia cum laude fixit omnes curas, & gloriæ suæ vehementer consulet. Amulius Cardinalis, optimarum artium patronus penè singularis, tuâ sui memoriâ ità delectatur, ut, si cetera desint argumenta, vel ex hoc uno constet, qvô apud illum locô sis. Itaqve noli vereri, ne illi ex animo effluas. Non enim is est, qvi vel temerè amet, vel temerè amare desinat. Novi judicium in deligendis hominibus: novi constantiam in tuendis, Præterea fratrem tuum, auditorem Rotæ celeberrimum, clarum, præstantibus in Christianam Rempubl. meritis, in oculis fert: de te verò perhonorificè & loqvitur, & sentit. Cùm Vitellio tuis verbis te nova dignitate sum gratulatus, egit gratias, & lætari officiô tuô, velleqve plurimum tuâ causâ visus est. Vale, & Sigonio meo, & Amasæo tuo, vel potiùs utriqve nostro, salutem à me plurimam. Romæ, XIII. Kalend. Jan. M.D.LXV.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. I I.

Gratulatur Palæotto de fratre in Collegium Cardinalium cooptato, qvem sperat ita hunc honorem esse gesturum, ut Resp. Christiana inde fructum capiat.

CArdinalem habes fratrem tuum. Habes igitur, cur & vehementer, & perpetuò gaudeas. Divinum enim bonum honor est non qvilibet, sed is tantùm, qvi vitæ innocenter actæ, qvi summis

in

in Christianam Remp. meritis, qvi rectis deniqve studiis, artibusqve tribuitur. Qvod qvia contigit fratri tuo, cujus animum, ab omni semper ambitione remotum, non hæc virtutis insignia, qvæ ipsa per se nemo sapiens concupivit unqvam, sed ipsa virtus suâ formâ ad bene agendum illexit: ideô lætantur omnes boni, & fructum qvisq; capit ex aliena dignitate: qvasi ad omnes pertineat id, qvod, si eosdem sensus, easdem actiones imitentur, sperare omnibus licet. Qvô tibi nomine haud sanè paulò plùs, qvàm verbis assequi possum, gratulor: nec verò tibi solùm, sed familiæ tuæ universæ; cui proponitur egregium colendæ virtutis exemplum, sic, ut vix jam esse qvisqvam possit, qvi non ad verum decus, atqve ad omnes bene audiendi partes excitetur. Ego ipse, qvi qvidem intuis esse, & numerari volo, nescio qvô modô vehementiùs, qvàm antea, cupiditate solidæ laudis incendor: atqve ita statuo, non satis esse, in studiis, & in vita me similem esse mei; laborandum, atqve enitendum, ut ipse me vincam, & qvalem esse decet eum, qvem vos diligitis, & in qvem officia multa contuliſtis, talem aliqvando me præbeam. Eqvidem, si voluntati par facultas esset, noſtram amicitiam, qvæ vobis, ùt ego sensi, perjucunda, mihi, ùt omnes intelligunt, perhonorifica semper fuit, libenter ornarem. Sed evenit contrà, ut ego orner qvotidiè magis judicio de me veſtro, & hâc ipsâ, qvâ vix optari majori ulla potest, recenti veſtræ dignitatis acceſſione simul accedat aliqvid ad exiſtimationem meam. Cave enim exi-

stimes, aut lætari mediocriter amicos meos, aut mihi à paucis illo ipso die, qvo in amplissimum ordinem frater tuus cooptatus est, gratulationem esse factam. Eoq; major & mea, & aliorum lætitia est, qvòd fore nemo dubitat, qvin hunc honorem, qvâ virtute est adeptus, eâdem ita gerat frater tuus, ut ex ejus industriâ, doctrinâ, probitate fructus Christiana Resp. maximos capiat. Sic enim vixit ad hanc diem, & in maximis gravissimisq; rebus ita se exercuit, nihil ut illi jam placere possit, qvod à communi bono discrepet, nihil tam difficilè, tàmve arduum occurrere, qvod vel prudentiâ non assequatur, vel curâ, studio, scientiâ non perficiat. Vidit igitur in hoc qvoq; multũ, qvi cætera omnia pro sua singulari sapientia prospicit egregiè, Pius IV. Pontif. Max. cùm talem virum, non modò non ambientem, sed nec opinantem, non postulantem qvidem certè, in Cardinalium Collegium, ipso Collegio comprobante, probis omnibus, & eruditis viris mirificè lætantibus, adscivit. Non autem, & qvicunqve bonis bene cupit, eaq; vult, ac sentit de communi re, qvæ velle & sentire omnes debemus, diuturnam expetamus, & precemur à Deo fratri tuo vitam: ut cum præstantibus viris, qvos habet dignitate pares, voluntate & studio similes, eam universa Ecclesiæ, qvam tempus & necessitas flagitat, opem afferre possit. Qvod si acciderit, publicâ primùm causâ deinde etiam nostrâ lætabimur. Futurum autem, ego qvidem, permotus divinatione qvadam, non magis opto, qvàm spero. Vale. Romæ, Idibus Mar. M.D.LXV.

JOH.

JOH. FRANCISCO COMMENDUNO, CARDINALI CREATO.

EPIST. III.

Gratulatur Fr. Commenduno de dignitate Cardinalitia, & natam inde suam ac omnium bonorum lætitiam declarat.

O Diem præclarum, qvi perpetuæ voluptatis, & lætitiæ nobis initium attulit, qvarto Idus Martias! illo enim te die Pontifex Max. à cunctis bonis expetitum, cum excellentibus aliqvot viris Cardinalem nominavit. Qveri jam desinamus, virtuti locum non esse. Qvod anteà multis in ore fuit, nec injuriâ. Qvosdam enim ad summos honorum gradus nobilitas, nonnullos opes, alios alia, sola virtus pauciſſimos extulit. Delevit hanc maculam, & veterem illam Pontificum sanctiſſimorum consvetudinem, retentam à paucis, exoptatam diu, Pii Qvarti nunqvam satis laudata sapientia renovavit. Qvo factô, te qvidem pro tua non vulgari prudentiâ intelligere arbitror, qvæ tibi partes impositæ sint, qvasqve res & præsens à te dignitas, & anteacta tua vita postulet: ego autem hoc tibi videor affirmare posse, unum sensum esse, unamqve vocem cum tibi gratulantis universæ bonorum Reip. tum verò maximas Pontifici gratias agentis, qvòd temporibus difficillimis labantem Ecclesiam tali præsidio fulserit, ultroqve tibi istum honorem detulerit non petenti, qvem studioſè petentibus nobi-

nobliſſimis viris denegandum judicavit. Omninò, qvod tu ſcis optimè omnium, nullam mercedem requirit virtus, nec ad ſe ornandam aſſumit aliqvid extrinſecus. Verùm tamen, ſi duabus rebus, præmio, & pœnâ, qvod ſapientiſſimi viri literis mandarunt, ſalus publica continetur: utriqve pariter eſt lætandum, & ea bonis impetiri, qvæ inter homines ducuntur ampliſſima, & ita improbitatem notari, ne qvis exſultet in culpa, & impunitatem licentia conſeqvatur. Qvod cùm ita ſit; lætari te qvoqve plurimùm decet honore tuo, & fructum illum magni facere, qvem tamen non appetiſti, cùm labores graviſſimos pro Sedis Apoſtolicæ commodo ſuſciperes, cùm pericula ſubires, cùm omnes deniqve curas, omnem mentem, operamq; in communi ſalute collocares. Eqvidem, ubi te Cardinalem eſſe declaratum cognovi, exſultavi gaudiô, eâqve perfuſus voluptate ſum, qvam his literis exprimere mihi non licet; tu tamen, ut opinor, cogitatione comprehendes, ſi, qvæ mea ſemper in te fuerit primùm benevolentia, deinde etiam, ubi cœpit eſſe tua virtus illuſtrior, obſervantia, cum animo tuo conſiderare volueris. Qvod ut facias, etiam atqve etiam à te peto. Vale. Romæ, XII. Kalend. Apr. M.D.LXV.

CHRISTOPHORO RUFO.

EPIST. IV.

Gratulatur Rufo, qvod diſceſſus ipſi feliciter ſucceſſerit. (Nam etſi qvidem initiô conſtituere non potuit, utrum plus voluptatis, an moleſtiæ, ex ipſius diſceſſu ceperit:

rit: tamen moleſtiam omnem ereptam ſibi eſſe per epiſtolam, ex qva intellexerit, ipſum optato otio frui.)

Form. dubitandi, utrum plus voluptatis an moleſtiæ ceperit. &c. Pendebam animi.

PEndebam animi, nec ſatis conſtituere poteram, plusne voluptatis ex diſceſſu tuo caperem, an moleſtiæ. Voluptatem efferebat illa ratio, qvòd erudire artibus egregiis adoleſcentem illuſtri loco natum, qvam tu curam ſuſcepiſti, primùm, ùt ego ſentio, dignitatem habet: deinde, fructum ex eo te poſſe colligere intelligebam, non illum qvidem tua cum induſtria & virtute conferendum, attamen eum, qvi pro malis temporum non omnino contemnendus eſſe videatur. Qvod ſi otium qværis, vel ut aggrediare ad ſcribendum, vel ut ea, qvæ jam habes inſtituta, perpolias: iſto fortaſſe loco nihil aptius, aut accommodatius ad tua conſilia reperies. Nam in urbe Roma, etſi nihil obſtat, qvo minùs arbitratu ſuo qvisqve vivat, interpellatores tamen qvandoqve non deſunt, honeſti illi qvidem, rectisqve dediti ſtudiis, interpellatores tamen. Hæc erant, qvæ mihi de te cogitanti lætitiæ non parum afferrent. Rurſus, cur non dolorem, cùm hîc te multi, ipſe multos diligas, carere nos tuâ conſuetudine, te noſtrâ? Tuam verò non vulgarem doctrinam, cui qvidem ego ſemper, à qvo primùm die tua ſcripta vidi, debitum voce meâ teſtimonium perſolvi, in hac luce, & celebritate verſari, ubi cognita decoretur, qvis, qvi te verè atqve ex animo amet, non vehementer cupiat? Hanc mihi moleſtiam propè omnem, &

anci-

ancipitem sanè curam eripuit epistola tua. Qvod enim tu studiis tuis otium exoptare videbaris, eô te istic jucundissimè perfrui, nec urbis desiderio admodum laborare, facilè conjeci; itaqve vide, qvàm libenter animum meum ad tuam voluntatem accommodem. Idem si ad me sæpe scripseris: qvod ita expeto, si modo fieri tuo commodô possit: abesse te lætabor, cum ea tamen spe, ut aliqvando nos revisas, tum scilicet, cùm rationes tuæ patientur. Idem sentit, idem vult Octavius noster, idem etiam Sirlettus Cardinalis: qvi viri? ornamenta, & lumina nostrorum temporum: qvibus te esse ac fore semper carissimum, non dubito, qvin & tibi persvadeas, & id in magna tuæ felicitatis parte ponas, Vale. Romæ, IV. Id. April. M. D. LXV.

JOH. GENUÆ.

EPIST. V.

Rogat Genuam, ut sibi epistolam qvandam celeriter & emendatè describat.

Form. Officia tua erga me augebis. Ibi. Multum addes. (A)

COnvenit inter nos de nota scriptis meis apponenda, qvæ moram ferre non possint: notæ verò signum omisimus. Hoc igitur erit, †. Tu si mihi in hac describenda epistola tàm celeritate satisfeceris, qvàm emendatè scribendi studiô, politaq; & eleganti literarum formâ satisfacere solitus es, multum addes (A) ad officia in me tua: qvæ cùm augeantur qvotidiè, augeri tamen vix potest

amor

amor in te meus: eò jam pervenit non modò literis, & ingenio, sed moribus etiam, & probitate tua; qvæ ego haud paulò pluris, qvàm omnium rerum scientiam, soleo æstimare. Vale. Ex ædibus nostris. IX. Jan. M.D.LIV.

JOHANNI BAPTISTÆ TITIO, FLORENTIAM.

EPIST. VI.

Gratulatur Titio, qvòd ad Musas redierit, eumqve regat, ut Dæti & Bonanni benevolentiam, cujus ipse autor fuerit, sibi conservet.

Form. Deferre alicui studia sua: Ibi. Qvod utinam officio. (A)

Form. Promissionem alicui in memoriam revocare. Ibi. A te, mi Titi, promissa non exigo *&c.* (B)

ETsi doleo, negotiis te nimiùm diu à consuetudine abduci studiorum tuorum: tamen hanc in dolore voluptatem capio, qvod tu is es, qvi, ademptô librorum usu, doctissimorum hominum assiduô congressu & sermone familiari jacturam hanc ita sarcias, ut minorem fructum ex otio suo multi capiant, qvàm tu ex negotio: gratulor tamen tibi, qvòd, litibus aliqvando liberatus, redieris ad communes Musas: cum qvibus qvàm jucundè vivas, de me ipso conjecturam facio. Pascor enim, mihi crede, literis: cætera omnia vel molesta, vel certè parùm grata. Dætus, & Bonannus, si, ùt scribis, ita de me sentiunt: vehementer gaudeo. Eqvidem utriqve, non tuo solùm, verùm alio-

aliorum qvoqve testimoniô permotus, plurimum tribuo. Qvod utinam officiô (A) declarare aliqvô possim: in qvo facultas exoptanda, qvæ nunc qvidem abest; animus certè nunqvam deerit: sin id minùs licebit, ut scilicet, qvæ tua est humanitas, & in me amor, cùm de me iis omnia polliceberis, tum eorum mihi benevolentiam, cujus ipse potissimùm auctor fuisti, conservabis. Debes enim, & vis, opinor, ùt optimus artifex, perpolire opus tuum, & ad exitum perducere. A te, mi Titi, promissa non exigo; (B) ne, qvod liberalitatis est, id videar fidei velle tribuere; cùm tamen utriqve confidam pariter. Hoc tantùm dicam: qvod te facturum scripsisti, id si qvàm primùm feceris, fore, ut non minùs de tempore, qvàm de re, tibi gratias agam. Cotta tuus semel & iterum ad me venit. Sanè delector hominis probitate, moribus, doctrinâ. Amo etiam ùt amicum tuum. Et, qvanqvam premor negotiis; qvod tu optimè scis; cum tamen ire ad me voluerit, nunqvam eum excludet occupatio mea. Filius abest, Venetias profectus ante aliqvot dies, inde Asulam: qvo in oppido frater meus, ab omni remotus graviore cura, tranqvillô animô ita sibi vivit, ut rem domesticam non contemnat. Vale. Romæ, V. Kalend. Novemb. M. D. LXV.

MARIO CORRADO, NEAPOLIM.

EPIST. VII.

1. Primò gratulatur Carrado, qvòd Neapolim venerit,

ibiqve aliqvandiu commoraturus sit.

2. *Laudat Latinam Linguam, qvam negat suo aut alterius patrociniô egere, cum ipsa in se satis præsidii habeat.* 3. *Deinde patris sui Fragmenta interiisse scribit.* 4. *Operam suam in emendis qvibusdam libris ipsi pollicetur.*

Form. Occupationibus proferre scribendi officium.

Ibi: Etsi nec magis.

ETsi nec magis, qvàm soleo, vacabam, & ad qvotidianas occupationes accesserat cura sanè gravis, ex interitu suscepta domestici hominis, ad mea negotia vehementer apti: feci tamen, amore impulsus, qvò te propter ingenii, doctrinæqve præstantiam mirificè sum complexus, ut epistolæ tuæ responderem: qvæ mihi voluptatem eò majorem attulerat, qvòd te Neapolim venisse, nec statim discessurum cognovi. Sæpiùs enim, & commodiùs, ultro citroq; cursantibus publicis tabellariis, tu de meo, ego de tuo statu audiam. Videre mihi videor, te totum in literis esse. Cupio non inanem esse conjecturam: ùt ùt est, hoc eqvidem spectrô delector, & mirabiles industriæ tuæ fructus exspecto. Ad Latinam verò linguam qvod attinet, mihi crede, sine causa laboramus. An illa tibi, tot veterum illustrata monumentis, tot etiam recentiorum probata testimoniis, vel nostro, vel cujusqvam egere patrociniô videtur? Præsidii satis, atq; opum in ipsa positum est ad repellendas istorum injurias: qvæ tamen in ipsos recidunt. Nam ei nemo maledicit, qvi seipsum insciticæ non

condemnet. Qvòd si Latinæ lingvæ ſpecies, & pulchritudo, qvæ vulgi oculis non patet, cognoſci ab omnibus poſſet; amores incredibiles, ut ille ait, excitaret sui. Me qvidem sic affecit, cùm tamen integram ejus formam nondum noverim, extrema qvidem lineamenta vix aſpexerim, ut reliqvas voluptates contemnam, cum hac, & in hac libenter, & jucundè vivam. Qvi verò aliter ſentiunt, & errare nos exiſtimant: ſexcentis eos argumentis refellas licet, parum proficies. Qvod ego cùm jampridem intellexerim: pauca qvædam ſcripſi, ad indicandam ſententiam meam: nervos eſſe intendendos, ut in arcem hujus cauſæ invaderem, non putavi. Stomachari, mi Corrade, jam deſinamus, in aliena culpa: & gratulemur potiùs ipſi nobis, qvòd amemus ea, qvæ præclara ſunt: qvæ ſi parantur laboribus maximis; id qvod à ſtudio multos deterret; moleſtum tamen eſſe non debet, qvod gloria compenſat immortalis. Fragmenta patris mei qvòd reqviris: apud me nulla ſunt: furto ablata, qvô ille tempore vitâ exceſſit, creditum eſt. In Sex. Empirico, Palæmone, Aſpro, & reliqvis, mea tibi diligentia non deerit. Odorabor, ſicubi latent: nam in tabernis non exſtant: inventos noli dubitare, qvin eruam. Qvàm vellem filius adeſſet, qvi Venetias profectus eſt? Præſtaret aliqvid, opinor. Hæc enim ſtudia tractat naviter: & Grammaticos, de Orthographia cùm ſcriberet, evolvit omnes. Vale. IV. Idus Novembr. clɔ Iɔ LXV.

EIDEM

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. VIII.

Resp. Mario Carrado, & 1. se Inscriptionis missæ autorem fatetur. 2. Invidorum maledicta se contemnere scribit, quod ut faceret, ab ipso monitus erat.

SUperiore hebdomadâ pluribus verbis epistolæ tuæ respondi: heri alteram accepi: in qva petis à me, fecerimnè Inscriptionem illam, cujus exemplum ad me misisti. In qvo laborem sumsisti non necessarium: id enim ex amico meo, ad qvem illam misi, cognoscere omnes possunt. Qvòd mihi nescio qvos invidère significas: de invidia non laboro: si qvis maledixerit, fortasse tacitum non feret. Qvòd autem, ne stultis hominibus gratificer, me mones, in consilio tuo benevolentiam agnosco: veruntamen, neqve qvos tu stultos voces, neqve qvam rem notes, assequi satis possum; nam, si qvis grammaticus obtrectat, susq; deqve. Laborantibus enim inscientiæ morbô medicinam facere si coner, valdè sim stultus: si possim, valdè sapiens. In exemplo Inscriptionis ad me missæ verbum desideratur: omissum incuriâ describentis. Nam ubi est, UT DEBITUM ET DOMESTICÆ VIRTUTI: ego scripsi, UT PIETATI DEBITUM ET DOMESTICÆ VIRTUTI. Vale. Romæ, XV. Kal. Dec. M.D.LXIII.

PETRO PERPINIANO, LUGDUNUM.

EPIST. IX.

1. Gratias agit Perpiniano de exhausto negotio, qvod

ipsi demandârat. 2. Amicum qvendam suum negat se velle agnoscere, nisi redeat ad Catholic. Ecclesiam. 3. Gratulatur Galliæ de meliori statu religionis. 4. Possevino qvoqve gratulatur, qvod hæreticis sese opponat.

AMabam antea non vulgariter amorem in me tuum, cùm præsertim suavitates in te essent ingenii multæ, rara probitas, doctrina propè singularis: nunc qvam in exhauriendo mandato, qvod humanitate tuâ fretus discedenti tibi dederam, curam & diligentiam adhibuisti, ea me sic affecit, ut omni te animi mei sensu complectar, omnia tibi, qvasi jure optimo debita, studia & officia pollicear. Qvanqvam de amico meo duriora significant literæ tuæ. Qvæ si vera sunt: amicum jam non appello. Excellat licet ingeniô, valeat industria: ex antiqvis monumentis præclara qvæqve delibaverit: hæc inania sunt, nisi cum optima mente, & Christiana pietate jungantur. Qvod si se respexerit, si cum Ecclesia Catholica, id est, cum Deo redierit in gratiam: tunc ego me illi restituam: tollam hominem, & ornabo, qvantum in me erit: nullum ei deesse à me officium patiar, qvod ad ejus dignitatem existimationemqve pertineat. Qvod scribis, Lugduni meliori jam loco religionem esse, & in eo te operam strenuè navare: non miror te tui similem esse, præsertim in communi salute: publicam verò rem qvotidiè meliùs ire, contrà qvàm & sperabant nefarii homines, & agebant, vehementer gaudeo Rex autem adolescens, ac penè puer, cùm in Christi causam tantô animô cœperit incumbere, superare videtur ætatem virtute,

tute, & planè is esse, qvi majorum suorum laudibus aliqvando respondeat. Possevino meo cùm salutem à me scripseris, hoc addes, memoriam illius nostræ veteris amicitiæ mihi perjucundam, sed longè carius, longeq; jucundius, qvòd omnes ingenii sui vires ad profligandos Apostolicæ Sedis hostes felicissimè profundat. Gratulor sanè optimo juveni de ista facultate: nec dubito, qvin eum semper, qvocunqve eat, qvamcunqve rem aggrediatur, ope sua Deus & prosequatur, & juvet. Rovillium, præstanti humanitate virum, egregiè de religione sentientem, si meo nomine salutaveris, gratissimum feceris. Vale. Romæ, XIV. Kal. Dec. M.D.LXV.

P.S. Cùm epistolam complicarem, venit ad me, ùt solet, officii gratiâ communis amicus, diligens observator doctrinæ tuæ, Zerbinus Ritius. Is rogavit, ut salutem tibi suis verbis adscriberem. Qvod facio libenter: teqve rogo, si tamen hoc patitur humanitas tua, ut ames juvenem, amore tuo dignum.

HORATIO CARDANETO, PERUSIUM.

EPIST. X.

1. Respondet officiosæ Epist. Cardaneti, & se eum amare scribit. 2. Simulq; hortatur, ut crebras & longas ad se det epistolas. 3. Causas affert, cur Commentarios in Epist. Ciceronis, & de Imitatione non possit absolvere.

QVererer tecum, si liceret, id est, si pateretur amor in te meus, qvòd fructu me privas & humani-

manitatis, & judicii: humanitatis, qvasi te amantem non redamem, qvod abest longissimè à moribus, & consuetudine mea: judicii, qvòd benevolentiam meam ita petis, qvasi ego, qvi tu vir, qvantusqve sis, qvæ in te suavitatis, qvæ doctrina, qvæ virtus, qvod omnes jam norunt, solus ignorem. Ubi igitur illa, qvæ in me plena manu confers? Qvanqvam id qvidem amicè magis, qvàm verè: veruntamen, si tu eum me putas esse, qvem literæ tuæ significant; in qvo, si vis, (vide qvanti te faciam) plus tibi credam, qvàm mihi; cur minuis auctoritatem testimonii tui, & penè tuam sententiam in dubium revocas, cùm admonendum me censes, ut eô erga te animô sim; qvo si non essem, non modò indoctum, agrestem, inhumanum, sed planè me hominem non putarem? Conor, inqvis, extorqvere, ut me ames. Non est, mi Cardanete, cur coneris id, qvod jam perfeciti: aut extorqveas, qvod ego tibi meâ sponte, & ita libenter qvidem tribuo, ut etiam, qvod amare videaris amorem meum, ipse mihi gratuler, tibi gratias agam. Qvòd ais, officiô te esse impulsum, ut ad me scriberes, & eodem officio admonitum, ut breviter scriberes: agnosco modestiam tuam, & probo, cum eo tamen, ut existimare te velim, vel si creberrimas ad me, longissimasq; miseris epistolas, æqvè mihi omnes gratas, & perjucundas fore. Cur enim scriptis tuis non delecter, qvæ cùm lego, antiqva non desidero? Cùm præsertim istam facultatem hodiè multi expetant, pauci consequantur. Commentarios meos in familiares, ut

vocant,

vocant, Ciceronis Epistolas reqviris. Si esset otium, propediem absolutos darem. Sed ita sæpè, nescio qvô fatô, divellor à libris, ut interdum mihi Roma displiceat, & agrestem solitudinem urbanæ celebritati libenter anteponam. Illa de Imitatione sinamus jacere. Spissum opus est, & longi temporis, nec fortasse nostrarum virium: &, ut verè dicam, sperare vix audeo, qvàm animo, & mente formam videre videor, eam, qvæcunqve est, oratione, & stylo satis explicare posse. Hæc scripsi, in lectulo, cum leviter ægrotarem. Vale. Romæ, IV. Non. Jan. cIↃ IↃ LXVI.

JOHANNI CASELIO, FLORENTIAM.

EPIST. XI.

Resp. conciliatoriæ Epist. Caselii, &, amicitiam ejus se perpetuo culturum, promittit. Deinde dolet, ipsum non potuisse per valetudinem ad se Romam venire. Tertiò studium illius in illustranda Philosophia laudat, additâ querelâ de iis, qui fructibus inventis glande vesci malunt. Denique de studiis suis qvædam subjungit, & ipsi in patriam revertenti fausta precatur.

QVò major est virorum præstantium, id est, tui similium, inopia, eò mihi carior est, & esse debet, amicitia tua: qvam qvidem omnibus officiis, & studiis, qvæ à summa proficisci benevolentia possunt, perpetuò colam. Qvod utinam per valetudinem tuam fieri licuisset, ut Ro-

mam pervenires. Majorem fructum, qvàm qvi ex literis percipitur, qvi tamen vulgaris non est, ex familiari consuetudine, mutuoq; sermone, uterq; nostrûm capere potuisset. Qvod qvando non accidit: ego, qvod ad me attinet, ut amoris mutui recordatione desiderium meum leniatur, operam dabo: literis autem ita utar, qvantum negotia sinent. Qvô te contentum esse, neqve in hoc genere plus exigere, qvàm præstare possim, tua mihi pollicetur humanitas. De Philosophia illustranda, præclarè cogitas: verùm præclara omnia qvàm difficilia sint, his præsertim temporibus, non te fugit. Sunt enim adhuc, qvi, frugibus inventis, glande vesci malint. Qvibus ignosci fortasse ex aliqva parte potest, qvòd eos pudeat, *Qvæ pueri didicere, senes perdenda fateri:* sed eorum exemplo decipi adolescentes, & inqvinatâ doctrinâ infici atqve corrumpi, hoc qvidem grave malum est: malum, inqvam, non ferendum: idq; tu jure doles, & ego sic, ut tibi non concedam. Verùm hæc Principes viderint: qvi nisi peccarent in delectu, gymnasia florerent, optimeq; cum literis, & bene literatis hominibus ageretur. De studiis meis, an de negotiis, aliqvid scribam? Negotia nihil ad te scilicet: studia verò propemodum jacent, & eô magis, qvòd valeo parum commodè. Te valere, liberatum jam, ut arbitror, diuturnô morbô non mediocriter gaudeo: revertentem in patriam amore proseqvor: frui optimis studiis, & capere studiorum uberrimos fructus, ita cupio, ut si communia bona essent. Sic enim decet eos existimare,

re, qvorum animos & conjunxit virtutis amor, & retinet. Vale. Romæ, IIX. Id. Jan. M.D.LXVI.

FERDINANDO GATULÆ, NEAPOLIM.

EIPST. XII.

Respond. Conciliatoriæ Epist. Gatulæ, à qvo carmine fuerat salutatus: ac primò excusat se, qvòd non statim responderit. Deinde carmen qvidem illius probat, sed Laudes in se conjectas non agnoscit. Tertiò ipsum hortatur, ut cum Jurisprudentia Eloqventiam & Græcas literas conjungat.

Form. Laudes non agnoscere. Ibi: In me autem extollendo. (A)

Form. Hortandi: Perge igitur ad gloriam. (B)

SUperioribus diebus, cùm tu me luculento sanè carmine salutasses, etsi molestè ferebam, eripi mihi occupationibus facultatem respondendi; tamen non verebar, ne tibi de meo erga te animo secus interpretandi occasionem afferret silentium meum. Odiosas enim, nec dignas bono viro suspiciones longè à se repellit excultus literis animus, & liberaliter educatus, nunc vero, cum me præceptor tuus, homo egregiè doctus, & spectatæ integritatis, Blasius Monicus, modestè ille qvidem, tamen ut cupiditatem dissimulare non posset, admonuisset officii mei: nihil habui potius, qvàm ut hæc ad te, licet iisdem, qvibus antea, curis distentus, exararem. Ac de tuis qvidem versibus si qværis qvid sentiam: probarem omnia, si placeret argumentum; in verbis elegantiam, in sententiis

gravitatem video: qvod utrumqve, nisi qvi excellat ingenio, assequi nemo potest: in me autem extollendo (A) qvid sis secutus, aut qvam rem spectaveris, non video. Nam nec agnosco illa, qvæ scribis: &, si agnoscerem, tamen haud libenter legerem: sed opinor tibi hæsisse illud, qvod à veteribus proditum est: *Bonum poëtam esse non posse, qvi non obscuris dare lucem, parvis magnitudinem sciat.* Qvod si conaris, & si hoc te delectat exercitationis genus: non improbo; &, cùm te amem, facilè à me impetro ut patiar vel abuti te meo nomine ad laudem tuam. Neqve hoc solùm; sed illud etiam tribuo amori in te meo, qvod tu fortasse non exspectas, æqvô tamen animô, pro tua bonitate, accipies, ut horter te; qvando ad Jus Civile studium, curamq; tuam contulisti, ut istam artem non, ùt hodie multi, nudam, & inornatam, sed, ùt olim veteres illi, multiplici rerum scientiâ, præcipuè verò Latinæ eloqventiæ, qvasi dote instructam, & locupletatam velis; Eloqventiam verò non ex uno alterove libro, sed ex accurata multorum lectione comparari, cum te Monicus erudierit, non dubito, qvin optimè noveris. Etiam illud addo, qvod fortasse recentioribus Jurisconsultis absurdum videtur, Græcæ lingvæ, unde res petantur, sine qvibus inane qviddam est, & planè languet eloqventia, studii tui partem omninò aliqvam esse dandam. Qvæ si omnia pauci præstant: varia excusatio est. Aliis enim disciplina, aliis ingenium defuit. Nonnullos etiam, cùm ad summam Juris Civilis gloriam adspirarent, & forsitan perve-

pervenire possent, rei domesticæ difficultas à præclara industria ad qvæstûs necessarii curam detorsit. Hæc si obstare intelligerem studio tuo: frustra cohortationem hanc susciperem, vel potiùs planè non susciperem. Cogeret enim necessitas, qvod voluntas negaret. Nunc te, optimis à puero non modo literis, verùm etiam præceptis informatum, præstantem ingenio, nec fortunæ muneribus egentem, errare cum multis, & mediocri laude, angustis circumscriptâ finibus, contentum esse, cur sinam? Perge igitur ad gloriam (B) rectâ viâ: obliqvas vulgi semitas omitte: qvæqve tibi præter cæteros à Deo tributa bona possides, iis ita utere, ut Jus Civile non modò perdiscas, verûm etiam vehementer ornes. Qvod si efficies, lætabor: sin minùs, hoc tamen tibi, non obscurum, ut opinor, studii in te mei testimonium relinqvam. Vale. Romæ, IV. Non. Febr. M.D.LXVI.

ANTONIO FURNARIO, NEAPOLIM.

EPIST. XIII.

1. *Gratulatur Furnario de recuperatione valetudinis.* 2. *Gratias illi agit de missis citreis ad corroborandum stomachum, & voto, qvo Gorgiæ Leontini vitam ipsi optârat.*

EGo verò tibi non modò præsenti bonô, sed futuri etiam spe valde gratulor. Non enim tam ex eo, qvod abierit morbus, &, qvòd ut scribis, convalescere jam incipias, qvàm qvòd omni-

omninô futurum confido, ut brevi pristinam valetudinem planè recuperes, magnam lætitiam, voluptatemqve capio. Tu modô tuâ temperantiâ fac, ut perpetuò gaudeam. Qvod ita me cupere velim existimes, ut ex familiaribus tuis nemini concedam: ista enim doctrina cùm caremus, & cùm affectô corpore, simul ingenium languet: angimur, qvi te diligimus; & qvos ex industria tua fructus ferre potest ætas nostra, eos retardari, aut minui, patimur iniqvissimè. Ego ab interitu Pii Qvarti valetudine utor incommodâ. Stomachus, calore destitutus, officiô concoqvendi malè fungitur. Hoc vitium si tua citrea depulerint, plurimùm sanè tibi debebo, & eò magis, qvôd cetera pharmaca palato non amica, hoc medicinæ genus ita suave est, ut, vel sine morbo gustare nihil malim. Itaqve speremus illud qvoqve, qvod longè pluris est, ut stomachus fiat firmior: interea tibi ago gratias, qvanqvàm id à te non exspectari certò scio, qvòd me condimentô gratissimô delectare volueris. Qvod profecto, nisi me non vulgariter amares, tibi in mentem non venisset. In extrema epistola, qvòd mihi Gorgiæ Leontini vitam exoptas: hoc qvoq; amoris signum: sed malo prosperam, qvàm diuturnam. Prosperè autem vivere, est, otio & literis, vacuô curis animô, frui. Qvod ego assiduè medior, &, si qvando assequar, purpuras omnes, qvæq; purpuratis carasunt, te fortasse non improbante, contemnam. Vale. Romæ, IIX. Id. Febr. M. D.LXVI.

ANTO-

ANTONIO MERULÆ, CASERTAM.

EPIST. XIV.

Consolatoria qvasi est. Nam nec se, aut qvenqvam amicorum dolore ait, propter ipsius ex urbe discessum: nec ipsi dolendum esse ostendit, 1. qvod Româ absit, cùm honesta conditione vivat apud virum illustrem. 2. Qvòd cum ipso non sit; cùm desiderium illud literis leniri possit.

Form. Deferendi alicui sua officia. Vellem ita res ferret. (A)

CAve putes, aut me suspicari, qvod abhorret ab amicitia nostra, oblitum te esse mei, aut commissurum unqvam, ut obliviscì possis. Omnino discessu tuo nihil molestius: qvis enim abesse eum, cujus neq; consuetudine qvidqvam jucundius, neqve sermone eruditius, nec moribus, & vitâ sanctius, æqvô animô ferre possit? Sed rursus, qvi te diligunt, qvi pro tuâ virtute sunt plurimi, qvorum tamen ego nemini concedo, cur tuô commodô mœream? Vivis in parte Italiæ nobilissimâ, honestâ satis conditione, apud illustrem virum, humanitate, literis, omni deniqve, ùt audio, laude perpolitum. Qvæ sunt ejusmodi, ùt ea sequantur multi, assequantur admodum pauci. At urbe Româ cares. Scilicet, qvia Capitolium, vel Amphitheatrum qvotidie non adspicis, qvæ tu, hîc dum eras, fortasse ne cogitabas qvidem, id laborandum crediderim. Cetera, opinor, nihil ad te. Neqve enim sitire te arbitror honores aut opes:

qvæ

qvæ qvi adipiſcuntur, vides, à tranqvilla, & beatâ vitâ qvàm longè diſtent, qvibus fluctuent curis, qvibus aſſiduè miſeriis urgeantur. Reliqvum eſt, ut te pungat, qvòd nobiſcum non ſis. Qvod ita leviter feres, ſi cogitabis primùm illud, ortam ex virtute benevolentiam ejusdem virtutis memoriâ foveri, atqve ali, ſic, ut nihil præterea deſideret: deinde, mutuis epiſtolis hoc leniri qvadãex parte deſiderium poſſe: poſtremo, mortalem eſſe neminem, cui planè ſecunda ſint omnia. Addo illud, qvod ſolatii tibi loco debet eſſe, noſtros ſenſus congruere cum tuis: nihil eſſe nobis optatius, qvàm ut ſimul vivamus: dolere, qvia non liceat; eo minùs tamen, qvia futurum ſperamus, ut aliqvando liceat. Habes egregiè animatum ergate Cardinalem Sirletum: cujus auctoritatem, pro ſingulari ejus integritate, ſapientiâ, doctrinâ, maximam eſſe, non ignoras, Pantagathus de te & amiciſſimè loqvitur, & præclarè ſentit. Duobus illis, qvos tuô nomine ſalutavi. Statio, Davanzato, qvi te reſalutant, ſcito te in oculis eſſe. Nam de me ipſo, non faciam, ut plura ad te ſcribam. Vellem ita res ferret, (A) ut, qvanti te facio, tantum ex officiis meis fructum capere poſſes. Mihi crede, ſtudiis, & rationibus tuis ita conſuleretur, ut ad vitam & commodè, & ſatis etiam cum dignitate traducendam nihil deeſſet; ſed vides tempora. Fruamur, mi Merula, literulis noſtris, directô in Deum animô: cæteris rebus πολλὰ χαίρειν. Rotæ noſtro, non minùs ingenio, qvàm nobilitate præſtanti, poëtæ optimo, & cum veteribus, conferendo,

do, salutem, obsecro te, meis verbis, si qvando ad illum scribes. Vale. Romæ, XIV. Kalend. Qvinct. M.D.LXVI.

MARIO CORRADO, NEAPOLIM.

EPIST. XV.

Excusat se de raritate literarum, cujus causam in occupationes rejicit.

Laus brevis Pii V. Pontif.

FAcilè poteras è silentio nostro de tuo negotio conjecturam facere: nisi si tacere nos existimas, vel qvia non amemus, vel qvia parvipendendum id credamus. De qvo te vehementer, laborare, epistolarum tuarum crebritas ostendit. In qvo video te otium nostrum scilicet è tuo metiri. Nam statio nostro à scriptione publicarum literarum respirare nunqvam licet. Ego autem qvibus rebus urgear, qvàm nunqvam vacem, nosse te opinabar è Civino, aut etiam ex aliis: qvoniam qvidem status meæ vitæ is est, ut ignorari vix possit. Sed, ut ad prima redeam, veteres illi grammatici nondum Romæ sunt: si afferentur, eos ad te mittam. Tu velim significes, ubi sis futurus. Nam istic, si rectè verba tua interpretor, non videris admodum libenter esse. Huc te vocarem, nisi multi discederent. Optimum tamen, qvalem ætas nostra non vidit, Pontificem habemus. Qvi si diu vixerit, qvod à DEO precari non desinimus, spes est magna, hæc qvæ fluunt, posse contineri. Vale. Romæ, VI. Kalend. Sext. M.D.LXVI.

OCTA-

OCTAVIO SAMMARCO, PATAVIUM.

EPIST. XVI.

Responsio ad Conciliatoriam, qvâ Sammarcum bonas artes colentem ad urgenda hæc studia occultè hortatur, & amicitiam suam ipsi offert.

QVod mihi jam antea filius meus, tui amantissimus, non obscurè significaverat, id multò nunc ostendit illustriùs epistola tua, ita te colere bonas artes, ut parentis tui, summi viri, laudibus non modò respondere, verùm antecellere etiam aliqvando possis. Concurrunt multa, cur hanc omnino conjecturam faciam: primùm instrumenta naturæ, ingenium, memoria, valetudo; qvæ si absint, ad magnas res, magnopereq; expetendas adspirare prorsus non licet: deinde studium, exercitatio, industria, qvibus ita uteris, qvasi illa non habeas naturæ bona, qvibus in primis abundas, & qvasi à te ipso petas omnia. Adde; qvòd Patavium te contulisti; qvam urbem? Athenas alteras: ubi cùm præstantes viri multi magnarum doctrinarum scientiam profiteantur, unum tamen in primis, qvem ego semper plurimi feci, Pancirolum tibi audiendum, colendumq; delegisti. Cujus consilii, mihi crede, majorem indies fructum, voluptatemqve capies. Nam de Joh. Vincentii Pinelli consuetudine nihil dico. Non enim dubito, qvin ipse jam perspexeris, qvæ sint in illo juvene virtutes, qvæ probitas, qvæ eruditio,

qvæ

qvæ humanitas: ut omni dignissimus honore sit; qvi tamen ab omni honorum cupiditate, sola virtute contentus, longissimè distat. Hanc facultatem, non ego te, ut urgeas, adhortor; sed gratulor potiùs & tibi, & patri tuo, qvod ita vivas, ut omnes à te omnia summa exspectent: mihi verò plurimùm gaudeo, qvòd, cùm te ipso sit nihil amabilius, tu tamen amicitiam meam, qvasi magni pretii rem tibi expetendam putasti. Qvod ût facilè conseqveris, ita velim evenire, ut officiis te ita colere possim, ut benevolentiæ in te meæ parem, id est, maximam utilitatem percipias. Vale. Romæ, III. Idus Sextilis, M.D.LXVI.

FRANCISCO MANCINO, PERUSIUM.

EPIST. XVII.

Excusat se, qvòd nunqvam putârit Mancinum sui esse oblitum; Deinde illius excusationem de prætermisso literarum officio accipit, & cur onus scribendi ipsi nolit imponere, causas affert.

MIhi verò nunqvam venit in mentem diffidere memoriæ tuæ: à qvo enim diligi me, non solùm cupio, verùm etiam libenter mihi persuadeo, cur ei me effluere ex animo credam? qvod sine summo dolore facere non possem. At scripsi ad Cardanetum. Non eqvidem ob eam causam, ut promissi te admoneret, sed ut pecuniam à bibliopola exactam tibi numeraret. Qvod opinor factum. Officium literarum, à te prætermissum, cum

excusas, facis, ut officium tuum magis desiderem. Amo enim mirabiliter ingenii tui excellentem imaginem, egregiè in epistolis expressam. Itaque, carere me hac voluptate, non facilè patior. Nec tamen plus oneris tibi impono, quàm per studia tua licet; cùm præsertim facere te in doctrina magnos processus intelligam, ad scribendum ita te hortor, ut à libris non avocem. Quod si utrumque potes; ut certè potes: novi enim industriam, & facultatem tuam: oblecta, nos tuis interdum literis: & ad illa majora simul incumbe; ut augeas domesticam rem: & dignitatem, omni re præstantiorem, consequaris, Vale. Aldus tibi salutem dicit, vehementerque tuâ sui memoriâ delectatur. Romæ, IV. Kal. Sept. M.D.LXVI.

JOANNI CASELIO, FLORENTIAM.

EPIST. XVIII.

Caselium in patriam cogitantem, & recordatione veterum molestiarum solicitum consolatur, quod nullus sit locus, ubi non quid adversi occurrat.

Cùm à discessu tuo nihil omnino de te, neque ex tuis, neq; ex aliorum literis, cognovissem; habere te iter in patriam, facilè suspicabar. Nunc video, te in Etrusca regione consedisse, amœna illâ quidem, & ad vitandos calores, quos hîc pertulimus, gravissimos, admodum aptâ: veruntamen, id si consiliô feciſti, gaudeo; sin morbô coactus, ita doleo, ùt amicitia nostra, & studiorum tuorum jactura, postulat. Quòd ais, cogitare te domesti-

mesticos lares, & in ea tamen cogitatione nonnihil pungi recordatione veterum molestiarum: ô mi Caseli, ullumnè locum putas esse, in qvo adversi nihil occurrat: in qvo ex voluntate fluant omnia: invidia tamen, qvæ tui similes, id est, præstanti præditos ingeniô viros, sæpè vexat, ad extremum, ut scopulô fluctus, ita virtute frangitur. Qva spe te decet, ut hominem sapientem, vindicare animum ab omni curâ, ut fructum capias excellentis doctrinæ tuæ; qvâ, nisi te ipsum juvas, cùm aliis prodesse consveveris, ὀίκειαν industria. Amicum tuum, juvenem egregiis moribus ornatum, libenter cognovi: longiorem cum eo sermonem habere per negotia non licuit. Vale. Hæc scripsi raptim. Romæ, III. Idus Octobr. M. D. LXVI.

ZEBRINO RITIO,

EPIST. XIX.

Ritio primùm gratulatur, qvòd in patria à suis civibus diligatur. 2. Deplorat immaturam mortem Johan. Perpiniani.

QVantum mihi filioqve meo, tui amantissimo doloris, ac molestiæ, discedens reliqveras; cùm tua nobis consvetudo admodum jucunda, industria etiam perutilis interdum esset: tantum solatii, & voluptatis, utriq; nostrûm attulit epistola tua: qvanqvam, qvod tu scribis, te tuis civibus esse carissimum, id ipsum fore putâramus. Qvis enim ita expers humanitatis, aut ita barbaris moribus esse potest, qvẽ tua probitas, & virtus ad

amorem tuî non alliciat? Qvis autem ab iis te diligi miretur, qvi futurum intelligunt, ut majores qvotidiè fructus ex ingenio, doctrinâ, diligentiâ tuâ, percipiant? Qvo tibi nomine, mi Zerbine, vehementer gratulor. Nam, ùt optabilius nihil est, qvàm amari à bonis viris, præsertim in patria: sic nihil in rebus humanis præstantius, qvàm de patria benè mereri, & qvasi parenti optimo gratiam aliqvam referre. Hanc tu nactus occasionem, contemne reliqva: & hoc unum age, in qvo summa tibi & gratia, & gloria posita est. In hanc sententiam plura scriberem, nisi tuos jam sensus, & præclaram animi tui ad honesta omnia propensionem, egregiè cognitam haberem. Venio ad alteram partem, qvam nec omittere possumus, nec sine gemitu, & lacrymis attingere. Decessit alienissimo tempore, cùm ad eum, salutaris doctrinæ dogmata de loco superiore ostendentem, omnis omnium concursus fieret, cùm hæreticæ factionis insidias patefaceret, impetum frangeret, tela retunderet. Decessit, inqvam, florente adhuc ætate, nimis immaturâ morte, summo ingeniô vir, incredibili scientiæ copiâ, maximâ jam apud omnes bene sentientes existimatione, & auctoritate, Perpinianus noster. Qvanqvam nostra qvidem hæc jactura tota nostra calamitas est: ille cœlô fruitur, & cœlestium animorum conspectu, circumfluens rebus iis, qvas, incluſus adhuc mortali corpore, animo tamen sæpè foras emergente, contemplabatur. Veruntamen, sublato ex oculis amico, & ex hac luce erepto, recenti adhuc vulnere doleamus,

mus, necesse est. Ratio fortasse medebitur, aut dies: memoriam qvidem tanti viri mihi nulla dies adimet. Qvòd hortaris, ut edam Commentarios: currentem incitas: sed adhuc qvædam adversantur; qvæ tamen, spero fore, ne diutius impediant. Etiam in Patris Grammatica, tibi ut satisfiat, operam dabo. Vale. Aldus tibi multam salutem. Vale, iterum, mi optime Zerbine, & patriæ, ac Musis, tranqvillô otiô, vive. Romæ, III. Non. Decemb. M. D. LXVI.

P. S. Jam ad te scripseram, cùm ecce bellaria tua: qvæ mihi pergrata sunt: sed, mihi crede, amorem istum in me tuum bellariis omnibus antepono. Etenim illa palatum, hic animum non vulgariter oblectat. Catechismum ad te mitto. Commentarios meos tuâ causâ aliqvantò citiùs emittam.

VIDO GVALTERIO, NARNIAM.

EPIST. XX.

Gratulatur Gualterio de munere scholastico, qvod Narniæ nactus est, eumqve hortatur, ut Spartam hanc ornet, & civibus se amabilem præbeat.

Form. Hortandi. Intende igitur omnes. (A)

Form. Excusandi hortationem. Qvod ut scriberem. (B)

ANtea, cùm tu ad me, pro nostra amicitia, de Narniensi conditione retulisses: etsi non satis constituere poteram, qvid tibi agendum censerem, auctor tamen potius eram, ut urbem Romam

ne relinqveres: non tam propter hæc vestigia antiqvitatis, qvorum adspectu mirè fruuntur homines eruditi: qvàm qvòd esse te in oculis videbam nobilibus viris, qvorum auctoritas, & gratia rationibus tuis prodesse vehementer posset. Nunc autem, cùm te istic admodum libenter esse, florere civium optimorum benevolentiâ, excellentibus ingenio discipulis abundare significes; non tu qvidem efficis adhuc, ut abesse te gaudeam; asseqveris tamen illud, ut aliqvantò minùs doleam. Qvod si alteris literis, id qvod eqvidem tuâ causâ in primis opto, eadem confirmaveris; prorsus à dolore ad lætitiam transferar; &, cùm ex tuis commodis voluptatem maximam capiam, tum istam valde amabo civitatem, qvæ te tam honorificè acceperit, qvæ tuam industriam, virtutem, probitatem liberalissimè complectatur; cujus amoris, & officii, certò scio, te non esse commissurum, ut eam unqvam pœniteat. Non enim aut in tua disciplina mendum, aut invita labem, aut in moribus agreste qvidqvam, vel inhumanum, unqvam videbit. Qvæ qvò sunt hac ætate, in iis, qvi juventutem egregiis literis excolendam, ac moderandam suscipiunt, rariora: eò plus honoris, utilitatisq; tam præclara virtus postulat. Qvanqvam tu qvidem, si præstantiam animi tui bene cognitam habeo, mercedem meritorum tuorum majorem nullam statues, qvàm eorum, qvibuscum vivis, benevolentiam: & illud tamen credes, eum, qvi diligatur, necesse esse, ut rebus omnibus abundet, qvæ non modò ad fructum domesticum, & ad subsidia vitæ

necessa-

necessaria, sed ad speciem qvoqve, ad dignitatem, pertineant. Intende igitur omnes (A) nervos, ut iis, qvi te amant, amabiliorem te qvotidie præbeas, &, qvam Spartam nactus es, eam non modò tueare, verùm etiam cum primis ornes. Qvod ut scriberem, (B) amor impulit; non qvia te, jampridem ad omnem laudem, patris exemplò, atqve doctrinâ, institutum, consvetudine postea confirmatum, vel meâ cohortatione, vel cujusqvam egere præceptis existimem. Vale. Romæ, VII. Id Decembris M. D. LXVI.

MUCIO CALINO EPISCOPO INTERAMNÆ, INTERAMNAM.

EPIST. XXI.

Primò gratulatur Calino de Episcopatu, qvem nactus est. Deinde hinc arreptâ occasione commendat ipsi qvendam Julium Jacobonium, qvem ab ipso cupit amari.

ARCHIEPISCOPUM præstare Episcopo dignitate, nemo nescit: bonis tamen viris, cùm te, omisso Jadransi Archiepiscopatu, Episcopum Interamnæ esse factum auditum esset, visa res est in primis gratulatione digna. Nam, qvod ad dignitatem attinet, Italiam cum Illyrico conferentes; nihil imminutum putabamus: qvod ad commoda, additum aliqvid potiùs, qvàm detractum. Jam illud, licere tibi interdum ad Urbem, nobis ad te, cùm velimus, excurrere, qvanti æstimandum? Nam neqve te amicis tuis prorsus carere, tua suavitas patitur; neqve nobis qvidqvam mo-

lestius, qvàm adspectûs & sermonis tui sitim diutiùs ferre. Qvocirca ego qvidem statim, auditâ re, lætatus animo sum: literis gratulari cùm maximè vellem, negotiis tamen impeditus, officium veteri nostræ necessitudini debitum prætermisi. In qvo me tamen, cùm meæ conscius erga te perpetuæ observantiæ, tùm tuæ memor humanitatis, facilè culpâ libero, atqve etiam (vide, qvid mihi de tua benignitate pollicear) sperare audeo futurum, ut, qvi à me diliguntur, eos amicitiâ tua ne excludas. Neqve tamen hoc in multis ambitiosè petam: tantùm deligam, qvos tibi non tam mea commendatio, qvàm ipsorum optima studia conciliare possint. In his excellit in primis juvenis bene moratus, iis perpolitus literis, qvæ nos à pueritia delectarunt, Julius Jacobonius. Vivit conjunctissimè cum filio meo, ut ferè ætate, & studiorum similitudine jungantur: me verò, qvod multis in rebus intellexerim, sicut alterum parentem observat, & diligit. Itaqve videor illi debere omnia, qvæ possum: nec sanè ullum eius vel adjuvandi, vel ornandi, locum prætermitto: sed ex omnibus officiis nullum ei video gratius, aut jucundius præstari à me posse, qvàm si per me consequatur, ut aditum ad te habeat, à te cognoscatur, numeretur in tuis. Qvod etsi non dubito, qvin facilè impetrem: novi enim tuam Φιλανθρωπίαν: novi etiam, qvò ipse locò apud te sim; tamen ita peto, qvasi agatur existimatio mea. Sic enim statuo, cùm te tua virtus, nullo fortunæ præsidio, in ista dignitate collocârit, valdè ad existimatio-

mationem meam pertinere, hoc si percrebescat, me abs te tantum amari, qvantum & optavi semper, & mihi persuasi. Vale. Romæ, Id. Decembr. M. D, LXVI.

ANTONIO FURNARIO, NEAPOLITANO.

EIPST. XXII.

1. Significat se de Furnarii valetudine solicitum esse. 2. De fortunis suis qvid detractum esse qveritur. 3. De munusculo ipsi gratias agit.

ITa mihi, qvæ opto, contingant, ùt de tua valetudine valdè sum solicitus: nec levabitur dolor meus, nisi cùm te non solùm periculô, sed prorsùs omni molestiâ liberatum cognovero. Qvod utinam brevi fiat. Cur autem id futurum non sperem, cùm te, diffidentem humanis remediis, ad pias preces videam esse conversum? Me qvidem ex adversis rebus hæc una sæpè ratio, jam omni spe destitutum, eripuit. De fortunis meis detraxit aliqvid superior annus, hic fortasse damnum sarciet: sin aliter eveniet, æqvô tamen animô feremus, minuente sensum doloris consuetudine, & cupiditatem ætate. De munusculo, qvi tibi venit in mentem ægrotanti? Magni hoc amoris signum. Itaqve sic tibi ago gratias, tanqvam de re ampliſſima: qvandoqvidem nihil mihi pluris est, qvàm amari à te, qvem præter cæteros amabilem virtus facit. Stomacho certè meo, qvod antea scripseram, nihil gratius hôc genere medicamenti. Vale. Romæ, Kalend. Febr. M.D.LXVII.

CAMILLO PALÆOTTO, BONONIAM.

EPIST. XXIII.

Gratulatur sibi de amicitia Palæotti, & illi gratias agit, quòd sibi de Amutio Cardinali pristinæ valetudini restituto gratulatus fuerit; laudatisque hujus viri virtutibus se Epistolam ipsius Amutio legendam dedisse, scribit, qua lecta ipsum salutare jusserit.

Aqvo primùm die, Palæotte optime, mihi cognitus es, duxi te semper in eorum numero, qvi nostrâ hac ætate antiqvæ virtutis imaginem referunt, esse reponendum. Nam & bonos & præstantes viros amas, omniq; studio complecteris: & ipse, qvæ artes amorem conciliant, iis ita excellis, ut vicissim te omnes ament, nec minorem exingenio, doctrinaq; tua, qvàm ex humanitate, & liberalitate fructum capiant. Eqvidem in meis secundis rebus id maximè numero, qvod olim tua mihi benignitas aditum aperuerit ad amicitiam tuam: illud dolere sæpè, cogor, qvòd ita fortuna tulerit, ut disjuncti viveremus, & eriperetur utriqve nostrûm suavitas illa, qvæ sine dubio, cùm unà sumus, longè major est, qvàm cùm aut ego tuas, aut ipse meas epistolas legis. Adde, qvod tibi perqvam rarò scribendi occasio, mihi ne facultas qvidem datur. Ita, qvi est in literis fructus, eô etiam propè caremus. Qvô tamen in genere tuam diligentiam, vel humanitatem potiùs incredibilem agnosco: qvi nullum hujus officii locum prætermittis: ùt proximè, cùm de Amulii Cardinalis incolumi-

tate

tate cognoviſſes, feciſti peramanter, qvòd & mihi, qvi illum virum in oculis fero, unumqve præcipuè colo, per literas gratulandum, & ſignificandam exiſtimaſti lætitiam tuam. Sed ego viciſſim tibi, & bonis omnibus, eô conſervatô, cùi præter cetera virtus placet, vehementer gratulor. Nam, ſi qvid illi nunc humanitus accidiſſet: ſuô fortaſſe tempore, cùm nec ætati parùm, & gloriæ plurimùm vixerit, noſtrô certè, & univerſæ bonorum Reip. alieniſſimô deceſſiſſet. Vides profectò, nec dubito, qvin idem ſentire videas excellenti virtute, ac ſapientiâ Cardinalem, fratrem tuum, pares eſſe Amulio noſtro dignitate non paucos, opibus etiam, & iis rebus, qvas elargiri fortuna ſolet, ſuperiores multos: at illa ſi perpendimus, qvæ ſunt animi ingeniiqve bona, id eſt, qvæ verè bona ſunt, doctrinam ſtudiô, prudentiam uſu rerum maximarum partam, præterea benignitatem, probitatem, religionem; qvàm non multi ſint, qvos ei conferre poſſimus, opinor, intelligis. Jure igitur, illo graviter ægrotante, ita mœrebamus, qvaſi cum illius ſalute noſtra ſalus in diſcrimen adducta videretur: & nunc, eodem incolumi, tum ſuâ qvisq; causâ, tum bono publicô omnes lætamur. In qvo non dubitabam eqvidem, qvin tuus ſenſus cum meo ſenſu congrueret: veruntamen egregiæ teſtem voluntatis epiſtolam tuam legi perlibenter. Vidi enim amorem in me tuum, & ſtudium ſimul erga Chriſtianam Rempubl. propè ſingulare. Nam de Amulii morbo ita ſolicitus eras, ut eodem tempore & dolor meus, & publica jactura tibi ante oculos eſſet. Itaqve

qve non putavi committendum, ut ipsum celarem de literis tuis; ostendi: legit jucundissimè: nec tacuit de tua laude: mihiqve, ut salutem tibi ejus verbis adscriberem, ac sua tibi studia prorsus omnia pollicerer, ita mandavit, ut vultu & verbis planè animum exprimeret. Ego de te, qvæ soleo, summam esse tuam in illum observantiam: optatius tibi nihil esse, qvàm ut, si qvid ejus causâ præstare possis, utatur operâ, curaq; tuâ. Addidi qvædam de vetustate necessitudinis nostræ, de tuis etiam in me officiis: ut sciret, cùm tu de meis commodis maximè semper laboraveris, cupere me non mediocriter, ùt à qvibus ipse diligor, iidem te pari benevolentia complectantur. Vale, & Cardinali optimo, fratri tuo, salutem dic meo nomine plurimam. Romæ, VII. Id. Mart. cIↃ IↃ. LXVII.

JOANNI CASELIO, FLORENTIAM.

EPIST. XXIV.

Caselio mittit exemplum epistolæ ad ipsum scriptæ, qvæ relicta erat ab eo, qvi illius attulerat: Deinde ipse gratias agit, qvòd pluribus ipsum amicis augeat.

OMninò erat ἔωλος epistola mea: qvam ut acciperet, nunqvam ad me rediit is, qvi tuas literas attulerat; veruntamen eam ad te mittendam putavi, ne tibi in aliqvam fortasse neglecti officii suspicionem venirem. Ejus exemplum hoc est.

Epi-

Epistola, de qva hic mentio fit, legitur sexta ante hanc.

Qvòd me amicis crebro auges, præsertim hominibus virtute præditis: perbenignè facis. Utinam præstare aliqvid vel tuâ, vel eorum causâ possim. Vos enim, qvæ vestra bonitas & humanitas est, animô fortasse contenti estis: ego, qvi meus erga liberalium doctrinarum studiosos amor est, nisi animum officia probent, contentus esse vix possum. Vale. Romæ, XVI. Kal. April. M.D. LXVII.

PETRO PERPINIANO, LUGDUNUM.

EPIST. XXV.

Excusat se Perpiniano de raritate literarum, &, ipsius literis nihil sibi gratius esse, ostendit. Deinde gratias ipsi agit de conciliata sibi amicitia Roderici Falconii. Tertiò gratulatur ipsi de animi constantiâ in defendenda Religione. Qvartò ob rumorem de Lambino & Tuneto sparsum dolet.

CUR ego tibi excusem silentium meum? Odi ista vulgaria: nec tu is es, qvi vel amicis duriorem te præbeas, vel, qvibus ego negotiis, qvantam & qvam assiduè à me operam exigentibus, distinear, ignores. Ac si velis amabiliter, & verè cogitare, ita credes: nullâ me magis affici voluptate, qvàm cùm tuas epistolas lego: rursus, si qvis est, qvi ab officio discedat invitus, eum esse me. Qvare, ut ego tibi ingenio, eruditione, industria comparare me non ausim: ita, qvibus maximè

mè rebus amicitia colitur, humanitate, officio, observantiâ neqve te mihi, neqve qvemqvam antepono. Hoc te cupio credere. Qvod si impetro, simul illud impetro, ut omni me cum præteriti, tum futuri temporis culpâ, si fortasse rarius ad te scripsero, planè liberes. Qvanqvam nunc qvidem, tuis ut rescriberem literis, abjeci omnia, victus beneficio tuô. Beneficium enim certè, non mediocre nescio qvod, sed qvantum esse potest maximum, à te habeo, qvòd mihi amicum dederis Jacobum Rodericum Falconium, prudentissimi & optimi viri filium, ipsum iis literis ac moribus ornatum, ut cùm me vel negotia, vel ipsa jam ætas ab amicorum consuetudine removeat, hôc tamen juvene qvotidiè ferè utar jucundissimè. Ac sæpè de te sermo, illô libenter præclara tua facinora, pro Christi gloria narrante, me libentiùs audiente. Certamus enim, ùt video, amore erga te, sic, ut alter ab altero vinci interdum gaudeat, interdum ægrè ferat: ita non planè nobis totus abes. Qvod enim oculis eripitur, asseqvimur animô, memoriâ, mentione tui, tuarumq; virtutum qvàm creberrimâ. Tu contrà, si parem gratiam referre vis, alterum Falconium reperi: si modò similem probitate, ingenio, observantiâ in utrumqve nostrûm reperies. Sed opto te felicem esse, & similem reperire: ut, de nobis cogitantes nonnunqvam, & colloqventes, officium amicitiæ debitum persolvatis. De tragœdia mirè sum lætatus, præsertim agente Falconio. De animi tui constantia, tibi gratulor, DEO gratias ago, à qvo ista manant.

nant. Tibi enim certè & fortissimo cuiqve, nisi divina vis affuisset, præsenti discrimine, in tanta gladiorum licentia, animus concidisset. N. † bonam mentem opto. Cujus enim ingenium, & doctrinam amo, de eo si qvid afferetur durius, cum dolore audiam. Sed, qvid est, qvod etiam de Turnebo, tali viro, utinam falso rumore, dissipatur, aversum à salute periisse? O magnum malum, nec re magis, qvam exemplo! nam plebs imperita, licentiæ cupida, si peccat; minùs mirùm: doctos viros, rectis antea sensibus euntes, offendere, & labi, maturâ jam ætate, qvis non ingemiscat? Filius te salutat. Tu meis verbis eruditum in primis, & probum adolescentem, Josephum Scaligerum, si est Lutetiæ, salutes, velim. Vale, Romæ.

EPISTOLARUM PAULI MANUTII

Lib. VIII.

PIO IV. PONTIFICI MAXIMO.

EPIST. I.

Est petitoria. Nam laudato Pontificis ad ornandas literas animo, indicatisqve causis hujus scriptionis, exponit Pontifici, rem suam privatam non posse diutius esse contentam eo salario, qvod hactenus habuerit: ac proinde ipsum rogat, ut fo[illegible]nas suas subsidio ali[illegible]qvo fulcire velit.

Qvid

QVid antea de literis, ac bonis artibus existimaveris, Pie IV. Pontifex Max. qvam semper fueris, hodieq; sis ad eas excitandas, ornandasq; præclarè animatus; & omnes jam pridem norunt, & ego superiore anno sum expertus, cùm eo me consilio Romam evocasti, ut sacros præcipuè libros, ab hæreticorum nefaria peste vindicatos, ederem qvàm liceret emendatissimè, & in hac elegantioris olim doctrinæ parente atqve altrice, nunc divinorum institutorum custode, ac præside Urbe perpetuum meæ vitæ domicilium collocarem. Cum ista mente, istaqve ad bene agendum propensione summam potestatem conjunxit Deus, non solùm ut impendentes Reip. Christianæ calamitates averteres; qvod à te curari egregiè, atqve effici omnes fatentur; verum etiam, ut à publica cura oculos interdum converteres ad privatorum incommoda, eaqve cùm videres, opem afferres non pro cujusqve libidine, sed pro judicio, ac sapientia tua. Hæc me cogitatio, diu verentem, ne appellare literis Maximum Christi Vicarium, excubantem animo semper pro Christianæ Reipubl. salute, impudentiæ posset adscribi, ab ancipiti consilio ad certam sententiam revocavit, effecitqve, ut ea scribere audeam, qvæ ne coràm agerem, majestate tua primùm, deinde etiam pudore qvodam meo sum deterritus. Totum hoc imprimendi munus, qvod mihi à te mandatum pro mea fide curo, duas habet partes: publicam unam, qvæ ad communem animorum utilitatem pertinet, ut è sacris libris maculæ

omnes

omnes eluantur; alteram privatam, ut ea mihi interim ſuppetant, qvæ ſi abſint, mecum, & cum meis agatur incommodiùs. Qvod ad priorem attinet, facerem arroganter, ſi tibi tantam rem, qvâ neſcio, an ulla magis hoc qvidem tempore omnibus expediat, ſtudeam commendare: cùm qvatuor ſpectatæ virtutis & innocentiæ Cardinalium, qvos huic negotio præfeciſti, ſingularis prudentia nihil deeſſe patiatur. Qvare hanc partem, cui nondum tua liberalitas defuit, nec, ut ſpero, unqvam deerit, omittò non invitus: de me ipſo, ſiqvidem tua permittat humanitas, (qvid autem ea non permittat?) attingam pauca. Ego, cum ad Urbem veni; licet à Pio IV. rectè & laudabiliter vivendo ſperari poſſe omnia intelligerem; tamen efferri me cupiditate non ſum paſſus: nec fictivi honores: nec auri, argentiq; ſplendore ſum captus: id ſcil. unum ſpectavi maximè, ut benevolentiâ tuâ, in qva pono omnia, perpetuò fruerer, eâqve me, qvantum conſeqvi ſtudiô, qvantum induſtriâ liceret, non indignum præberem. Domeſticis rebus, qvas negligere prorſus, qvi pater eſt, non poteſt, amare nimiùm, qvi ſe Chriſtianum eſſe meminit, non debet, ſatis conſultum putabam honorariô illô annuô, qvod à tua benignitate impetraveram: nec dubitare tamen poteram, ſi qvid præterea meæ rationes exigerent, qvin id haurire poſſem ex eodem fonte, ad qvem aditus ambitioſè petentibus vix pateret unqvam, moderatè cupientibus præcludi nunqvam ſoleret. Sic annus abiit: nec mihi novam interea cupiditatem dies attu-

lit; qvæ etiam admonet, qvò propiùs ad hujus peregrinationis, qvæ vocatur vita, finem accedimus, eò minùs de viatico laborandum. Itaqve mutatum nihil est in consiliis meis; animus, qvos antea sibi fines præscripserat, iisdem se continet, ultrà nihil appetit: sed corporis alia qvædam ratio est: ætas jam ingravescens qvasi extra ordinem multa desiderat: multa etiam, præsertim in laboribus, ac studiis valetudo reqvirit imbecillior: qvæ si negligam, ingratè mihi videar agere cum Deo, à qvo acceptum vitæ munus magni facere, ac tueri diligenter debemus. Qvid caritas liberorum meorum, qvibus in me uno sunt omnia? Ea me appellat, nec patitur obliviscì, qvid naturæ debeam; & mihi me ipsum eô nomine commendat, qvòd in mea salute multorum salus, fortunæq; nituntur. Qvæ cùm ita sint: & cùm his causis, qvas commemoravi, magnoperè confidam; tamen ita statuo, majorem commodi mei spem in tua præstanti bonitate mihi esse reponendam. Qvare nihil definio, neqve mihi certum beneficii nomen peto: qvod qvi faciunt, ignorant, scil. à qvo petant, & in angustum revocant, qvæ latissimè patet, benignitatem tuam. Ego rationes meas Principi maximo, & ad beneficentiam nato, commendare me intelligo. Nihil me postulare præcipuum decet. Unum illud indicare satis est, fulciri oportere subsidio aliqvo fortunas meas: qvod ipsum tamen voluntati, arbitrioqve tuo totum permittatur. Mihi qvidem, si qvid à tua liberalitate proficiscatur, qvid-

qvid

qvid sit, æqvè gratum futurum est, ac si me omni beneficiorum genere cumulâsses.

CAROLO BORROMÆJO, CARDINALI.

EPIST. II.

Petitoria. Rogat Borromæjum, ut apud Pontificem negotium suum agat, & efficiat, ut Romæ libenter vivat. (h. e. ut augmentum salarii obtineat.)

Form. Promissionem alteri in memoriam revocare.

Ibi: Non patitur. (A)

Form. Promittere gratum animum. Dabo operam. (B)

NOn patitur (A) aut benignitas, aut consvetudo tua, ut appellandus à me sis de eo, qvod semel & iterum humanissimè promisisti: & ego is sum, qvi, qvod semel petii, licet ad constituendas fortunas meas valde pertineat, impetrare cupiam, non exprimere. Veruntamen non sum veritus, ne tibi molestiam afferret iterata petitio, hominis præsertim studiosissimi, & de tua laude, qvantum imbecillitas mea præstare possit, assiduè cogitantis. Optabile est, ut qvi optima cupiunt, iidem vel omnia possint, vel apud eos, qvi possunt auctoritate & gratia, plurimùm valeant. Tibi utrumq; contigisse, non stulti homines arbitrantur. Nam & natura propensus es ad ea, qvæ præclara sunt: & hæc ipsa propensio, singulari ingenio, & virtute conjuncta, ita tibi amorem conciliavit sapientissimi Pontificis avunculi tui, ut cùm omni te munere dignum ducat, tum verò libenter, translata in te gravissimorum negotiorum parte, relevetur.

Amplectere igitur pro tua summa prudentiâ, vel retine potiùs, qvam amplexus jam es, occasionem divinitùs datam. Eripuit jam benemerendi consvetudinem temporis iniqvitas; eam si restituis, qvod facere cœpisti, & facies: iisdem, qvibus majores tui, gradibus in cœlum adscendes, relictâ familiæ tuæ gloriâ, qvam nulla dies exstinguat. Ego autem, si per te conseqvor id, qvod in tua manu situm est, ut Romæ libenter vivam: vix enim libenter, ubi parùm commodè, qvisqvam vivit: dabo operam, (B) & fortasse efficiam, ne sit obscurum beneficium tuum: memoriâ qvidem, & voluntate, si re ipsa minùs potero, ingrati animi culpam vitabo. Vale. Romæ, Kalend. Novemb. M. D. LXVII.

HANC SCRIPSIT A PRINCIPE ROGATUS.

EPIST. III.

Reprehendit Consiliarium suum Princeps, cujus nomine est scripta, qvod sexagenarius nuptias iterârit, & virginem juvenculam duxerit: ubi disputatur: An seni iterandæ sint nuptiæ. *Et negativa ferè concluditur sententia.*

HOnesta res, jucundaq; inprimis nuptiæ putantur: nec immeritò. Nihil enim ad generis humani perpetuitatem Natura magis postulat, qvàm ut fœminis jungantur mares: nec eâ conjunctione qvidqvam non modò commodius, verùm etiam dulcius esse potest. Habere secundis rebus mulierem, lætitiæ sociam, lætitiam auget: adversis

sis pariter mœrentem, solatii genus est. Jam, qvæ ad cultum, ad victum, vitamq; pertinent, ea cùm uxor ministrat, aut curat, qvantam jucunditatem habent? Reges eqvidem ipsos non arbitror è suis regnis tantam voluptatem capere, qvantam fidelis conjugii consvetudo & convictus affert. Qvæ tibi, optime†, ex tuis veteribus nuptiis probè cognita cùm essent; propterea factum opinor, ut secundas appetieris, & eandem omnino svavitatem regustare volueris. Hoc tuum consilium, pro suo qvisqve sensu, variè homines interpretantur. Lætari multos video, ùt in re optimâ; qvosdam admirari, ùt parùm exspectatâ; dolore nonnullos, ùt adversâ. Mihi, in hac opinionum, & sentiarum varietate, animus vehementer in dubio est. Lætitiam à me poscere videtur amor in te meus, ortus ex memoria præceptorum tuorum, qvibus me puerum ad omnem veræ laudis cupiditatem excitasti: sed idem amor ante oculos ea proponit, qvæ cùm cogito, tantum abest, ut lætari possim, ut dolore etiam afficiar; neqve id tuâ magis causâ, qvàm publicâ. Nam, etsi, qvod tibi placuit, idem ut perpetuò placeat, atqve expediat, vehementer opto: tamen, cùm ætatem tuam considero, qvæ jam ad senectutem vergit, interdum vereri cogor ne aliter eveniat. Sua cuiq; ætati studia natura tribuit. Qvæ juventus amat, respuit senectus. Contrà senectutem oblectant, qvæ fastidit juventus. Tu tamen homo jam ferè sexagenarius, adultò jam, penè filiò, novum conjugium probasti: qvoqve magis miremur, non æqvalem, aut ætate proxi-

mam, verùm adolescentulam duxisti: utrum voluptatis, an procreationis causâ, præter te nemo novit. Voluptatis qvidem suspicione, pro mea in te benevolentia, libenter te libero; sed alii, qvorum judicium amor impedit, de ista re qvid sentiant, ipse videris. At procreatio liberorum optanda. Qvis hoc improbat? aut qvis aliter sentit? Veruntamen temporibus multa distinguuntur: nec idem semper omnibus licet: nec eadem semper omnes decent. Qvo de genere si pluribus tecum agam, & illud usurpem, qvod Apollini tribuit antiqvitas, *Cognosce te ipsum*, ignorare videar utrumq; nostrûm, &, qvod ajunt, *Sus Minervam erudire velle*. Tu enim is es, qvi hæc ipsa mihi olim puero cantabas: qvæ mihi nunc insita penitùs in animo hærent; nec evelli unqvam sinam: tùm qvia præclara, tum qvòd à te tradita, qvem unicè diligo. Recognosce igitur doctrinam tuam: & cùm illa, qvæ tractandis veterum monumentis observasti, in memoriam redegeris, tum cogita, qvàm jure mirentur nonnulli, aut etiam doleant, te talem virum, istâ ætate, istâ existimatione, vivô & incolumi optimæ spei filiô, cùm ipse te adspicere, cùm valetudini tuæ parcere, cùm juventutem ab immoderata libidine tuis monitis revocare ad continentiam deberes, tum puellæ amore captum, ejus complexum, & consuetudinem sic optasse, non modò, ut hominum de te opinionem, aut filii commoda parvi faceres, verùm ut ipse vitæ tuæ novo vitæ genere periculum strueres. Qvis enim nescit, qvod veteres qvidam Philosophi memoriæ prodi-

dernut.

derunt, Veneris usum prodesse nunqvam, obesse autem sæpissimè? Qvod si qvis in pubium vocet; id negari certè non potest, senescentibus, deficiente naturâ, nullâ re magis, qvàm concubitu, vires minui. Qvod à te ignorari, qvi tàm multa nosti, turpe est. Aut, si non tu qvidem hoc ignoras, sed rationem libido vicit, qvis te audiat ita excusantem? hoc qvidem est augere culpam, non minuere. Atqve hæc tuâ causâ nos angunt: qvid, publicâ? tantò magis, qvantô æqvius est, de multis, qvàm de paucis, laborare. Nam, cùm tuo judicio, tuaq; scientia, in omni causarum genere uteremur; cùm tuæ lucubrationes civile jus, eximiâ tuâ cum laude, illustrarent; cùm omnes lites, ac contentiones, æqvitate, & sapientiâ tuâ dirimeres: optandum erat, ut hujus boni, qvô nullum in civitate præstantius, diuturnâ admodum usurâ frueremur. Nunc à te, novæ conjugis illecebris irretito, non modò lucubrationem ullam homines non exspectant, sed verentur etiam, ne majorem diei partem, nedum nocturnas horas, domesticis oblectationibus tribuas. Interim præclaræ illæ frigebunt actiones tuæ. Minùs libenter audies disceptantes: non tam attentè, qvæ dijudicanda erunt, considerabis: non facilè qvenqvam admittes: non sæpè prodibis in publicum: non, ùt antea, tui copiam facies: deniqve, cùm antea ita vixeres, ut Reipublicæ natus viderere, nunc te, ad privata studia conversum negligere communia, nemo est, qvi æqvo animo ferre possit. Qvæ si alios cura tangit: qvâ me affici molestiâ, qvo

angi dolore par est? non enim is ego sum, qui meas partes aut ignorem, aut negligam: meum est, civium otio, saluti tranquillitatique consulere; meum, præstare, aut conari saltem, ut, quos potestati, fideique meæ DEUS commisit, æquo jure omnes regantur, nullius injuriæ pateant, nihil contra leges agant, nihil, præter leges, timeant. Hujus præclari muneris cùm ego te, pro tua præstanti, mihi jampridem cognitâ, virtute, ministrum, participemque delegissem, gratulabar & mihi, & civibus meis, non mediocriter; mihi, quod magnâ laboris parte me levaret industria tua; civibus, quod omnes te judice libenter uterentur, optimè de tua, non solùm doctrinâ, verùm etiam probitate, sentientes. Nunc, si officia, studiaque illa intermittis; si languidiùs ea curas, quæ ad populi fortunas pertinent, quæque ego, curari à te diligentissimè, & volui in primis, & putavi; vereor, ne quotidiè voculas exaudias hominum te accusantium, quòd à pristina causâ desciveris, & à virilibus institutis ad mollitiem quandam, inanemque voluptatem, deflexeris. Erunt etiam fortasse nonnulli, qui me, non adductum judicio, sed amore lapsum, tantas res tuæ fidei, constantiæque, non satis prudenter commisisse dicant. Quibus ego quid respondeam, quoniam ipse non satis dispicio, tu, qui vides acutiùs, doce me. Equidem nihil malo, quàm & te tui quàm simillimum esse, & me mei judicii nunquam pœnitere. Quod si secus evenerit, errasse me cum aliquo existimationis meæ damno, facilè patiar; tuo cum

cum dedecore, feram iniqvissimè, addito præsertim meorum civium dolore, qvi te in oculis jure ferunt, nec adspectu carere tuo possunt, nec sermone & consilio privari. Qvæ propterea ad te scribo, ut intelligas, qvantam animô curam sustineam, qvanta tua res agatur; & ideo operam des, & ut me solicitudine, & te infamiæ periculo, aut certè hominum sermone, liberes. Scribo autem seriùs, qvia pendebam animi, nec satis, qvô tecum uterer officii genere, constabat. Gratularer? at contrà sentiebam. Dolerem? at malè ominari visus essem, in ea præsertim re, in qva tibi, vel si damnum aliqvod res publica faciat, secunda tamen omnia sic exopto, ut in hoc studio ferè tecum certem, alios qvidem omnes facilè vincam. Vale, & ita fruere domesticis bonis, ut publica ne negligas. Qva de re non mea qvidem ulla suspicio, sed vereri me nonnunqvam cogit dubitatio multorum: qvam cupio falsam & inanem esse.

PAULO STEMPOVIO, NEAPOLIM.

EPIST. IV.

Rogatus à Stempovio, ut libros ab ipso de Rep. scriptos perlegat, & judicium suum de illis perscribat; respondet, & qvid de iis sentiat, exponit, sed tàm citò eos repeti, dolet; rogatqve, ut absolutos remittat, qvô diutius frui illorum lectione possit.

Form. ferendi judicium de alicujus scriptis. Ibi: Opes ingenii tui, *&c.* (A)

ETsi jam literas tuas, à Gorscio remissas, acceperam;. tamen hunc ex earum tarditate cepi fructum, qvod tu, dum te ita purgas, qvasi ea res ad officium tuum pertineat, & longiorem scribis epistolam, & in eo me tibi haud mediocriter obstringis, significatione qvadam amoris, & judicii de me tui. Ego, Stempovi, cùm omnes homines, ab ineunte adolescentia, in qvibus aliqva virtutis elucere signa perspicerem, colui, qvantum in me fuit; tum verò nationis vestræ probitatem, modestiam, & propensa inprimis ad liberales doctrinas ingenia, mirificè semper dilexi. Itaq; cùm ad me tuos de Republ. libros Gorscius attulisset, petiissetq;, tuo nomine, si qvando vacarem, ut eos legerem; lectis, exponerem, qvid sentirem; facilè impetravit; non modò, qvia facultatem ineundæ à Polonis gratiæ non libenter amitto; sed etiam, qvia multorum sermone cognita mihi virtus, & humanitas tua ita me incenderat, ut vehementer expeterem amicitiam tuam. Peropportunè igitur accidit, qvod ego minimè cogitabam, ut scripta tua ad me mitteres: sed valdè contra meam voluntatem, qvòd ea tam citò repetieris. Opes enim ingenii, doctrinæqve tuæ, qvibus frui diu volebam, qvasi præteriens adspexi: intellexi tamen id, qvod Gosslicio significavi, pervolutasse te, neqvaqvam remissò animô, omnes omnium libros; egregia qvæqve, tum veteris, tum recentis historiæ delibasse; nec eô contentum, addidisse rebus ordinem; ornamentis Latinæ linguæ, qvantum argumenti ratio ferret, usum esse. Nunc, si auges, ut scribis,

scribis, industriam tuam; & id cogitas, ut cùm opus absolveris ac perpolieris, iterum ad me mittas: gaudeo, & fruor animô, spe futuræ voluptatis, qvam legendo antea degustavi, nunc haurire, si per te licuerit, uberiorem cupio. Nam, corrigendi partes, qvas mihi videris imponere, si accipiam, faciam impudenter: qvid enim in tuis scriptis ejusmodi est, qvòd æqvus judex damnare possit? sin autem recusem, culpam inhumanitatis extimesco, & vereor, ne tu me, cui minimè omnium displicere velim, rusticum qvendam esse hominem, agrestemqve, suspiceris. Hoc igitur arbitratu tuo: ego, qvod in me est, desiderari abs te non patiar officium meum. Vale. Romæ, XIX. Kal. Qvinct. M. D. LXVII.

P. S. Pergratus mihi fuit adventus Persei; tum, qvòd ipsum diligo, amici mei filium, ingenio & moribus ornatum; tum, qvòd benevolentiam in me tuam humanissimo sermone exposuit. Agerem gratias, id si benignitas tua pateretur, & nisi referre mallem studiô, officiô, observantiâ: qvod ut assequar, operam dabo.

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. V.

Gratias agit de bellariis, sed nimis multis, dono sibi missis.

Form. Rogo me ames. Qvare peto à te (A) Bellaria, de qvibus antea scripseras, heri vespere per familiarem suum, ad me misit, egregiæ vir humanitatis, amicus meus, Georgius Ticinius.

us. Sanè nihil gratius, hôc præsertim æstu: sed qvæso, cur tam multa? Sunt enim vascula viginti qvatuor: næ tu IV. aut VI. si nosses imbecillitatem stomachi mei, per totam æstatem, satis esse duxisses. Agnosco igitur conjunctam amore liberalitatem. Ille enim, ut mitteres, admonuit; hæc, ne pauca mitteres. In qvo illud te cupio credere; qvanqvam hæc sint svaviſſima, me tamen frui libentiùs memoriâ tui, lætariqve potiùs, qvòd me dignum putaveris, qvem tu muneribus afficeres, qvàm si me omnium munerum copiâ cumulasses. Qvare peto à te, (A) mihi ut conserves amorem tuum; à meqve exspectes ea, qvæ, qvi vehementer amat, præstare consvevit. Vale. Romæ, III. Kalend. Qvinct. M. D. LXVII.

VINCENTIO MACARIO, SCYLACÆUM.

EIPST. VI.

Excusatâ literarum brevitate, gratulatur Macario de munere scholastico, & suaipsi ac Fratri officia defert.

LIteris tuis, humaniſſimè, & ornatiſſimè scriptis, nec respondere multum possum, cùm distringar negotiis; nec nihil debeo, cùm in officio non respondere, turpe sit. Scylacæi te sustinere munus erudiendæ juventutis, valdè lætor. Amo enim Gerondæ mei patriam, cujus mihi memoriam nulla dies ex animo delebit: qvi si viveret, non dubito qvin mecum esset: iisdemqve studiis, eodem vitæ genere, frueremur. Franciscum

scum, fratrem tuum, nostri memorem esse, gratum in primis est. Eqvidem & illum, & te simul, ita diligo, cùm utrumqve excellere literis, ac moribus, intelligam, ut, si qvid aut honoris, aut commodi vestri gratiâ præstare possim, in eo curam omnem, operam, industriam, collocare cupiam. Qvod ad mutatam scribendi rationem attinet, hunc tibi scrupulum Filii mei liber eximet, qvem, de Orthographia scriptum, edidit anno superiore. Vale. Romæ, hæc scripsi raptim, animo alia cogitante: qvod velim ignoscas. Romæ XIIX. Kal. Qvinct. M.D.LXVII.

JOH. FRANCISCO CREMONÆ, FERRARIAM.

EPIST. VII.

Gratias agit Fr. Cremonæ, qvòd ipsius & fratris ejus auctoritate & studio, supellectilem suam domesticam, in alienas manus per errorem transductam, recuperârit, & vicissim ipsi gratum animum defert.

Form. pollicendi gratum animum. Utinam eâ fortunâ essem. (A)

ANntea solicitus eram, factâ rei familiaris jacturâ: qvod acciderat, qvorundam hominum incurâ, dicam, an socordiâ? Nunc autem, qvòd amissa recuperaverim, lætor eqvidem, sed ita, ut dolere simul cogar, qvòd amicis meis alienâ culpâ molestiæ tantum attulerit. Te enim, vir optime, atqve doctissime, qvanqvam ignotum mihi de facie, tamen amicum appellare non dubitem.

Nam,

Nam, cur aut eum non amem, aut ab eo me amari non putem, cui cum Paulo Sacrato, omnibus mihi officiis conjunctissimo, summam intercedere necessitudinem intelligo? Qvòd si studiorum, ac morum similitudo amicitiam contrahit: cur non animis conjungamur, qvanqvam locorum intervallis disjuncti? Jam illud, qvòd tu fraterqve tuus Alfonsus, virtute tibi, & probitate simillimus, operam dedistis, idq; auctoritate, studio, diligentia, consecuti estis, ut mea domestica supellex, ad alienas manus per errorem transducta, ab injusto possessore vindicaretur, cùm ejusmodi est, ut vestram erga me voluntatem & singularem qvandam ad bene merendum propensionem ostendat; tum ita me afficit, itaqve utriqve obstringit, ut omnia me debere vestrâ causâ existimem. Utinam eâ fortunâ essem, (A) ut æqvare animum officiis possem. Profectò vel humanitate vestrâ vel amore meo, nihil esset illustrius. Sed qvia tam infirmum aut tam humilem esse neminem constat, qvi, si ad aliqvam rem studia sua conferat, non aliqvid, atqve adeo multum præstet: fore non despero, ut merita meritis aliqvando compensentur, &, qvantum vos in meâ re ad exitum perducendâ laborastis; tantum me, de gratiâ referendâ, cogitasse omnes intelligant. Sin voluntati facultas defuerit, peto à vobis, ut me tamen frui sinatis amore vestro: qvô mihi carius, aut antiqvius esse nihil potest. Vale, & Alfonso fratri salutem plurimam. Romæ, IV. Kalend. Qvinct. M. D. LXVII.

CLAU-

CLAUDIO STRAMBONIO, CAMERINUM.

EPIST. VIII.

1. Gratias agit Strambonio, de literis ad se scriptis: qvanqvam dubitet, illinè potiùs gratias agat, qvi scripserit, an Falconio, qvi ipsum ad scribendum induxerit. 2. Deinde excusationem ejus de literarum raritate accipit, & se amicitias non crebritate literarum metiri scribit.

Form. Accipiendi excusationem. Ibi. Neqve tamen amicitias. (A)

DElector non parùm memoriâ nostri tuâ: sed, eam iis declarari epistolis, qvibus nihil elegantius, nihil svavius esse possit, id verò est, qvod maximopere gaudeam. Qvanqvam, utri potiùs, tibi, an Falconio nostro, juveni humanissimo, atq; doctissimo, de hoc officio gratiam agam, interdum subdubito. Ille enim, ut eloqventiâ valet, penè mihi persvasit, suâ cohortatione te esse adductum, ut scriberes: Qvod ei si crederem, susceptam à me opinionem humanitatis, & amoris in me tui cogerer deponere. Qvid igitur faciam? qvod Academici solent: assensum sustinebo: ne, si Falconio non credam, ejus fidem, cui multum tribuo, in dubium revocem; si credam, detraxisse aliqvid videar de benevolentia erga me tuâ; qvo mihi molestius esse nihil possit. Qvod si te impediunt negotia: hoc ipsum scriberes. Ego enim ab amicis non plus exigo, qvam præstare possint. Neqve tamen amicitias (A) metiri soleo crebri-

tate

tate literarum: fidem & officium semel expertus, eadem, si res postulaverit, exspecto; sin aliter evenerit, levi culpâ non condemno; & facio perinvitus, ut amari me non putem. Qvare tuis occupationibus ignoscо, qvod à discessu tuo, rariùs ad me scripseris: tu qvoqve, velim, habeas rationem negotii mei; qvô sic urgeor, ut respirandi facultas non detur. Vale. Romæ, XIV. Kal. Sext. M. D. LXVII.

MARIO CORRADO, SALERNUM.

EPIST. IX.

Resp. Expostulatoriæ Corradi, & ipsum sine causâ ex literarum raritate de immutata suâ voluntate suspicari ostendit, nec se posse ejus familiares, licet sine literis ejus veniant, à se excludere affirmat.

Form. Respondendi ad Object. At creberrimæ tuæ literæ, meæ rariores. Diversâ ratio est, nec, si tu id facis &c. sequitur. (A)

ETsi mihi tuis literis nihil solet esse jucundius: qvas tamen pridie Id. Sept. ad me misisti, legi perinvitus. Sic enim ad me scribis, qvasi de mea erga te benevolentia dubites. Ego, mi Mari, à qvo primùm tempore certam vitæ meæ rationem instituì, semper id spectavi maximè, ut, qvos semel diligere cœpissem, eos non solùm sponte nullare offenderem, verùm etiam, acceptâ interdum injuriâ, majoribus complecterer officiis. Hoc institutum cùm mihi ad hanc di m placuerit; fore non opinor, ut posthac unqva displiceat. Qvod si tu

si tu secus existimas; & si me vulgari quadam regulâ metiris, vel quia sensus meos, cùm longè à me vixeris, ignoras, vel quia, nonnullorum hominum perfidiam expertus, de reliquis idem facilè suspicaris: libenter equidem tibi istum, si possem, errorem eriperem: sin id mihi per te minùs licet, me tamen in te amando fides & constantia mea delectabit, uberemque satis ex ipsa conscientia fructum capiam. Tuæ partes in amicitia quæ sint, ego tibi, excellentis ingenii ac doctrinæ viro, non præscribam: tantùm illud dicam, quo tu nunc mecum genere literarum usus es, id mihi parùm ad conglutinandos animos aptum videri. Aut enim hæret aliqua in me culpa, & eam tu notas, ac reprehendis, quod quale sit, non equidem intelligo; nec verò possum intelligere, cùm nihil sit: aut culpam tu nullam in me vides, & conjecturâ tamen aliqua duceris an suspicandum. Certè enim suspicari te, nescio quid, verba illa tua significant: Ego à te solùm amari cupio: ore te, & obsecro, nihil aliud aut vulgare de me existimes: actum à me tecum hactenus verè, & amanter. Quid? an ego aliquid commisi, ut de mea in te voluntate secus judicare posses? aut ego te unquam accusavi, quasi minùs verè, aut minùs amanter mecum egeris? Nisi si, quia literis tuis, homo sexcentis curis implicatus, non ilicò responderim, propterea vel me tibi credis immutatum; vel id agis, ut ego te mihi subiratum putem. Ego autem, si essem ad mutationem vel naturâ, vel consuetudine, proclivior; tamen ita de studiis tuis, ita de ingenio, &

eruditione, ita de moribus, & integritate sentio, ut, nisi mihi sincerè judicandi facultatem casus aliqvis adimat, immutari tibi nullo modo possim. At creberrimæ tuæ literæ, meæ rariores. (A) Diversa ratio est: nec, si tu id facis, qvod si omitteres, fortasse peccares; & qvia non omittis, agnosco, & amo vehementer amorem in me tuum; ideo sequitur, ut qvia non ego idem facio, & istam officii partem districtus negotiis prætermitto, langvere me jure putes in studio tui, & in amore illo, qvem cùm pepererit tua virtus, noli dubitare qvin eadem alat, atq; conservet. Familiares tuos, cùm ad me venerunt, & qvoties venerunt, accepi, qvantum in me fuit, humanissimè: neminem excluſit, aut excludet unqvam occupatio mea. Vix enim credas, qvam de te libenter aut loqvar, aut audiam. Qvare, qvod ais, ne cui posthac, qvi sine tuis literis ad me adeat, velim credere: id eqvidem scripsisse te nollem. Cur enim, si qvis expetit amicitiam meam, & eam se consequi facilius putat, si te ornet laudibus, teq; sibi in optima studiorum via, ducem fuisse dicat, qvod video multos cum qvadam ambitione prædicare: cur, inqvam, hac me voluptate privas, ut ei non credam, qvi narrat ea, qvæ libenter audio? Patere igitur, amicos tuos, cum iidem amici mei esse volunt, adire ad me arbitratu suo; &, qvanqvam testimonio careant literarum tuarum, mihi tamen, ipsâ tantùm tui nominis appellatione, commendari. Vale. Romæ, X. Kalend. Octobris, M. D. LXVII.

FRAN-

FRANCISCO PLANTEDIO, NEAPOLIM.

EPIST. X.

Gratias agit Plantedio, de laudibus, qvibus fuerit ab ipso affectus, nec se aliorum obtrectationes curare scribit. Deinde Epistolam & versus ejus ab elegantia laudat. Denique aliorum de Ariosti poëmate judicia exponit, suum verò suspendit.

Form. Affirmandi. Verè dicam. (A)

VEre dicam, (A) Plantedi: magnopere sum delectatus iis laudibus; qvibus me, cùm de Ludovici Ariosti poëmate meam sententiam exqvirere cogitasses, ornandum existimasti: neqve verò, qvòd ipsâ laude admodùm capiar: me enim qvotidiè magis, ab ambitione, cùm ratio, tum jam ætas removet: sed qvòd amoris in me tui, ùt ego interpretor, index laudatio est. Amari autem ab eo viro, qvi excellat iis artibus, qvas in omni ætate diligenter colui, qvæqve rebus omnibus antecellunt, cur non gaudeam? Amplector igitur istam voluntatem, & habeo gratiam, non modò, qvòd ita de me sentias, verùm etiam qvòd eos, qvi contrà sentiunt, Obtrectatores. & Invidos voces, cum qvibus tamen, optime Plantedi, pugnare te, meâ causâ, nolim. Nam, si laudem qværam: tu mihi multorum unus instar es; cujus doctrinam, & eloqventiam in scriptis video; probitatem, & mores de multis audio. Sin, qvod verum est, ipsa me sola virtus afficit, cetera parvi pendo: sinamus placere sibi unum-

qvemqve, & in sua sententia triumphare; nos institutum retineamus, & in hoc sive, ùt isti volunt, errore, sive, ùt ego jampridem statui, veritatis amore ac studio pergamus. Epistola tua, & versus redolere mihi pariter antiqvitatem videntur. Qvo tibi nomine vehementer gratulor. Qvibus enim contingat, ut in utraqve facultate excellant, pauciſſimos in omni ætate fuiſſe non ignoras. De Arioſti poëmate, hîc qvoqve sunt, qvi disputent in utramqve partem; cùm alii suum judicium ad Aristotelis præcepta referant; à qvibus qvem discedere intelligunt, eum statim è Poëtarum numero extrahendum censent: alii verò, sive res, sive verba spectentur, Arioſto tantùm tribuant, non modò ut eum ad ceteros Poëtas aggregent; verùm etiam cum illis Poëtarum principibus conferendum statuant. Mihi non tantum otii suppetit, vel ut hoc totum, qvidqvid est, considerem, vel ut meam sententiam literis exponam. Vale. Romæ, Nonis Sept. M. D. LXVII.

ANTONIO MERULÆ, CASERTAM.

EPIST. XI.

Gratias agit Merulæ, de missis ad se versibus, à Rota conscriptis; qvibus se voluisse paria reponere fatetur, sed cùm res non processerit, rogat ipsum, ut se apud Rotam excuset.

NIhil mihi gratius, aut jucundius iis versibus accidere potuit, qvos à Bernhardino Rota, præstan-

stante viro, de me conscriptos, ad me antea misisti. Quo sanè munere ne viderer indignus, cupivi statim paria paribus, &, ut assequerer, elaboravi: sed, cùm non procederet, indignantibus Musis, qvasi eas per tot annos, conversus ad alia studia, neglexissem, distuli rem, consilium non abjeci. Non enim fore desperabam, ut aliqvid aliqvando, tanqvam è qvercu exsculperem, qvod summus Poëta cùm videret, si minùs ingenium probaret, id qvod eqvidem sperare nunqvam ausim, animum saltem referendæ gratiæ cupidum diligeret. Sed ecce tibi ista, difficultatibus ita multis implicata, Breviarii mutatio, nihil ut laboriosius, aut molestius unqvam senserim. Nec dum tamen eô loci res est, ut ea, qvæ fluctabant, resedisse videam. Qvò majore versor in solicitudine, non solùm, qvia careo literulis nostris, in qvibus antea vivebam; sed etiam, qvia, sejunctus ab amicis, vereor interdum, ne qvis, mearum ignarus occupationum, exuisse me putet veterem humanitatem, & officii curam, qvæ mihi olim prima fuit, penitus abjecisse. Qvare te rogo, pro eo, qvantùm me amas, & qvantùm te amari à me scis, des operam, ne qvid Rota de me suspicetur duriùs. Nosti meos mores: nosti animum: qvem si alia fortasse labes inficit, certè, ad amicorum observantiam, & ad tuendam officii religionem, qvod attinet, purus est. De tuo statu, cùm nihil scripseris, arbitror esse, ùt volumus. Vale, & Rotæ salutem. Romæ, Kal. Nov. M. D. LXVII.

JACOBO FALCONIO, BONONIAM.

EPIST. XII.

Gratulatur Falconio, qvòd consilium eundi in Hispaniam mutârit, & Bononiæ consederit: eumqve, ut Sigonium colat, hortatur.

Ome credulum, qvi te iturum in Hispaniam putaverim: qvod cùm tu affirmare non desineres, Maximus tamen noster perpetuò negabat; nimirum ille adolescens qviddam occultius, qvod ego hebetior non viderem, assequebatur ingeniô. Nec me tamen hoc tecum qveri putes: qvin potiùs errore meô delector, & me delusum esse, gaudeo. Nam, si tàm longè discessisses; primùm veritus essem, ne serius ad nos, deinde etiam, ne cum illo Hispanensi fastu, oblitus humanitatis tuæ, redires. Nunc, mutatô consiliô, cùm Bononiæ consederis; non dubito, qvin te civitas omnium humanissima, qvalem dimisimus, talem nobis, ac melioribus etiam, si fieri possit, & literis, & moribus excultum, remittat. De Sigonii consvetudine, valde tibi gratulor. Cole istum virum, Falconi, qvem habemus in Italia, non solùm doctrinâ, verùm etiam probitate penè singularem. Vale, & Jacobo Boncompagno salutem à me plurimam. Romæ, VI. Id. Nov. M. D. LXVII.

JOH. BAPTISTÆ ARCUCIO, NEAPOLIM.

EPIST. XIII.

Primò gratias illi agit, qvòd benè de suis laboribus sentiat.

sentiat. Deinde ex literis ejus colligit, ipsum ingenio valere, ac vicissim studia sua illi defert: (Resp. ad Conciliationem.) Denique controversiam de Ariosto improbat, & antiquis se magis delectari ostendit.

Form. Deferendi alicui officia. Ibi: Qvare persvasum &c. (A)

ET bene te sentire de studiis meis, deqve laboribus illis, qvos, jam à prima adolescentia, patris adductus exemplo, ad restituendam antiqvitatem contuli; & me etiam diligi à te, video. Qvod cùm utrumqve mihi gratissimum esse, tum à me tibi parem in utroq; gratiam referri, velim existimes. Nam, cùm epistolam tuam legissem, valere te ingenio, præstare literis, facilè judicavi; & ad judicium accessit benevolentia, nec ea vulgaris, sed qvantam virtus, & studiorum similitudo gignit. Qvare persvasum (A) hoc tibi planeq; exploratum esse cupio, qvæcumq; à vetere necessitudine exspectari officia solent, ea tibi à me, si qva tui dabitur facultas ornandi, præstò semper futura. De Ariosto, lis & contentio non placet: antiqva me delectant, eaq; tracto, utinam tàm feliciter, qvàm laboriosè. Si qvis in eo suam industriam locat, ut ipse excellat, consilium probo; aliena qvi tantùm judicat, eum ego, vel si rectè judicet, non libenter tamen imitabor. Vale. Romæ, V. Id. Novembr. M. D. LXVII.

ANTONIO FURNARIO, NEAPOLIM.

EPIST. XIV.

1. Gratulatur Furnario de fortunis auctis. 2. Gra-

tius agit de munere annuo. 3. Hortatur eum, ne Mathematicorum sententiam de anno climacterico probet.

Utrumqve lætor, & fortunis tuis aliqvid esse additum, & amori erga me plurimum. At multi contrà vel dignitate, vel commodis aucti, contemnunt veteres amicos, & officio multam salutem dicunt. Qvod hìc nos experimur qvotidiè. Qvòd me annuo munere afficias: agnoscò humanitatem tuam; qvòd verò id te tribuere virtuti meæ dicis: majore etiam me ornas munere. Noli autem arbitrari, tàm desipere me, ut disputare tecum velim, & qværere, veréne sentias, an secus. Facio non invitus, ut judicium tuum cum mea laude conjunctum tuear, ac probem. De anno, qvem Scalarem vocant, ne tanti Firmicus, & qvi cum eo sentiunt, apud te sit, ut animi tranqvillitatem amittas. Qvæ enim impendent, si sunt ejusmodi, ut vitari prudentiâ possint; spero fore, nihil ut te lædant. Sin ea fixa sunt: præripere molestiam, & angi frustra, certè non oportet. Ego valetudine utor satis commoda; re familiari, si spectentur labores mei, parùm copiosâ; si ratio temporum, satis amplâ. Vale. Romæ, XVI. Kal. Febr. M. D. LXIIX.

NICASIO CASLETANO, PATAVIUM.

EPIST. XV.

Gratulatur Casletano de suscepto novo vitæ genere, & de convictu Joh. Vincentii Pinelli.

Opta-

Optabam, ut emergeres ex eo vitæ genere, qvod neqve ſtudiis, neqve fortunis tuis aptum videbam: angebar tamen, eripi nobis fructum ſvavitatis, & doctrinæ tuæ, hâc præſertim proborum, atqve eruditorum hominum, id eſt, tui ſimilium caritate. Nunc, ex tuis literis cùm intelligam, ordiri te novum qvoddam vitæ genus: medicorum antiqvorum libros evolvere cœpiſſe, ne poſthac, inani ſpe ductus, aliunde pendeas; frui non modò familiaritate, ſed convictu etiam, ac domo præſtantiſſimi juvenis, Joh. Vincentii Pinelli: abſtergo prorſus illam ex animo moleſtiam, qvam diſceſſus mihi tuus reliqverat; teqve iſtic eſſe, ubi otio, libris, doctoribus abundes, & eam, qvæ maximè ingenium adjuvat, qvàm penè hic amiſeras, animi tranqvillitatem non deſideres, vehementer gaudeo. De epigrammate Sammarcus agit gratias: ut referat, non exſpecto. Cupedias tamen ſi habebo, ita non contemnam, ut vos omnes amem. Qvid enim qviſqve præſtiterit, non ignoro. Vale, & Pinello, Sammarco, Andreæ Silvio, qvi me olim diligere videbatur, multam ſalutem. Romæ, prid. Kal. Febr. M. D. LXVIII.

CHRISTOPHORO BARONI LOBCOVICZIO.

EPIST. XXI.

NB. Reſp. ad Conciliatoriam Epiſt. Boronis Lobcoviczii, & delatam ſibi ab ipſo benevolentiam beneficii loco reputat, non ſolùm, qvod illuſtri loco natus ſit,

sed, quòd ad virtutem omnia referat. In quo proposito, ut perseveret, & patriæ salutem sibi propositam habeat, ipsum hortatur.

Form. Hortandi, ibi: Incumbe igitur. (A)

Form. Excusandi hortationem: Quæ cohortatio. (B)

NImiùm agis mecum liberaliter, cùm tu mihi principis viri filius, homini privatæ fortunæ, nullo meo provocatus officiô, tuam benevolentiam sponte defers. Quod ego beneficium tanti facio, nihil ut anteponam. Cùm enim ita vitam instituerim, & virorum nobilium amicitias expeterem: tum eam nobilitatem præcipuè colui, quæ, licet aliquid extrinsecus assumat, maximè tamen à se ipsa pendet, ac præsenti virtute decoratur. Quam tibi placere sententiam video, & dare operam, ut, quod maximè probas, id maximè consequaris. Itaque sic velim tibi persvadeas, nihil omnino mihi vel carius esse posse, vel jucundius amicitiâ tuâ: non eo solùm nomine, quòd illustri sis admodum locô natus; quòd patrem habeas, qui Bohemiæ cum summa potestate præsit, qui omni honore, omnique laude floreat: sed multò magis, quod & audio, & ex tuis literis conjicio, defixum te esse in præstantibus curis, & ea quærere, unde verum decus, vera nobilitas emanat. Ita fiet, ut, quantum ad splendorem domesticum suâ virtute addidit pater tuus, tantum ipse ad paternum decus, voluntate nunc simillimus, virtute aliquando præstantior, adjungas. Incumbe igitur, (A) clarissime adolescens, (jam enim, ne abs te in amore vin-

re vincat, laborare me æqvum est de gloria tua) incumbe, obsecro, & huc omnes nervos, omnem industriam confer, ut ornamenta referas in patriam, qvæ tua propria sint, qvæq; tibi nulla unqvam fortunæ vis, nulla mutatio temporum auferre possit. Qvæ cohortatio (B) nec longior esse debet, cùm te tuâ sponte propensum satis esse ad omnem laudem intelligam; nec omittenda tamen fuit, cùm hoc apud te vellem relinqvere, qvando aliud præstare tuâ causâ vix possum, testimonium amoris: & observantiæ erga te meæ. Vale. Romæ, IV. Non. Febr. M. D. L. XVIII.

PETRO MISCOVIO.

EPIST. XVII.

Scribit, se gratulatum Miscovio esse de Episcopatu Plocensi; & illum rogat, ut excellentibus ingeniis in patria sua patrocinio esse velit, ad res magna expetendas.

EX iis rebus, qvarum memoriâ delector, nullâ magis recreor, qvàm consciențiâ observantiæ erga te meæ, & opinione amoris in me tui. Inde fit, ut & optem tibi secundissima omnia, &, cùm optata contingunt, vehementer gaudeam. Qvanqvam qvis non gaudeat, cùm debita virtuti præmia tribuuntur? cùm excellit honore, auctoritate, opibo, qvi excellit ingeniô, industriâ, probitate? Itaqve, cùm tibi Episcopatum Plocensem esse demandatũ cognovissem; gratulatus sum tibi primùm, pro amicitia nostrâ, meoqve in te studio singulari: deinde bonis artibus, qvibus ex tua dignitate tantum

orna-

ornamenti, tantum splendoris accessit. Hôc exemplô, qvis fore jam dubitet, qvin omnes non modo in Polonia tua, verùm in longisqvis etiam nationibus, qvò tuorum meritorum fama pervenerit, ad excellentem veræ gloriæ cupiditatem excitentur? Eqvidem, cùm audio, qvæ partim ab aliis, partim à probo & prudente viro, tuarum laudum præcone, Metello Venturello assiduè narrantur; ita commoveor, non eqvidem ut adspirem, qvò pervenire non licet: (non enim me tibi ullâ re confero) verùm ut in præstantibus doctrinarum studiis, unde fluxit amplitudo tua, langvere nullo modo possim. Atqve etiam adducor in illam spem, fore prorsus, ut excellentibus ingeniis, qvibus abundat in primis patria tua, auctoritas, gratia, opesqve tuæ pateant, sic, ut ad magnas res, magnopereq; expetendas, tuô potissimum patrociniô nitantur. Ita nascetur ex virtute virtus, & propagabuntur illa, qvibus à turpi otio ad laudabilem industriam, ab injuria ad æqvitatem, à feritate & dissidio, ad societatem & convictum humana vita convertitur. Cujus tanti boni ut auctor esse velis; jam enim posse, satis constat: ne rogandus qvidem es. Cùm hoc à te tua dignitas, & anteactæ vitæ ratio qvasi suo jure postulet. Vale. Romæ, Id. Febr. M.D. LXVIII.

FEDERICO VIVALDO, NEAPOLIM.

EPIST. XVIII.

Resp. ad Conciliatoriam, quâ & gratias Vivaldo agit,

git, qvòd ad se ne qvidem de facie notum scripserit, omniaqve officia liberaliter obtulerit; & vicissim studia sua ipsi defert.

Form. Deferendi alicui sua officia. Ibi: Itaqve licet amicitia. (A)

MAgnum humanitatis, magnum amoris argumentum, non solùm ad me scribere, qvem nunqvam, ùt opinor, de facie noveris; verùm etiam, qvæ tua sunt, omnia mihi perliberaliter offerre, ac polliceri. Ego, mi Vivalde, voluntate sum contentus: cetera non desidero. Amari enim cupio: prodesse verò amicis malo, qvàm debere. Itaqve, licet amicitia nunc primùm inter nos exoritur; tamen sic velim existimes, qvæ res ad existimationem, aut ad commodum tuum pertinebunt, in iis rebus me esse operam daturum, ut familiaribus tuis vetustate qvidem, & opibus, officiô tamen concedam nemini. Nam, si amantem non redamare, turpe est: multò magis eum, qvi ingeniô, doctrinâ, multis deniqve, ùt audio, suavitatibus ingenii ita floret, ut ejus amicitiam, qvi rectè sapiat, in rebus valde expetendis numerandam putet. Qvod ob eam causam scribo, ut intelligas, cùm tibi me gratias agere, tum gratulari mihi plurimùm de benevolentia tuâ: de qva si unqvam commisero, ut aliqvid mea culpâ detrahatur, hominem me non putabo. Vale. Romæ, XV. Kalend. Mart. M.D.LXVIII.

PAU-

PAULO LUPO.

EPIST. XIX.

Primò excusat se, cur Lupum gravi morbo laborantem non inviserit, allatis causis ab invaletudine & occupationibus: 2. Scribit, se crebro de ejus statu inquisivisse, & magnum dolorem ex ipsius periculo cepisse. 3. Sperat ipsum recuperata valetudine brevi repetiturum illa studia, quæ olim tractaverit. Hortatur ipsum, ut valetudinem diligenter curet: vel, si mori illum contingat; læto animo ad æternam felicitatem properet.

Form. Cura valetudinem tuam. Ibi: Debes animum. (A)

ETsi cùm tuum erga me non mediocre studium facilè mihi antea cognitum, atq; perspectum, tum mea in te singularis benevolentia postulare videbatur, ut viserem te qvàm creberrimè, tertium jam mensem difficili morbo laborantem: tamen id non feci, non eqvidem oblivione tui, qvem fero in oculis, ob egregios mores, optimamqve indolem; sed partim valetudine, qvâ, propter nimis longam verni temporis intemperiem, incommodiore adhuc utor; partim etiam occupatione molestissimâ, qva ita distineor, ut pedem ex ædibus efferre perqvam rarò liceat. Qvod reliqvum fuit; qvotiescunqve vidi (vidi autem ferè qvotidiè) familiarem tuum, mei studiosissimum, probum juvenem, & eruditum, Julium Jacobinum: cujus tu consvetudini, atqve consiliis, qvidqvid aut in literis, aut in moribus ad hanc diem profecisti, acceptum referre solitus es; qvàm sæpè de tuo statu qvæsie-

qvæſierim, qvàm ſolicitus de tua ſalute fuerim, optimus ipſe teſtis eſt. Qvod utinam, qvantum doloris ex tuo periculo ſuſcepi, tantum opis ad te ſublevandum afferre potuiſſem: næ tu nunc, planè integer, & ſalvus, nullam priſtinæ valetudinis partem deſiderans, nobiſcum eſſes, ut interdum ſolebas, nosq; tuo lepore, tua venuſtate, tu noſtra conſvetudine, noſtrâ etiam, ſi qva eſt, hilaritate fruereris. Qvod tamen brevi futurum ita ſpero, ut valdè tibi primùm, deinde etiam nobis gratuler. Non enim dubito, qvin ſtatim repetas ea ſtudia, qvæ non vulgari cum laude tractabas; qvæqve te (libet enim augurari, qvod opto) ad ſummas opes, ſummamq; dignitatem, favente præſertim, atq; adjuvante patrono omnium bonarũ artium, omni virtute prædito Cardinali Alciato, aliqvando extollent. Nihil eſt enim, ùt exemplis & antiqvis & recentibus erudimur, qvod hominum ſtudia ad utilitates noſtras magis alliciat, qvàm virtus: nihil magis & humana nobis omnia ſubjicit, & aditum ad cœleſtia patefacit. Qvare, cùm tibi nec inſtrumenta naturæ deſint, qvorum expertes multi, optimâ voluntate, ſtudio flagranti nihil tamen vel mediocri laude dignum præſtare potuerunt; neq; verò ex iis rebus ullam reqviras, qvæ ſi abſint, præclaræ ſæpè curſus impeditur induſtriæ; debes animum in ſpem optimam erigere, omniq; curâ ad recuperandam valetudinem incumbere. Medicos habes, qvi locum in civitate principem obtinent: mater aſſidet ægroto, curat, exſeqvitur omnia: amicorum nec ſalutationes nec officia deſunt:

sunt: hæc speramus fore salutaria: sed mihi crede. Medicina præstantior in te ipso, id est, in constantia, prudentia, temperantia tua, reposita est. Consule igitur, qvantum potes, & saluti & gloriæ, & parentis etiam vitæ: qvam filii jacentis adspectus exanimat; amicis vero tuis, mœrore adempto, veterem jucunditatem aliqvando restitue. Qvod si, expertus omnia remedia, placere Deo senseris, ut hæc humana relinqvas; qvæ qvàm caduca sint, qvàm nunqvam firma, qvàm sæpè exitiosa, profectò vides: agnosce tuam felicitatem, ad eamq; propera lætissimô animô, relictis erroribus, qvibus ii, qvi hac diutiùs compage corporis includuntur, falsa rerum inanium specie decepti, ita sæpè implicantur, ut nunqvam ad veri boni cognitionem perveniant. Nos qvidem, qvi, te isto vexari morbo patimur iniqvissimè, iidem, si contigerit, ut in ista ætate, istis moribus, ista mente, nondum terrena contagione depravatus, aut mortiferi criminis labe pollutus, hanc miserrimam vitam cum illa bonis omnibus circumfluente permutes: lætabimur & exitu optatô molestiarum tuarum, & initiô beatæ vitæ, ad qvam adspirare pauciss imis licet. Vale. XIII. Kalend. Maji, M.D.LXVII.

AUGUSTINO ANGELELLO, FERRARIAM.

EPIST. XX.

Excusat se de raritate literarum, & de transmissis Inscriptionibus gratias agit

Form. excusandi literarum raritatem. Nisi tibi. Nisi

NIsi tibi, qvæ nunc meæ vitæ ratio sit, qvibusq; curis & negotiis distinear, satis cognitum crederem, sanè afficerer magna molestiâ, qvòd tibi, viro optimo, atqve in primis erudito, præterea, qvod res ipsa declarat, mei amantissimo, deesse videretur officium meum. Sed profectò, si me putas ab ineunte ætate iis artibus, ac studiis non mediocriter esse delectatum, qvibus ad humanitatem animus excolitur: æqviorem te mihi esse oportet, nec suspicari, qvia rariùs ad te scribam, non ideò me tibi, qvas debeo, gratias habere, nec diligere & amplecti diligentiam, industriamq; tuam, qvam qvotidie locas in antiqvitate colligendâ: cujus ego majorem officii partem libenter acceptam refero benevolentiæ erga me tuæ. Ne tamen supervacaneam operam suscipias, cùm præsertim otio non abundes; hoc velim scias, omnes me cùm veteres, tum etiam proximè Auximi effossas Inscriptiones, in qvibus hæ qvoq; duæ sunt, qvas ad me misisti, ante duos menses accepisse à Joh. Francisco Gallo, cive Auximate: & qvod tu scripsisti, F. POLLUCI. ille, LI. POLLUCI. Qvod tu, TURCIUS C. F. ille, TURCIUS C. F. S. qvod Sergiæ tribûs nomen fortasse fuit. Nam & infra video, C. F. SER. nisi si SER. N. id est, Servii nepos, legendum. Qvod ut diligenter inspicias, mihiq; significes, valdè rogo. Filius abest, Venetias anno superiore, cum matre negotii causâ profectus. Vale. Romæ, Nonis April. M. D. LXIIX.

JACOBO FALCONIO, PISAS.

EPIST. XXI.

Falconium purgantem se de raritate literarum excusatum habet, nec se plus ab eo exigere dicit, qvàm præstare possit. 2. Rogat ipsum, ut se Riccio commendet. Laus Petri Bargæi.

ETsi tuis literis magnopere delector, in qvibus & amorem erga me singularem, & ingenii tui præstantiam facilè perspicio: te tamen, ut hoc nostræ necessitudinis officium persolvas, avocari à studiis tuis, aut etiam ab amicorum sermonibus, minimè velim. Scis meam consvetudinem, neminem diligo, qvem non probem: qvem porrò cœpi diligere, tantum abest, ut exigam ab eo plus, qvàm præstare possit, ut etiam, si qvid peccaverit, remittam. Qvis enim est, qvi leges amicitiæ perpetuò servet? qvanqvam te qvidem ab hoc numero non minùs verè, qvàm libenter, segrego. Novi tuam constantiam, novi curam, atqve industriam, in qvacunqve re amor elucet. Qvæ, qvò rariora sunt, eò magis hîc te desidero: nec desiderium ferrem, nisi cogitarem, eô te consiliô discessisse, ut auctus virtute ad nos redeas. Qvod ut assequaris, ita cupio, ut parenti tuo concedam, præterea nemini. Joannem Riccium Politianum, illustrijam virtute adolescentem, qvi aliqvando mecum in tuis ædibus, invitatu parentis tui, viri optimi, cœnatus est, audio Pisas brevi, studiorum causâ, ventu-

rum

rum. Eum velim roges, ut me diligat, qvando ego singulari sum in illum benevolentiâ, sic, ut te æmulum vix patiar. Salutabis meo nomine exqvisitæ doctrinæ virum, poëtam summum, Petrum Angelium Bargæum, qvi Latinam, & Græcam linguam istic publico munere. maximâ suâ cum laude, profitetur. Vale. Romæ, X. Kal. Jun. M. D. LXVIII.

JOH. ANTONIO VULPIO,

EPIST. XXII.

Gratias agit Vulpio de Inscriptionibus missis, & scriptis ad se literis, quas tanti apud se esse scribit, ut majorem felicitatis humanæ partem in doctorum & proborum virorum amicitia ponat.

Form. Laudem non agnoscere. Ibi. Qvodqve mihi haud paulò plus. (A)

Form. pollicendi studium suum. Ibi. Si qvis est. (B)

VIx credas, qvàm me delectaverint Inscriptiones à te missæ: non solùm, qvia disertæ, ac perelegantes: verùm etiam, qvia gratiæ ineundæ ab ampliſſimo viro singulari virtute ornato, Thomæ Altimaro, oblatam occasionem avidissimè sum complexus. Nam, qvod inde natum est argumentum epistolæ tuæ, ita scriptæ, ut summum ingenium, summum etiam erga me amorem ostendat: hoc ipsum apud me qvanti esse putas? eqvidem, si qva est hujus vitæ felicitas, majorem ejus partem in hominum eruditione & probitate excellentium, id est, tui similium, amicitia constituo.

Qvare

Qvare cùm tibi maximas ago gratias, qvòd ad me scripseris, qvodqve mihi haud paulò plus,(A)qvàm agnoscere debeam, tribuere videaris: qvippe cum ea referas adjudicium meum, qvorum ego te, si arbitrii mei res esset, Aristarchum libenter statuerem: tum verò sic velim existimes, si qvis est, (B) qvi tuæ laudi faveat, qvi tuam præstantem doctrinam in ore habeat, qvi deniqve tuâ causâ summa omnia & cupiat, & curet, eum esse me, daturumqve operam, ut animum aliqvando res ipsa declaret. De Inscriptionibus indicavi Sanctæ Severinæ Archiepiscopo, qvas probarem maximè; nullam tamen, ut verè dicam, improbare audeo; cùm aliqvid in unaqvaqve videam excellere. Vale, & Altimaro salutem à me plurimam. Romæ, Kalend. Jun. M. D. LXVIII.

VINCENTIO RICCIO, A SPE.

EPIST. XXIII.

Riccio Epistolas ad Attic. remittit, & ipsum rogat, ut sibi de eodem volumine in aliqvot dies commodare velit.

MItto, qvæ petis omnia, præter unam Petrarchæ paginam: qvam ego, primùm à pueris nostris, deinde à me ipso diligentissimè qvæsitam, ne inter fragmenta qvidem reperire potui. Atticanis epistolis etsi adhuc mihi opus erat, tamen, qvando ita vis, & ego tibi tua petenti neqve negare possum, neqve volo, remitto tibi eas per eundem tabellarium, qvi has literas ad te perferet. Mihi qvidem animus iste tuus gratissimus semper erit.

Verun-

Veruntamen, mi Vincenti, si curabis, ut mihi de eodem volumine in aliqvot dies commodare possis, impones operi præclaro, velut artifex egregius, ultimam manum. Nam ego non nisi libros qvinqve cum meo libro contuleram: Reliqvam partem ut absolvere aliqvando possim, non petam à te pluribus verbis, ne videar benevolentiæ tuæ diffidere. Vides cupiditatem nostram. Tu statues in hac re, qvod sit ex fide tua primùm, deinde etiam ex voluntate mea. Ego te, & Peregrinum nostrum, & Hieronymum etiam in oculis fero. Venetiis, VII. Kal. Jun.

EIDEM.

EPIST. XXIV.

Riccio gratias agit de Hendecasyllabo carmine, & amorem illius perpetuum optat.

Form Valde te amo. Ibi. Sic enim habeto. (A)

HEndecasyllabum carmen, qvo nos tam amicè salutasti, multis causis legi perlibenter. Primùm, qvòd tuum erat, deinde, qvòd elegans, & ornatum: postremò, qvòd in illo mihi significabas memoriam tuam nostræ necessitudinis, & benevolentiæ. Itaqve non possum non tibi vehementer gratulari; mihiqve plurimùm gaudere; tibi, qvi tam egregiè bonis in literis profeceris; mihi, qvi talem, ac tam amabilem nactus sim amicum. Deus igitur faxit, ut in hac animorum conjunctione ad extremum usqve vitæ cursum perseveremus, & qvæ summi amoris uterqve fundamenta jecimus, ea non solùm confirmemus, verùm etiam augea-

mus. Sic enim habeto, (A) qvi propter egregias animi, ingeniiq; tui ſvavitates vehementer te diligant, eſſe qvam plurimos: qvi mihi ſunt in te amando pares, eſſe vel paucos, vel fortaſſe neminem. Sed hæc ſatis. Illud curabis, ut erudito juveni, Cornelio Divo, ſalutem meis verbis annuncies plurimam. Bene vale. M. D. LXXI. prid. Nov. Sext.

EIDEM.

EPIST. XXV.

Priſtinam valetudinem ſe ferè recuperaſſe, ſcribit, beneficio balneorum. Qvid ipſe agat, qvid pariat, ſcire cupit.

VIde, qvanti mihi ſis, qvantumqve te diligam: ubi primùm ex balneis reverti, è veſtigio ad ſcribendum convolavi. Qvod ideò ad te ſcribo, qvia non ejus generis meæ literæ ſunt, ut ex illis aliqvid poſſis cognoſcere, qvod aut noſtrâ interſit, aut te ſcire neceſſe ſit. Unum eſt illud, qvod velim te intelligere, nobis Dei beneficio priſtinam ſalutem, ſi non penitùs, certè magnâ ex parte reſtitutam. De meis ſtudiis, propter diuturnam valetudinis infirmitatem, propè jam actum videtur. Ego tamen, ùt ſpero, qvidqvid omiſſum eſt temporis, brevi reſarciam. Tu qvid perpereris, qvid parias, vehementer ſcire cupio: non enim is es, qvi patiaris tuum ingenium longo otio torpeſcere. Idq; cùm præſtas, non modò tibi utilitatem cum laude qværis, ſed etiam tuis omnibus & amicis & propinqvis, lætitiam atqve gaudium affers. Bene vale. M. D. LXXI. Kal. Sept.

El-

EIDEM.

EPIST. XXVI.

De sua & illius valetudine lætatur.

LEgi tuas literas, perbreves qvidem illas, sed tamen valdè mihi gratas. Lætaris, qvod convaluerim; ego contrà, qvod te repererim tàm bellè valentem. De Cornelio qvod scribis, non legi semel, sed bis & sæpius. Habeo enim illum convenire. Tu, si licebit, eris mihi comes in homine visendo. M. D. LXXI. XII. Kal. Septemb.

EIDEM.

EPIST. XXVII.

1. Lætatur, illius erga se benevolentiam in dies augeri. Deinde gratulatur ipsi, qvòd Patavium cogitet. 3. Monet ipsum, ut Græca cum Latinis conjungere pergat.

MUltis, & iis qvidem maximis argumentis declaras mihi, in dies tuum erga me amorem non confirmari solùm, sed etiam augeri vehementer. Qvòd enim tàm ex animo delectaris nostrâ consvetudine, qvòd tàm freqventer nos visis, qvòd tam crebrò literas mittis, cui dubium esse possit, hoc ex nimia qvadam in me benevolentia proficisci? Qvare ferreus omninò sim, & humanitatis penitus expers, nisi te valdè amem & observem; qvi nos, nullo nostro erga te merito, & ames, & beneficiis ita tibi obstringas, ut, unde pares referamus gratias, nullus jam relinqvatur locus. Gratæ igitur tuæ literæ, eoqve magis, qvòd intellexi; te Patavium cogitare, unde perem te, pro singulari

tua

tua prudentiâ, & in bonas artes propensione, amplissimam & famam, & celebritatem nominis ad tuos relaturum. Qvòd autem ad Græcas literas animum appuleris, hoc tuum consilium & probo vehementer, & feliciter Deum Opt. Max. fortunare volo: crede enim mihi, nihil poteras præclarius cogitare, qvàm cum Latinis Græca conjungere. Sed, qvoniam nostram epistolam, si longior exstitisset, futuram tibi gratiorem significas: sic habeto, mi Vincenti, nos prolixiùs ad te non scribere: qvòd neqve prolixiores epistolas, qvibus confirmetur, amicitia nostra videtur desiderare, neqve mehercule valdè est, qvod scribam, qvod aut nostrâ interfit, aut te scire oporteat. Nisi fortasse velis me scribere, in Italiam Gallos adventare, & Venetiis visum esse cometam Sexili mense, & similia, qvæ minimè te fugiunt. Qvod si viderim te longitudine capi, dummodò tibi satisfaciam, inanes potiùs, qvàm nullas, ad te literas dabo. Vale, pridiè Idus Septemb. M. D. XXXI.

EIDEM.

EPIST. XXVIII.

Gratias ipsi agit de literis & libello. Deinde defert illi officia sua. Et varios à se salutari cupit.

Form. deferendi officia. Fecit tua humanitas, ut &c. (A)

ET literas, & libellum accepi, de qvibus tibi gratias ago. Neqve vero mihi erat ignota diligentia tua, qvam antea nobis, cùm Venetiis viveres, id est, cùm in humaniora studia mecum incum-

cumberes, multis qvidem argumentis declaraveras. Peregrinus, & ceteri communes amici salutabuntur à me diligenter, ubi primùm eos offendam. Tu fac existimes, nihil esse, qvod ab homine amicissimo proficisci possit, qvod ego non velim te à nobis exspectare. Fecit humanitas tua, (A) qvam mihi Patavii tam egregiè significasti, ut ad antiqvum amorem erga te meum addiderim etiam cumulum qvendam benevolentiæ propè singularem. Amavi enim semper, & amo voluntatem hominum, qvæ mihi rerum omnium antiqvissima est. Itaqve, contubernalibus tuis, & lectissimis viris, Augustino, Bartholomæo, & Johanni cùm salutem dixeris, addes etiam, omne meum studium, & officium iis paratum esse, ac semper fore. Qvod ut aliqvando tu cum illis experiare, dabo operam, qvantum erit in me situm. Paulus Papiensis per me vobis omnibus salutem adscribi voluit, seqve constanter asserit perpetuò comitati vestræ devinctum in primis fore. Si Bonamicus redierit, si mihi significabis, gratissimum feceris. Vale. Venetiis, Id. Septemb. clc. Io. LXXI.

EIDEM.

EPIST. XXIX.

Gratulatur ipsi, qvòd Patavium Philosophiæ discendæ studiò conceſſerit: hortaturqve ipsum, ut memineri, in ea Urbe ipsum esse, unde inanem discedere turpissimum sit.

Form. hortandi. Novi ingenium &c. (A)

POstqvam mihi renunciatum est, te Patavium, adipiscendæ Philosophiæ gratiâ, concessisse, plurimum sanè voluptatis animô cepi, & hoc tùum consilium etiam atq; etiam tacitus mecum ipse laudavi. Facit enim amor erga te meus, ut existimem, qvidqvid tibi conducat, id mihi etiam expedire. Atqve tu, cùm in tanta hominum luce, in tanta doctissimorum virorum freqventia vivas, non dùbito, qvin bonarum omnium disciplinarum & laudatarum artium cognitionem brnvi sis consecuturus. Novi ego ingenium tuum: novi impetus ad laudem. Itaqve non adhortabor te ad eas artes, qvibus ab ipsa pueritia deditus semper maximè fuisti. Qvid sit antè actâ ætate tuâ dignum, qvi te mores, qvod institutum vitæ deceat, tu videbis. Ego illud tantùm tibi ante oculos ponam, ut cogites, in ea te urbe nunc agere, qvæ liberalium omnium doctrinarum hodie veluti domicilium habeatur, & à qva inanem qvemqvam redire, turpissimum sit. Atq; hoc satis esse arbitror ad excitandum te ad honestas disciplinas. Qvanqvam ne hoc qvidem ideo tibi propono, qvòd voluntati, aut prudentiæ tuæ diffidam; sed ut potiùs amori erga te meo, qvi me ad scribendum impulit, satisfaciam. Qvod tu cùm legeris, eô velim accipias animo, qvô nos & cogitavimus, & scripsimus. Cornelium Divum, Peregrinum Benzonum, Nicolaum Sonicam, & Hieronymum Riccium Muranensem, communes amicos, meô nomine si salutabis, erit mihi vehementer gratum. Tu fac valeas, & me, ut instituisti, diligas. M. D. XXXI.

EPI-

EPISTOLARUM PAULI MANUTII Lib. IX.

NICOLAO CAJETANO, CARDINALI.

EPIST. I.

Rogatus à Cojetano Card., ut fratris sui filios doceret, respondet, se occupationibus impediri, qvò minus id facere possit. Ab illis verò liberatus, promittit suam industriam illorum voluntati non defuturam.

EGo verò fratris tui, Principis optimi, filios, præstanti ingeniô adolescentes, & libenter sum complexus: &, perspecta singulari probitate, atqve ad bonas artes propensione, qvotidiè magis utrumqve diligo. Sed, ùt, illorum præclarâ ad virtutem indole, pro mea erga familiam vestram pervetere, perpetuaqve observantiâ, vehementer lætor: sic, ad excolenda eorum ingenia qvod attinet, nec mihi vacui temporis esse, qvantum res exigit, nec facultatem, qvæ voluntatem æqvare possit, non mediocriter angor. Qvanqvam illis, ùt video, qvæ aliundè petuntur, intra domesticos parietes abundè omnia suppetunt. Ut enim reliqva omittam, cùm in tuam vitam intuentur, cùm tuos mores, tua instituta, tua studia, contemplantur, nullam præterea disciplinam, nullius vocem, aut præcepta desiderant. Verumtamen, si qvando acciderit, ut ab iis occupationibus, qvarum con-

penè obruor, respirare liceat, deesse vestræ cupiditati non patiar industriam meam. Qvod ut enitar, hortantur qvidem multa, nihil tamen magis, qvàm epistola tua, qvæ me cùm sermonis elegantiâ, tum significatione amoris, & judicii de me tui sic affecit, ut nihil unqvam senserim jucundius. Vale. X. Kalend. April. M. D. LXIX.

PAULO MANUTIO, S. P. D.

EPIST. II.

Crato cupit ex Manutio scire, cur rectè cogitata de Maximiliano, Cæsare optimo, & ad Sambucum perscripta mutârit, & ex libris Epistolarum suarum sustulerit.

SUperioribus proximis diebus sumpsi mihi qvidam non alienum, ùt arbitror, ab officio meo, neqve tibi adversum, cùm optimô animô tuiqve amantissimô, qvæ te ratio impulisset, ut de optimo Imperatore, Maximiliano, Domino meo verè rectèq; cogitata, & ad Sambucum nostrum perscripta, ex libro epistolarum tuarum tolleres; & bene culta everteres, exqvirere non dubitavi. Magnum enim atqve grave aliqvid fuisse, qvod te ipsum qvasi, ad cujus laudes amplificandas illa, qvæ divulgaveras, pertinebant, inverterit, statuebam, & qvin hoc cum injuriâ, qvæ capiti Reip. Christianæ fieret, conjunctum esset, dubitare non poteram. Itaqve cùm te, propter excellentem omnium liberalium doctrinarum cognitionem, animo meo egregiè carum habeam, & tibi aliqvid à malevolis

volis instillatum, qvò minùs in recta sententia maneres, putem, erigere te, atqve confirmare rursum meis literis volui. Spero autem, ac potiùs confido, te pro singulari tua humanitate & probitate in optimam hoc accepturum partem, ac majorem mihi, cui Cæsar intimè est notus, fidem habiturum, qvàm hominibus Imperatoris opt. & invictiss. tuisqve laudibus inimicis, meqve dubitatione, & curâ, qvàm istâ mutatione, cujus nulla vera ratio excogitari potest, nobis injecisti, levaturum. Id ut facias, & hanc meam curiositatem (licet hoc nomen in vitio ponatur) ab omni malevolentia disjunctissimam, ac potiùs cum summâ erga te benevolentiâ, fideq;, qvam integerrimam Cæsareæ Majestati, qvoad vixero, præstabo, conjunctam esse tibi persvadeas, in majorem modum peto. Bene Vale. Viennæ, ex aula Cæsarea, IX. Kal. Jun. M. D. LXIX.

Johannes Crato à Craftheim,
S. Cæs. Majest. Cons. & Medicus intimus.

JOANNI CRATONI, VIENNAM.

EPIST. III.

Manutius respondet superiori Cratonis Epistolæ, & affert causas, cur animum de dedicando Cæs. Majestati libro quodam mutârit: videlicet, qvòd vocatus à Pontifice Romam, variis occupationibus impeditus sic, aliqvid perficere. (Potest referri ad Excusatorias.)

Form.

Form. Gratias agendi. Ibi: Qvas gratias debeam. (A)

SI qvis est, vir præstantissime, qvi constantiâ delectetur, &, qvam semel consilii viam ac rationem est ingressus, in ea libenter pergat, is ego sum, & eum esse me non mediocriter gaudeo. Sed, ùt te non fugit, singulari doctrinâ ac sapientiâ virum, in hominum voluntatibus nihil esse perpetuum necesse est: nec videtur in aliqvam culpam incidere, aut malè de se ipso consulere, si qvis ita vitam instituit, ut ejus consilia ratio temporum moderetur, ac regat. Ego olim in illa mea ad Sambucum epistola, qvid cogitarem, declarandum putavi. Nam, etsi de studiis meis humiliter admodum sentirem, nec satis fore sperarem, ut ex ingenio meo qvidqvam depromerem, qvod si ad Maximilianum, Regem tunc Romanorum inclytum, nunc Imperatorem, mitteretur, aditum mihi ad ejus benevolentiam patefaceret: sva-sutamen amicorum, assiduisqve sermonibus, in nam mentem impellebar, ut maximo Principi, erga liberales omnes disciplinas egregiè animato, notam esse cuperem industriam meam. Nunc mutata mea ratio est. Romam evocatus à Pontifice, sic impedior negotiis, sic à studiis avellor, ut, qvæ de literis nostris opinio fuit, si modò ulla unqvam fuit, eâ nihil dignum, in summatemporis inopia, præstari à me posse confidam. Porrò, qvod pollicebar, cùm posse perfici sperabam, id spe sublatâ, cur pollicear, non video. Nisi si, qvod à mea non solùm natura, verùm etiam con-

consvetudine, semper abfuit, eos imitari velim, qvi majorem ex inani qvadam ostentatione, qvàm ex ipsâ veritate voluptatem capiunt. Nam qvod vereri te ostendis, ne malevolorum operâ & artificio factum sit, ut à pristina sententia discederem: patere, obsecro, persvaderi tibi, primùm id qvod res est, mutationem feciſſe me voluntatis, non judicii: deinde, illâ ipsâ mutatione voluntatis, qvam nulla temeritas attulit, sed ab invito necessitas expressit, nihil animo meo molestius, nihil acerbius accidere potuisse. Qvid enim? an ego vel ita hebeti sum ingenio, ut, qvibus virtutibus tanta Majestas ornata sit, non intelligam; vel ita improbô, ut, qvæ laudes tantis virtutibus debeantur, non confitear? istam calumniam, opinor, neqve qvi studia mea, neqve qvi mores noverit, in me conferet. In qvo tamen, ut ingenuè fatear, est qvòd me mordeat. Qvi enim alios, homo minimè fallax, ex ingenio meo antea metiebar, nunc demum qvasi admonitus officiô literarum tuarum, incipio suspicari, posse aliqvem, qvod à me ratione, ut arbitror, optimâ factum est, id, aut ignoratione consilii mei, aut suæ fortasse naturæ vitiô deteriorem in partem interpretari. Neqve huic malo qvæ mederi ratio qveat, dispicio: nec possum, in optima anima conscientiâ, non aliqvam tamen ex aliena suspicione molestiam trahere. Tibi qvidem, Crato optime, cùm & me verbis exqvisitis in epistola tua elegantissima, ac planè omnium, qvas adhuc legerim, prudentissimâ, laudaveris, & ea simul scripseris, qvæ profectò, nisi me valdè dilige-

res,

res, & nisi de mea existimatione ac laude laborares, tibi nunqvam in mentem venire potuissent, qvas gratias debeam, (A) facilè video: qvas agere possim, non reperio. Qvod tamen in me est, ut meritum tuum perpetuâ memoriâ colam, & singulari te ipsum amore complectar, qvod virtuti qvoqve tuæ, omnibus notissimæ, libenter tribuo; id si omittam, nefario me scelere devinctum putabo. Vale. Romæ, Idib. Septemb. M. D. LXIX.

EIDEM VIENNAM.

EPIST. IV.

Excusat se Cratoni, & de traditate, & brevitate literarum, ob valetudinem adversam. Deinde filium illi commendat, si forte qvid humanitus sibi acciderit.

ET seriùs, qvàm tù fortasse exspectabas, & breviùs omnino, qvàm uterqve nostrûm vellet, ad te scribo. Id accidit valetudinis incommodô, non oblivione tui, ad qvem qvotidiè mentem refero, & eâ sanè voluptate, qvâ major esse nulla possit. Qvod si corporibus animi mederentur: facilè sanaret hunc morbum, qvô qvintum jam mensem laboro, jucundissima recordatio humanitatis & benevolentiæ erga me tuæ. Allevari tamen videor, dum de te cogito, tecumq; qvasi loqvor. Calores exspecto, valetudini meæ semper utiles. Nam hyems, & veris inconstantia, cum hyemali propè frigore, malè me vehementer habuit. Si valebo, exspecta epistolam bene longam. Interim ame

me

me, ut facis. Vale. Romæ, Kalend. Maji, M. D. LXX.

P.S. Laborabam eodem, qvô antea morbô, & qvidem aliqvantò etiam graviùs. Ita Dei voluntas fert. Nec satis constat inter medicos, qvi sit exitus futurus: meus animus, ut ingenuè tibi fatear, aberrat à bona spe, qvippe ætate ingravescente, valetudine perimbecillâ, morbô plurimorum mensium. Te rogo pro nostra necessitudine, si qvid mihi acciderit humanitus, filium meum Aldum, qvi vivit Venetiis, tuis officiis, tuaqve humanitate complectaris. Ego si diutius vitâ fruar, nullum, mihi crede, erga te amicissimi atqve observantissimi hominis officium prætermittam. Hæc qvoqve aliena manu: nam meæ vim penitùs omnem ademit morbus. Vide, qvi sim, mi Crato. Vale, & posthac Venetias, qvò me brevi conferre cogito, ad oratorem vestrum literas mittes. Is mihi eas reddendas curabit. Et qvanqvam fieri potest, ut inde me Patavium, valetudinis curandæ gratiâ, conferam; tamen discedens mandabo meis, ut literas mihi tuas eò mittant.

EIDEM VIENNAM.

EPIST. V.

Nunciat Cratoni, se post decem annos, Româ relictâ, Venetias rediisse. Deinde qveritur, se non eum, quem speraverat, laborum fructum ibi percepisse. Tertiò significat, se rediturum ad priora studia, modò per valetudinem liceat, qvâ cum minus commodâ utatur, qvibus remediis eam curet, perscribit.

NUnc demum exoriri mihi videor, & qvasi post multam noctem lucem adipisci, reversus post annos decem in patriam ab urbe Roma, unde me, laborem nullum pro publica re, communiqve commodo recusantem, gravis morbus ac diuturnus extrusit. Gratulantur amici, amplexantur, lætitiam oculis, vultu, sermone declarant. Hoc mihi jucundissimum est: sed, in hac jucunditate, angor sæpè intimis sensibus, dum recordor, qvid jacturæ, qvamdiu Romæ vixi, studia mea fecerint: de qvibus qvanqvam intelligo non eum esse me, qvi magna præstare possim, veruntamen minima fortasse non erat exspectatio. Ire, inqvies, non oportuit. Certè, si divinare licuisset. Verùm, si res adhuc integra ponatur, eundi consilium qvi reprehendat, fortasse nemo sit. Laborabam domesticis incommodis, fratrum meorum culpâ: nec spes erat emergendi, nisi nova consilia caperentur. Vocabar à Pontifice Max. qvô nihil videri poterat honorificentius: fructum autem qvis non exspectaret? Cohortabantur amplissimi viri, qvorum erga me singularem benevolentiam multis rebus antea perspexeram. Læta denique, copiosa, ampla ab omnibus omnia promittebantur. Qvid agerem? Credidi, & speravi: ut ferè sumus omnes homines hôc ingeniô, ut ea, qvæ cupimus, libenter qvoqve speremus. Qvanqvam hoc levius, qvod spem fefellerit eventus: non tàm enim abundare, qvàm non egere, gratum est: illud perqvam grave, qvod perpeti sæpè multa sum coactus, indecora prorsus, indignaqve studiis nostris, ætate nostra-

strâ, existimatione antè partâ. In qvo tamen occurrit ea consolatio, qvòd in illo vitæ duriſſimo genere, multa ferendô, multa ſimul didici, qvæ profectò me nunqvam neqve libri, neqve ulla doctrina, neqve dies ipſâ docere potuiſſet. Nunc, ſingulari divino muncre patriam adepti, redibimus ad illa præclara ſtudia, unde diſcedere non oportuit, omniqve prorſus curâ vacui, nullô cujusqvam imperiô, excluſis etiam, ſi licebit, interpellatoribus; ſi non licebit, rure abditi, ſalubri aliqvo, & amœno loco, fruemur, liberrimô otiô, literulis noſtris; operamqve dabimus, qvantum in nobis erit, ut, qvod amiſſum eſt antea temporis, non id qvidẽ totum, (qvi enim fieri poteſt?) nonnullâ tamen ex parte ſarciatur, & aliqvem adhuc ex induſtria noſtra fructum poſteritas capiat, valetudine modò utamur commodâ, qvâ nunc omninò caremus, ereptâ laboribus illis, animiq; curis, qvæ nimiùm omninò graves, nimiùm diuturnæ fuerunt. Febris diſceſſit poſt novem tandem menſes, ſed inediâ, morbô, mœrore, ad horribilem propè maciem redacti ſumus: qvodq; miſerius etiam eſt, alvum purgare, niſi accedant extrinſecus adjumenta, nunqvam licet. Huic ariditati aſininum lac prodeſſe in primis poſſe, neq; huic remedio ullum præſtare, inter omnes medicos convenit. In cibo ſicca omnia damnant, humida probant, præſertim qvæ facilia ſint ad concoqvendum. Pono magnam ſpem in eorum conſiliis, majorem tamen in animi tranqvillitate, in adſpectu meorum, in cœli patrii ſalubritate. Deniqve ad omnipotentem Deum omnia refero. Qvid-

qvid acciderit, ejus voluntati libenter acqviescam. Hæc de statu nostro : utinam qvotidiè lætiora. Qvod futurum spero, & sanè tuâ qvoqve causâ cupio. Necesse est enim, qvem valdè ames, (sic enim mihi jam persuasi) de eo valde te solicitum esse. Ad illam superiorem epistolam, Romæ scriptam pluribus verbis, exspecto, qvid respondeas. Vale. Venetiis, X. Kal. Novemb. M.D.LXX.

BOTVITO NERITIO, SENAS.

EPIST. IV.

Neritius gratias egerat Manutio, qvòd ab ipso Roma humaniter fuerit exceptus. Respondet jam Manutius, se id sine vituperatione non potuisse omittere. Deinde gaudet, sua scripta ab ipso legi, & probari. Denique, cur consilium de ornando Imp. mutarit, exponit.

Form. Laudem non agnoscere. Ibi : Istam qvidem opinionem. (A)

VEllem, ut, qvàm libenter eos homines complector, qvorum in sermone & in moribus aliqva signa virtutis, & integritatis elucent, tàm sæpè accideret, ut eos colere officiis, ornare verbis, aliqvâ demum vel tueri, vel augere facultate possem. Profectò animus meus, cui multis rebus fortuna defuit, & tibi, & aliis tui similibus longè pateret illustriùs. Hanc tu fortasse voluntatem meam, nullo qvidem adhuc insigni meritô declaratam, spectas; cùm mihi gratias agis, qvòd te, cùm Romæ esses, huma-

humaniter acceperim, &, in summa mea occupatione, nunqvam tamen aditu, nunqvam sermone, excluserim: qvæ tu pro tua bonitate magni beneficii locô ducis: ego, si qvis ea præstet, non tam laudandum, qvàm, si omittat, vituperandum puto. Qvòd verò de scriptis meis ita sentis, ut ea, cùm vehementer ipse probes, tum à tua sententia non discrepare commune judicium dicas: istam qvidem opinionem tanti æstimo, qvanti æstimari debet ea laus, qvam eruditorum ac sapientium virorum consensu & approbatione nixam, invidia, aut malevolentia labefactare non qveat. Verùntamen, qvi me probè norim, vereri sæpè cogor, ne te qvidem amor, multos fortasse fallat auctoritas tua. Ac, si me audies, cui debes in ea re, qvæ ad me ipsum pertinet, obseqvi non invitus, parumper moderabere posthac judicium de me tuum: nedum existimationi meæ nimiùm studes, tuam in discrimen adducas. Sunt enim qvædam pestes hominum, qvibus aliena laus ita molesta est, ut, qvidqvid aliis addatur, sibi detractum putent; & omnem detrahendi obtrectandivè locum sic arripiant, ut ex aliena ignominia sibi laudem qværere videantur. De mutatione illa, qvam feci in epistola ad Sambucum, & prudenter, & amanter judicas. Scripsi, cùm impedimento nihil fore videbatur, qvô minùs id, qvod cogitabam, ad exitum perducerem: induxi, cùm propter assidua negotia, studiis meis ita diffiderem, qva si nihil ne mediocriter qvidem eruditis auribus, non modô Imperatore Maximiliano dignum, afferre jam possem. Utrius-

qve consilii causam ad Cratonem perscripsi, spero fore, ut meum factum, de qvo parum æqvis animis nonnullos judicare, literæ tuæ significant, vir optimus ac prudentissimus non improbet. Qvod si evenerit, tanti hominis auctoritate sustentatus, non eqvidẽ dicam, qvid alii sentiant, non laborabo, sed certè multò minùs: cùm præsertim te qvoqve, florentem ingenii, probitatis, doctrinæ famâ, tui judicii testimoniô mihi non defuturum intelligam. Vale. Romæ, XIIX. Kal. Octob. M.D LXIX.

AUGUSTINO ANGELELLO, FABRIANUM.

EPIST. XII.

Diligentiam illius in describenda antiqvitate laudat, & se illum in lib. de Orthographia laudaturum promittit.

NEc filius adest, profectus Venetias cùm matre ante aliqvot dies: nec mihi a gravioribus curis tantum spatii relinqvitur, ut binis tuis literis pluribus verbis respondere possim. Hoc tantùm habeto, delectari me vehementer diligentiâ tuâ, qvâ te uti video tum in describenda, tum in mittenda ad nos Antiqvitate. Gratias agerem, si hoc uno contentus officio essem, aut hoc à te crederem exspectari. In Orthographiæ libro, cùm rursus edetur, aut in eo, qvi apparatur, veterum Inscriptionum, carere te tua laude non patiar. In nostra consuetudo fert, ita postulat & amor in nos tuus. Keliqva, cùm vacabimus, si modò id assequemur, unqvam: qvod sanè non tàm nostrâ, qvàm aliorum causâ

causâ cupimus. Vale. Romæ, VII. Id. Maji. M.D. LXVII.

EIDEM, FABRIANUM.

EPIST. VII.

Cur illi de missis Inscriptionibus non agat gratias, & cur commentarios non mittat, exponit.

DE Incriptionibus ad me missis, noli exspectare dum tibi gratias agam. Nam neqve id patitur amicitia nostra; & officium tuum, sæpiùs iteratum, gratiarum actionem reqvirere jam non videtur. Qvod ad meos Commentarios attinet, velim hanc moram æqvò animô feras. Qvotidiè enim aliqvid additur, aut mutatur. Ita, si qvam facis in tempore jacturam, eam tibi resarciam. Eqvidem istam amo cupiditatem scriptorum meorum: in qva te socios habere multos intelligo. Utinam otium contingat, ut eam explere aliqvando possim. Vale. Romæ. IV. Non. Sep. M.D.LXVII.

EIDEM, FABRIANUM.

EPIST. IX.

Qveritur de afflicta valetudine. Deinde significat illi, se in patriam rediturum, cujus aspectum sperat afflictæ suæ valetudini plus profuturum, qvàm orientalia qvavis pharmaca. Ab Onuphrio Gilio se divelli dolet. Literarum officium Angelello promittit.

Form. Promittere crebras literas. Ibi: Ego autem licet otium. (A)

PUto te ab Onuphrio Gilio, tui amantissimo, certiorem non semel esse factum invaletudinis meæ: qvâ nonum jam mensem ita laboro, ut neq; ratione victus, neqve ullo remedii genere adhuc qvidem allevari potuerim. Itaq; miserè jaceo, spe jam destitutus omni, præter eam, qvam in cœli mutatione multi ponendam arbitrantur. Qvorum ego libenter accedo sententiæ; exire propter nimios calores nondum licuit. Sed ego exeundi consilium ita cepi, ut Urbem planè relinqvam, & ad patrios lares, & dulcia incunabula remigrem. In qvo Pontifex, ùt est insigni præditus humanitate, facilem, perbenignumq; se præbuit. Si qværis, lætior, an tristior discedam: non facilè dixerim. Ita multa occurrunt, qvæ animum ac voluntatem huc illuc distrahant. Propensior tamen in hanc partem sum, ut post annos decem, ætate ingravescente, urgente præsertim difficili morbo, ad patriæ complexum recurram: cujus adspectus, non dubito, qvin mihi amissam molestissimis curis hilaritatem restituat. Qvam si qvis afflictæ valetudini haud paulo magis, qvàm orientalia qvævis pharmaca, prodesse dixerit, opinor non errabit. Eamus igitur, diis benè juvantibus, & redeamus aliqvando ad illa studia, unde discedere piaculum fuit. Qvod utinam per valetudinem liceat. Nam per negotia certè licebit. Ita res meas constitui: ita, qvæ dissipata erant in domesticis rationibus, collegi, atq; contraxi: ita denique, (qvod accipi qvasi dictum arroganter nolim) humana omnia propemodum cœpi contemnere. De discessu igitur fixum consilium est: de die

nondum

nondum statui: sed, ut hyemales imbres, tempestatesq; vitentur, ante Kalend. Octob. cogitamus. Onuphrius hîc remanet, meo sanè cum dolore: non solùm enim ejus operâ utebar in studiis, verùm etiam convictu, sermone, probitate, ingenio ita fruebar, ut hanc jacturam sarcire me posse vix unqvam putem. Non deerunt omninò, qvibus utar: sed, præter operam, alia desidero: hoc adolescente nihil aptius ad naturam meam. Te, mi Augustine, qvanqvam longè disjunctus, tamen prorsus non carebo. Qvæ enim tua est humanitas, qvi tuus in me amor, scribes interdum ad me. Ego autem, licet otium & literas, si valebo, ita amplecti cogitem, ut divelli me non facilè patiar; tamen à te, viro optimo, nostri, qvod facilè perspexerim, cupidissimo, atqve amantissimo, non committam, ut in hoc genere prorsus reqviri possit officium meum. Vale Kalend. Sept. M. D. LXX.

HERCULI CIOFANO, SULMONEM.

EPIST. X.

Ciofani industriam laudat in Ovidio emendando.

NOn possum non amare vehementer industriam tuam, qvâ te uti video in emendando gentili tuo, poëtâ summo. Perge, ut cœpisti: nam & gloriæ tuæ consules, & alios ad eandem laudem excitabis. Victor ad Æmonios, magis arridet, qvàm Victor Jolciacos: accedente præsertim antiqvi libri testimoniô. Regius autem, inania captans, veritatem qværebat in tenebris. Tu longè certio-

ra seqveris: itaq; tibi libenter assentior. Vale. Romæ, XIII. Kalendas April. M. D. LXIX.

EIDEM, SULMONEM.

EPIST. XI.

Monet ipsum, ne Inscriptionibus frustra laboret: sed, ut Ovidium illustrare pergat.

INscriptiones illæ nihil habent, qvòd oblectationem aut doctrinam legentibus afferre possint. Qvod si similes occurrerint, inanem laborem suscipere te nolo. De Ovidii loco, ad tuam sententiam opinionem meam adscribas, licet. Regius ille sæpè hallucinatus. Tu si perges ut cœpisti, poëtam ingeniosum, civem tuum, à mendarum labe, non mediocri tua cum laude, vindicabis. Vale. Romæ, prid. Kal. Sext. M. D. LXVIII.

M. ANTONIO CIOFANO, SULMONEM.

EPIST. XII.

Excusat tarditatem literarum, & iniqvè secum agi ostendit, si ad omnium literas respondendum esset; cum tempus illud, qvod literis scribendis impendendum est, melius possit collocare.

Form. Objectionis: At officii prætermissi. (A)

Form. deferendi vel pollicendi alteri sua studia. Ibi: Atqve utinam. (B)

EXcusarem tibi tarditatem literarum mearum, nisi Hercules, frater tuus, qvæ meæ vitæ ratio sit, qvàm assiduis, qvàm variis impedita negotiis, opti-

optimus testis esset, atqve ego illi, cùm me roga-
ut aliqvid tibi rescriberem, deesse mihi dixeram,
non modò otium, sed etiam argumentum. Nam
de paracleto, sanè mirabar non probari tibi senten-
tiam parentis mei, præsertim qvæ rationibus opti-
mis niteretur. Cetera verò in tuis literis erant ejus-
modi, ut à te non negotii, sed animi causâ scripta,
aiderentur. Qvod si mihi hæc imposita conditio sit,
ut eorum omnium, qvi qvotidiè non modo ex Ita-
lia universa, verùm ex transalpinis qvoq; gentibus
ad me scribunt, rescribere literis necesse sit; iniqvè
mecum agatur & prorsus inhumanè. Cujus enim
otii est, cujus etiam ingenii, tot epistolis posse re-
spondere, Latino præsertim sermone, in qvo mihi,
propter eam, qvam nonnulli de scriptis meis opi-
nionem habent, non licet esse negligenti? At offi-
cii prætermissi, (A) gravem esse culpam dices. Si
simplex officium agitur, jure dices; sin eveniat, ut
concurrant officio duo; certè, posse alterum omitti
sine culpa, & minori majus anteponi, aut fateberis,
aut in gravem ipse culpam incides. Magnam enim,
nisi distinguantur officia, rerum omnium humana-
rum perturbationem seqvi necesse est. Simili, ùt o-
pinor, in loco mea causa versatur. Cùm enim sacris
libris, qvi ad Christianæ Reip. salutem pertinent, &
corrigendis, & edendis, cum salutationi virorum,
honestissimorum, qvi freqventant ædes meas, cùm
etiam studiis nostris, vel ut instituta absolvam, vel
ut absoluta perpoliam, danda opera est; scilicet ejus
temporis, atq; ejus operæ partem, rebus gravissimis
detractam, ad inanes epistolas transferam. Inanes

appel-

llo, qvia video multos, cùm scribendi causam perqvam levem, aut etiam nullam habeant, ideo tamen scribere, ut meas literas eliciant. Qvod nisi statim assequntur, indignantur, & majorem suæ voluntatis, qvàm occupationis meæ, rationem habent. Ab horum numero libenter te, mi Ciofane, sejungam. Non enim dubito, qvin me diligas, vel tuâ sponte, propter communia studia, vel imitatione juvenis optimi, atqve eruditi, Herculis fratris tui. A qvibus autem diligi me puto, de iis ut bene sentiam, non ægrè à me soleo impetrare. Atqve utinam, (B) qvàm propenso erga utrumqve vestrum animô sum, tam facilè vobis animum insigni aliqvo meritò probare possim. Qvod eqvidem enitar: &, si contigerit, vehementer lætabor: sin minùs, vos tamen amplecti voluntatem meam, eâqve contentos esse, & humanum inprimis, & æqvum est. Vale. Romæ, XII. Kalend. Decembr. M. D. LIX.

JOANNI CASELIO, FLORENTIAM.

EPIST. XIII.

Gaudet, se à Caselio amari; hortatur illum, ut artes eas, qvas à pueritia coluit, amare pergat. Amorem suum, erga commendatum sibi à Caselio Neritium exponit.

ÆQvè, ùt video, lætamur, tu meâ erga te, ego tuâ in me benevolentiâ. Qvæ si orta est ab opinione virtutis, ut certè est, non dubito, qvin perpetua sit: tu enim, qvas artes à puero colere cœpisti, in iis qvotidie magis ut excellas, operam dabis:

dabis: ego te, inani fortasse conatu, (nam adversantur multa) studio tamen, & voluntate qvantum licebit, imitabor. Neritium tuum qvis non amet? Mihi crede, tuarum literarum testimonio, aut commendatione non eget. Me qvidem ita sibi devinxit officio suo, non modo ut omnia, qvæ possum, sed etiam qvæ non possum, ejus causâ cupiam. Jam de ejus ingenio, doctrina, eloqventia qvid ego tibi, cui notior est, qvam mihi? Prædicabo igitur aliis: vel qvòd amor impellit: vel qvòd, ornare virtutem, nostræ consuetudinis est. Vale, mi Caseli, nosqve, ùt facis, ama. Romæ XII. Kal Octob. M.D.LXIX.

FRANCISCO PLANTEDIO, MANFREDONIAM.

EPIST. XIV.

Excusatâ literarum suarum tarditate & brevitate, judicium suum de versibus illius exponit.

Form. Memor ero tuorum beneficiorum, qvæ &c.

Cujus erga me officia. (A)

ET serius, qvàm tu exspectabas, & brevius fortasse, qvàm uterq; nostrûm vellet, respondeo literis tuis. Qvanqvam, cùm tibi nota esset occupatio mea, erat humanitatis & prudentiæ tuæ, silentium meum in bonam partem accipere, & amici hominis commodo consultum velle: cùm præsertim, judicium meum de tuis versibus cur expetas, causa nulla sit. Tu enim hoc in genere ita es versatus, ut excellas: ego salvere Musas jussi ante aliqvot annos, nec Poëtas conor attingere: aut, si interdum

terdum, ut oblectem me potiùs, qvàm ut imiter. Qvod si tù meum judicium anteponis tuo, qvod ego ne comparo qvidem: errare te facilè patiar, neqve comittam, ut meam frustrà sententiam reqviras. Mihi qvidem ea, qvæ scripsisti ad Rotam, vatem ætatis nostræ celeberrimum, valdè probantur. Habent leporem, nec tamen gravitate carent: Totum poëma (sic enim videor appellare posse) luminibus ingenii, doctrinæqve distinguitur. Sic perge: sic ibis ad astra, præsertim oratoriâ qvoqve facultate, ùt video, non mediocriter instructus. Commentarium meum in epist. fam. dederam amico describendum; sed ejus operam casus nescio qvis interpellavit: edetur aliqvando, vel hîc, si licebit, vel certè Venetiis, qvod minimè vellem absente me. Post discessum tuum addidi non pauca, qvædam perpolivi. Cupio salutari à te veterem patronum meum, omni laude præstantem, Cardinalem Comensem, cujus erga me officia, dum vivam, animô ac memoriâ tuebor, prædicare nunqvam desinam. Vale. Romæ, VII. Kal. Octob. M. D. LIX.

JACOBO GORSCIO, CRACOVIAM.

EPIST. XV.

Modestè reprehendit Gorscium, qvòd is Manutium Româ *excluſum scripsisset, nullo addito* judicii *vel* amoris *signo, qvòd molestè se ferre significet. Deinde occupationes suas memorat, qvibus potiùs incluſus Romæ sit, qvàm illâ excluſus. Et malevolorum hominum de se judicia contemnit.* Form.

Form. excusandi libertatem in scribendo. Qua de re scripsi liberè.(A)

PArticulam literarum tuarum, in qua scribis ad amicum tuum, audisse te, excluſum esse Româ Paulum Manutium, (hæc enim ipsa verba ponis) legi sine moleſtia. Qui enim rumor, nec si verus esset, valde afficeret animum meum, subsidia sibi ad omnes casus ex optima conscientia quærentem; is, cùm sit falsus & inanis, quid est cur me tangat? Equidem, si scire vis, qui sit meus hac tota de re sensus, incluſus potiùs mihi videor esse, quam excluſus. A quo enim die Romam veni, exeundi facultas, quàm sæpè valetudinis, interdum animi etiam causâ optaveram, data nunquam est: non quin iis hominibus, qui tanti apud me sunt, ut eorum voluntatem nutumque quasi legem observem, utar facillimis: sed commiſſum fidei, diligentiæ, induſtriæ meæ negotium ejusmodi est, ut abſente me jacturam patiatur. Quod si privata mea res ageretur, negligerem fortasse: nunc, ut scire te arbitror, totum hoc munus ad Sedis Apoſtolicæ dignitatem pertinet; pro qua si accideret, ut vitam profundere opus esset, præclarè mecum actum putarem. Hoc meum ſtudium placere bonis viris, & ipsi in primis Pio V. Pontific. Maxim. nihil omnino probanti, nisi quod ad summi Dei gloriam, communemque salutem referatur, ita lætor, ut ceterorum opiniones, & judicia contemnam. Quid enim laborem, quid de me sentiant, aut loquantur ii, qui ne sincerè judicare possint, livore impediuntur, aut malevolentiâ, fortasse etiam homi-

hominem in saluberrima tollendæ pravitatis hæreticæ curâ diu noctuqve versantem, non labori, non valetudini parcentem, parùm æqvis oculis adspiciunt? Sexcentas enim artes, qvibus causa publica lædatur, qvotidie veterator ille magnus, generis humani sempiternus hostis, excogitat. Sed nomini meo, qvantum volunt, isti detrahant: me tamen, ut ab optimorum consiliorum cursu, rectissimaqve mente deducant, nunqvam assequentur. Te qvidem ista, mi Gorici, qvæ aut levissimis hominibus temerè, aut ab improbissimis callidè disseminantur, si putem credere, ignorare videar & prudentiam, & bonitatem tuam: ut ingenuè tamen tecum agam; post illa verba, Exclusum esse Roma Paulum Manutium, optavi signum aliqvod vel judicii, vel saltem amoris in me tuis: judicii, ut hoc adderes: Qvod verisimile non videtur: aut etiam, Qvod de tali viro vix crediderim; amoris, hoc, aut simile: Qvod cupio esse falsum: Qvod si verum est, doleo. Hæc tu si sic scripsisses, cùm amicitiæ nostræ, tum constantiæ qvoqve tuæ satisfeciisses: illa qvidem ipsa verba, qvæ subacerba nonnullis videri fortasse possint, condimento qvasi aliqvo mitigasses. Utraqve est à te omissa significatio: & qvanqvam utraqve mihi æqvè grata futura esset, qvippe qvi à bonis eruditisqve viris, id est, à tui similibus, non minùs probari, qvàm diligi velim: tamen nescio qvo modô fit, ut amori te nihil dedisse, aliqvantò molestiùs feram. Qva de re scripsi ad te liberè, pro mea consuetudine: neqve tamen dubito, qvin tu hoc ipsum, qvod scripsi, pro tua humanitate æqvi

te æqvi boniqve facias. Nam de ſtatu rerum mearum mihi ipſi, auctori ſatis bono, velim credas, non modo Romæ eſſe me, verùm etiam libenter eſſe, exiſtimatione integrâ, re familiari auctâ potius, qvàm immutatâ. Vale. Romæ, VI. Kal. Octobr. M.D.LXIX.

JOH. BAPTISTÆ OLIVO, ASULAM.

EPIST. XVI.

Gratias agit Olivo ob officia medica, uxori & filio præſtita, laudat aqve ejus ad communem ſalutem propenſa voluntate, rogat, ut, ſi nondum convaluerunt, curare eos pergat.

Form. Allegare cauſam ſcribendi. *Ibi:* Etſi cum has ſcripſi. (A)

Form. Gratias agendi. Utinam qvam debere.(B)

Form. Deferendi ſua officia. A me verò. (C)

ETſi, cùm has ſcripſi, non ſatis commodè valebam; dedi tamen operam, humanitate coactus literarum tuarum, ut aliqvid reſcriberem. Lætor, perjucundam tibi eſſe recordationem veteris amicitiæ, conſuetudinisqve noſtræ: ſed majoris lætitiæ cauſam afferunt officia tua, qvibus uxorem meam primùm gravi morbô affectam, deinde filium, non minùs graviter laborantem, aſſiduè coluiſti. Utinam, qvam debere (B) me fateor, aliqvando referre gratiam poſſim: habebo qvidem merito tuo parem, qvamdiu vita contigerit. De ſtatu rerum tuarum, ex Lælio Gavardo, probo juvene, mihiqve

ſuis moribus, & ſuâ virtute cariſſimo, cognovi ea, qvæ vehementer optabam: diligi te, & coli à bonis, honeſtisqve civibus; operâ, opeqve tuâ multos adjuvari; augeri qvotidie opinionem probitatis, & doctrinæ tuæ. Qvô tibi nomine plurimùm gratulor: qvæq; tam præclaræ induſtriæ, tam propenſæ ad communem ſalutem voluntati, præmia debentur, ea non dubito qvin tibi nunc qvidem homines, olim verò Deus Opt. Max. uberrima perſolvat. Vale, & uxori, filioqve, qvorum in ſalute ſita mea ſalus eſt, humanitatem, & diligentiam, ſi nondum convaluerunt, eandem præſta: à me verò,(C) qvæcunqve ad commodum, laudemqve tuam pertinere intelligam, omitti poſſe nolim exiſtimes: ſi qvid ignorabo, admonitus à te vincam officiis meis opinionem tuam. Romæ, prid. Kal. Octobr. M. D. LXIX.

PRO COLLEGIO CANONICORUM S. PETRI.

S. R. Magdalenæ, & Leonoræ Auſtriæ, ſororibus, Spiram.

EPIST. XVII.

Canonicorum Collegii nomine gratias agit duabus ſororibus Auſtriacis, de veſte aurea dono miſſâ, cujus memoriam inter ornamenta templi diu duraturam, in ſuis verò animis nunqvam exſtinctum iri pollicetur.

Form. Optandi bene. Interim precibus omnibus. (A)

Bene

BEne agendi ratio maximè discitur eorum exemplô, qvorum actiones generis nobilitas, aut splendor dignitatis illustrat. Propterea neq; optabilius qvidqvam est, qvàm ut Reges, Principesqve reliqvi ad ornandam, tuendamqve Christi Ecclesiam, unde vera salus, æternæqve vitæ felicitas emanat, suas omnes curas, omnia studia conferant: neqve nos ex ulla re majorem capere lætitiam potuimus, qvam ex M.V. propensu ad cultum, ac venerationem Apostolorum voluntate, antea qvidem nobis minimè dubio multorum sermone, nunc autem insigni vestis aureæ munere declaratâ. Et qvanqvam suæ pietatis, perpetuæq; innocentiæ, à Deo Opt. Max. fructum illum capient, qvo nihil potest esse præstantius: tamen nos qvoqve, ne partes nostræ desiderentur, primùm gratias eis de ista liberalitate, istaqve mente qvàm licet maximas & agimus, & habemus: deinde fore pollicemur, ut exstet sui muneris memoria in annos plurimos inter ornamenta templi, in animis verò nostris nunqvam exstinguatur. Interim precibus omnibus, (A) ut M.V. perpetuo bene sit, qvæq; optant, feliciter, prospereq; eveniant, à cœlesti numine petemus. Romæ, XVII. Kalend. Januar. M.D.LXIX.

HIERONYMO RUBEO, RAVENNAM.

EPIST. XVIII.

Respondet ad petitoriam Rubei, ac 1. tarditatem responsionis excusat ob morbi diuturnitatem. 2. Probat ejus institutum in contexenda historia Ravennate, utqve in ea

pergat, hortatur. 3. Studium suum ipsi in hac re defert, & ad ea, de qvibus qvæsiverat, respondet.

Form. Excusandi tarditatem literarum. Seriùs omnino. (A)

Form. Gratitudinem pollicendi. Ibi: Qvæ me olim adolescentem. (B)

Form. Deferendi alicui studia sua. Veruntamen si qvid &c. (C)

Form. Respondendi ad interrogata. Dixi qvid sentirem &c. (D)

EPistolæ tuæ, in qva significas Ravennatem Historiam à te esse institutam, qværisqve à me, qvæ ad eam pertinant, nonnulla, seriùs omninò, (A) qvàm tu exspectabas, respondeo: sed oblivionis, aut negligentiæ culpâ liberat me diuturnitas morbi, qvô primùm leviore commotus, postea graviter perculsus, ad hanc ferè diem jacui. Alioqvi meum in hoc genere studium nec tibi defuisset, nec defuturum unqvam, velim existimes. Non est enim meum, minimeqve decere arbitror, cùm humaniora semper studia præcipuè coluerim, nunc committere, ut humanitatis officia desiderare à me qvisqvam jure possit. Adde meam erga doctos homines, in qvibus excellere te video, benevolentiam: adde non mediocrem observantiam erga civitatem vestram; qvæ me olim adolescentem (B) omni liberalitatis genere complexa, immemorem, aut ingratum, in iis præsertim rebus, qvas ad ejus amplitudinem, & gloriam spectare intellexero, profectò nunqvam sentiet. Nec verò dici potest, qvàm valdè gaudeam, qvòd eniteris, atqve elaboras, ut

ejus

ejus antiqva nobilitas, æternis ingenii tui prodita monumentis, ab omni posteritate cognoscatur. Næ tu jam nunc ista voluntate magnam laudem consequeris: qvid futurum putas, cùm voluntati res ipsa respondebit? Honestis consiliis DEUS, hominesqve parent: honestius autem nihil, aut præstantius, qvàm de patria bene mereri. Urge igitur, & illustra, qvantum in te est, gentiles tuos. Qvod eò tibi magis curæ debet esse, qvia memoriam publicam, vetustate jam deficientem, ab interitu vindicare non potes, qvin privatam simul tui nominis memoriam immortalitati commendes. In hoc argumento qvid efficere, & præstare ipse possim, non eqvidem intelligo: veruntamen, si qvid (C) possum, & si assequar aut legendo, aut cogitando, totum illud, qvidqvid erit, & qvantumcunqve erit, prolixè tibi, perliberaliqve animo & polliceor, & defero. Nam illa, qvæ reqviris, ejusmodi sunt, ut vel historiæ veteris testimoniô, vel ipsâ etiam conjecturâ explicari facilè possint. Si enim Cæsarem, cùm utriq; Galliæ præesset, in citeriore, conventuum agendorum causâ, sæpè hybernasse concedimus; id qvod ambigere non licet: qvis dubitet, qvin Ravennæ, qvô nullum in ea provinciæ parte nobilius oppidum invenio, conventum egerit? De fœdere, ne hoc qvidem video, cur in dubium vocetur, urbs enim Cisalpinæ Galliæ Ravenna fuit: at Galli fœderati. Locum Ciceronis in Oratione pro Balbo, suffragante, ut verba tua declarant, vetere libro, ita legerem: P. Cæsium, virum bonum, qvi vivit, Ravennatem, fœderato ex

populo. Ut primùm patria, deinde patriæ conditio ostendatur. Nam si legamus: Qui vivit Ravennæ fœderato ex populo: fœderati populi nomen, id est, P. Cæsii patria, ignorabitur. In quo repugnat Ciceronis consuetudo. Neminem enim civitate Romana donatum appellat, quin patriam simul nominet. Q. Jubium, seu, Q. Junium, cur non placeat, eadem ratione adducor. Nam si hunc Ravennatem esse dicemus: P. Cæsio quid fiet? an solus patriâ carebit? Dixi, quid sentirem, (D) rogatus à te: nec mihi tamen arrogare tantum ausim, ut meum judicium anteponam tuo. In amore, atque etiam in iis officiis, quæ amori debentur, me abs te vinci nunquam patiar. Vale. Romæ, Kal. Febr. M. D. LXX.

CLAUDIO STRAMBONIO, ROMAM.

EPIST. XIX.

1. Accusat Strambonium, quòd à se negotiis impedito literas flagitet. 2. Laudat ejus mores, ingenium & studia, ac ipsum Latinæ linguæ dignitatem prope amissam brevi restituturum sperat, quandoquidem cum eloquentia Jus Civile & Philosophiam conjungit. 3. Dolet ob interitum Card. Castilionei; sed ut eum lugere desinat, hortatur.

FAtebor ingenuè, ut & consuetudo mea, & amicitia nostra postulat: putavi, te, pro tua prudentia & æquitate, amore erga te meo contentum esse; amoris fructum, & officia requirere nunquam putavi: cùm præsertim, si quis est, quem distringant

gant curæ non qvotidianæ tantùm, ſed etiam permoleſtiæ, is ego ſim. Qvod tu cùm ſcias, & mecum tamen ſic agas, qvaſi neſcias: qvid ſuſpicer? Me abs te non amari? Siqvidem, qvos amamus eorum commodo libenter conſulimus. Odi iſtam rationem: errare malo cum tanta voluptate, qvantam opinio mihi affert benevolentiæ tuæ, qvàm id cogitare, qvod ſi credam, injucundè vivam. Qvid enim profecerunt ſtudia mea, illa, illa, qvæ tu dilaudare interdum ſolitus es? Aut qvid egi tantis vigiliis pro communi utilitate ſuſceptis, ſiqvidem hoc non ſum aſſecutus, ut qvibus laborem minuit labor meus, ab iis mihi merces benevolentiæ nulla perſolvatur. Ac velim credas, non me tamen, ſi qvid mihi hoc nomine debetur, id ab omnibus exigere; inſtar omnium pauci futuri ſunt; & in hoc ipſo paucorum numero in primis eſſe te, vehementer cupio. Amo enim tuos mores: ingenium plurimi facio: ſtudia laudare nunqvã deſino. Poſſum autem ex iſta mente, qvæ virtutum ubertas aliqvando futura ſit, facilè divinare. Et hac eqvidem ſpe, ſi verum ſcire vis, jacturam illam, qvam interitu Julii Pogiani Romanæ literæ fecerunt, aliqvantô leviùs fero. Nam, ſi contexes extrema cum primis, teqve ipſe, ùt ſoles, ad ſummam eloqventiæ laudem incitabis: non dubito, qvin paucis annis Latinæ lingvæ amiſſam propè dignitatem reſtituas. Qvod eô faciliùs fore video, qvia tu, non contentus inani verborum ſonitu, qvo delectantur multi, prudentiam ſimul ex Jure Civili, rerumq; maximarum ſcientiam ex Philoſophiæ fontibus hauriendam judicas. Qvibus

causis adductus egregius ille vir, omni præditus ingenii suavitate, Castilioneus Cardinalis, qvem tu nobis, in tanta similium virorum penuria, ereptum jure doles, ita te ferebat in oculis, ut nemini concederet, qvi tui amantior esse posset. Sed illum jam lugere desinamus. Qvid enim lacrymæ proficiunt? Aut etiam (si veritatem consulimus, qvod facere debemus) qvi ab iis malis, qvibus referta est hominum vita, hac præsertim ætate, ad æternas beatissimorum sedes migraverit, cur eum lugendum putemus? Hæc igitur, qvæ præter nostram voluntatem accidunt, ad summi DEI voluntatem referamus. Ita fiet, ut ea vel modicè doleamus, vel ne dolenda qvidem existimemus. Vale. Romæ, VIII. Id. Maji, M. D. LXIX.

PAULO TACHONO, VIBONEM.

EPIST. XX.

Respond. ad Conciliatoriam Tachoni, & se delectatum scribit cum literis, tum laudibus ab ipso profectis. Deinde conjecturam suam de Ciceronis loco ab ipso sibi proposito exponit.

Form. Grata mihi fuerunt literæ tuæ. Ibi: Delectatus sum. (A)

Form. Laudem non agnoscere. Ibi: Judicio autem me tuo. (B)

DElectatus sum (A literis tuis, non qvia me ornant laudibus, sed qvia benevolentiam erga me

me tuam declarant. Amari enim ab eo viro, de qvo bona omnia boni omnes prædicant, & optabile inprimis est, & multorum divitiis, atqve opibus anteponendum. Qvare hôc ego nomine mihi gratulor. Judicio autem de me tuo, (B) etsi vix fieri posse arbitror, ùt respondere possit industria mea; tamen, sive rectè sentis, gaudeo; sive erras, errorqvoqve tuus, ut verè dicam, mihi perjucundus est. Locus Ciceronis, de qvo meam sententiam exqviris, totus. ut arbitror, à conjectura pendet. Itaqve, destitutus historiæ testimoniô, affirmare nihil ausim. Qvod si tu, ubi obscura veritas est, verisimilia non contemnis: fortasse non improbabis, qvod scripsi in meis commentariis, dixisse Ciceronem, Abutor coronis; qvia cùm olitorem calefieri vellet, qvi sibi interdum coronarum munuscula miserat, abuti coronis, id est, malam ei gratiam referre videbatur. Hæc, ùt dixi, è conjectura. Tu, si qvid habes certius, imperti: & Vale. Romæ, XV. Kal. April. M.D.LXIX.

JO. BAPTISTÆ JANUARIO, VIBONEM.

EPIST. XXI.

1. Excusat se de literarum raritate & brevitate, qvod valetudine infirmâ utens, & negotiis obrutus, neqveat ad omnium literas respondere; exceptis duobus generibus hominum: primò eorum, qvi scribunt de rebus, qvæ ipsorum interfunt: secundò illorum, qvi eleganter & ornatè scribunt; in qvo genere Januarium constituit. 2. Laudat illum, qvòd cum indagatione rerum naturalium ele-

gantiam Latinæ L. conjungat. 3. Laudes in se collatas regerit, nec illarum se amplius cupidum ostendit. 4. Versus ejus laudat, sed se posse paria paribus negat, quòd Musis salute dictâ ad Oratores se contulerit.

Form. Excusandi literarum raritatem. Ibi: Nec mea valetudo. (A)

Form. Rogo ut me ames. Ibi : Amore qvidem tuo. (B)

Form. pollicendi mutuum amorem. Ibi: Ego non modò ut. (C)

NEc mea valetudo, (A) gravi jam qvatuor ferè mensium afflicta morbo, permittit, ut multa, nec humanitas, ut nihil omnino literis tuis amantissimè scriptis respondeam. Qvanqvam, si qvis est, cui liceat hoc officium sine culpa prætermittere, aut is ego sum, aut prorsus nemo. Obruor enim epistolarum numero, qvæ qvotidiè mihi ab ignotis hominibus, ex longinqvis regionibus, non necessariò plerumqve mittuntur argumento. Ego autem neqve hôc inanium, & ambitiosarum literarum genere naturâ delector: &, si velim id suscipere, ut unus omnibus respondeam, qvid me laboriosius, aut etiam qvid stultius esse possit? Cum præsertim valetudine utar infirmâ, negotiis autem curisqve urgear ejusmodi, qvæ vel firmissimam defatigare ac frangere omninò possint. Ergo habenda mihi ratio est, qvæ non habetur ab aliis, cùm occupationis meæ, tum etiam salutis. Qvod si hominibus mei amantissimis in mentem veniret, æqvis animis meam causam perpenderent: non otium

meum

meum ex otio suo metirentur: ita ad me scriberent, ut rescribendi necessitudinem non imponerent. Duo genera excipio, vel qui scribunt iis de rebus, quæ ipsorum vehementer interfint: quibus deesse, contra officium est: vel si qui sunt, qui, quacunque de re scribant, ita disertè loquuntur, ita ornatè, ut eorum virtus, & eloquentia, non modò quæ possum, sed ea quoque quæ non possum, postulare à me suo quodam jure, atque exigere videatur. Hoc te in genere, Januari doctissime, constituto. Tu enim, quanquam ad ea indaganda, & perscrutanda, quibus inventis, rerum obscurissimarum vis & natura patet, assiduè totus incumbas; & in hoc studio ita verseris, ut omnino cum paucis excellas: tamen, quasi hac una laude non contentus, ita colis, itaque tenes Latinam lingvam, ut oratione tua nihil purius, elegantius, illustrius esse videatur. Quod si cuperem laudari, de quo laborant multi, ego quotidiè minùs minusque curo: à nullo, mihi crede, mallem, quàm à te. Sed, cùm hanc in me cupiditatem sive ætas, sive valetudo, sive ratio exstinxerit: ita non moveor iis laudibus, quas tu amplissimas in me contulisti, quasi nihil ad me pertineant, aut quasi sensu prorsus omni caream: amore quidem tuo, (B) unde laudes istæ manant, (sic enim interpretor) mirabiliter delector: eumque ut eadem, quæ peperit, perpetuò alat, aque augeat humanitas tua, vehementer opto. Ego enim, non modò ut (C) parentis benevolentiam præstem, verùm etiam ne genus ullum observantiæ, studii, officii, quod ad te ornandum attineat, prætermittam,

tam, pro virili mea parte operam dabo. De versibus, jocari te facilè patior, & in ludicro argumento ingenii præstantiam ostendere. Sed noli à me exspectare, ut paria paribus. Te enim, ut alumnum suum, perpetuumqve cultorem amplexantur Musæ: me, qvi, salute jam pridem illis dictâ, ad Oratores me contuli, nunc, si qvando ad eas conor accedere, ùt alienum, ac transfugam, à se repellunt. Vale Romæ. Ibid. Aug. M. D. LXX.

ANTONIO FURNARIO, NEAPOLIM.

EPIST. XXII.

Significat Furnario, se senem & valere, & jucundè vivere, eamqve senectuti gratiam habere, ut pauca jam reqvirat, qvippe cum non longè absit à portu, ad qvem adspirat.

ET valemus, & satis jucundè vivimus, re domesticâ ita jam constitutâ, ut adolescenti filio, qvem unicum habemus, cogitandum de virtute potiùs, qvàm de fortuna videatur. Nam, qvod ad me attinet, hanc habeo senectuti gratiam, ut pauca jam reqviram: vel, qvòd ad illa longè meliora properamus: non enim longè abesse videtur ille portus, qvò pervehi cupimus ex diuturna tempestate: vel qvòd stultum putamus, ea qværere cum labore, qvæ nec si adipiscare, molestiæ finis est. Qvod te qvoqve, excultum literis hominem, sentire arbitror: & hôc eqvidem nomine cùm te diligo vehementiùs, tum diligi à te cupio. Memoria nostri

stri tua, muneribus declarata suavissimis, perjucunda nobis est. Vale. Romæ, XIV. Kal. Febr. M. D. LXX.

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. XXIII.

Primò significat, literas Furnarii sibi fuisse gratas, qvòd inde possit cognoscere, cùm variis negotiis occupatus scribat. 2, Scripta sua ab ipso probari & laudari gaudet, eoqve nomine ipsi gratius agit. 3. Langvere si scribit in cupiditate earum rerum, qvas antea mirabatur, cùm morti sit vicinus. 4. Gratias agit de munusculo annuô.

Form. Gratæ mihi fuerunt literæ tuæ. Ibi: Qvæ solet. (A)

Form. Gratias agendi. Ibi: Tibi vero gratias agerem: si te putarem. (B)

Form. Rogo ut sæpè scribas. Ibi: Ne scribere tamen desinas. (C)

QVæ solet (A) ex carissimis, jucundissimisqve rebus percipi voluptas, eam ipsam ex epistola tua cepisse me, prorsus velim tibi persuadeas. Hoc adeo inde perspicies, qvòd, in magna valetudinis adversæ molestiâ, defatigato etiam curis animô, committendum tamen non putavi, ut amicitiæ nostræ, & humanitati erga me tuæ debitum rescribendi officium non persolverem. Probari à te mea scripta, atqve etiam laudibus ornari, sive tu id judicio tribuas, sive amori largiaris, æqvè gaudeo. Nam si è studiis meis fructum aliqvem exspecto: qvis uberior aut præstantior laudatione doctissimi viri? Sin literis ita utor, ut præter ea ipsas nihil cogitem;

qvod

qvod his temporibus facere propè neceſſe: amari tamen à te, qvem qvi non amat, hominem vix puto, inprimis optabile eſt. Ac de iſto qvidem tam illuſtri aut opinionis, aut voluntatis teſtimonio mihi vehementer, ùt debeo, gratulor: tibi verò gratias agerem, ſi te putarem (B) hoc officii genere delectari: qvod certè tua bonitas reſpuit; aut ſi ego is eſſem, qvi officiô devinctus aliqvo, libentiùs in agendis, qvàm in referendis gratiis operam collocarem. De tuo ſtatu, ſi eſt, ùt volumus, & ſi nihil anno ſuperiore accidit incommodè; bene eſt: de meo, qvem viciſſim tibi pro mutuo inter nos animo curæ eſſe non ignoro, ſatis multa me ſcripſiſſe exiſtimabo, ſi hoc unum ſcripſero, langvere me qvotidie magis in earum rerum cupiditate, qvas mirabar antea. Ætas hoc fortaſſe faſtidium parit: veruntamen ratione potius aſſeqvi mihi videor, ut ita ſentiam. Qvid enim appetam, cùm nec ſciam, qvid utile futurum ſit, nec jam uſura poſſit eſſe diuturna? Appropinqvat enim dies, qvi nos ex immenſa errorum caligine ereptos, in æterna veritatis luce conſtituet. Qvæ me qvidem cogitatio nec ſecundis rebus lætari, nec nimis angi patitur adverſis. Munuſculum, qvod ad me ſingulis annis cum pulcherrima epiſtola mittere non deſinis, penſio qvædam amoris eſt: qva ego te, amore ipſo contentus, ea conditione libero, ne ſcribere tamen deſinas. (C) Æqviore enim animo omnibus muneribus, qvàm ſuavitate tuarum epiſtolarum carere poſſum. Vale. Romæ, 18. Kal. Febr. M.D LXX.

EIDEM.

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. XXIV.

Nunciat Furnario, se Româ in patriam rediisse, & quanquam longiùs jam ab ipso abſit, amicitiam tamen, qua illi conjunctus ſit, ſperat fore perpetuam, quandoquidem ab honeſto manet; cùm ea, quæ aliunde oritur, ſit infirma & inconſtans

Form. Nunciandi. Non patiar te ignorate. (A)

NOn patiar ignorare (A) te, qvod gratum, & perjucundum tibi fore arbitror, vivere me nunc in patria, & planè vivere. Fruor enim rebus iis, ſine qvibus vita prorſus nulla eſt, propinqvis, amicis, liberis, ipſa demum libertate, qvâ nihil eſt carius. Nam Romæ, tantum aberat, ut otioſo liceret unqvam eſſe, ut negotiorum aſſiduis qvaſi fluctibus obruerer. Longiùs à te abſum: qvid refert? Ne Romæ qvidem cùm eſſem, fore ſperavi, ut unqvam te viderem: cùm ætas utriusqve, valetudo, vitæ genus peregrinari nos non ſineret. Habet autem hoc amor à virtute ortus, ut abſentes conjungantur animis, & ſit inter eos, recordatione mutuæ voluntatis, & benevolentiæ, tanta ſvavitas, qvantam vix, aut ne vix qvidem ulla poteſt afferre conſuetudo. At pleriqve homines qvotidianâ ferè ſalutatione, collocutione, familiaritate, beneficiis etiam, atqve muneribus, ali, & conſervari amicitiam, putant; niſi hæc adſint, deficere, & exſtingvi. Stultè. Nam, ſi ab honeſto manat amicitia, nullâ re indiget, ipſa ſe ſuâ ſpontè, ſuisqve viribus, tuetur, ac ſuſtinet: ſin aliundè oritur, infirma ſemper, inops, incon-

inconstansqve sit, necesse est; à fortunæ varietate pendeat; multis vitiis, & mutationibus laboret. Ergo nos à vulgo rectè dissentimus, & à vulgi consuetudine nostra ratio in primis abhorret: cùm amemus inter nos amore singulari, nec tamen inter nos officia multa interceserint, aut alter alterum de facie norit: qvod multò minùs, ob longinqvitatem locorum, in posterum continget: & voluntatis tamen aut ego tuæ mutationem, aut tu meæ, non est, cur extimescas. Cupio te valere, & interdum, si vacabis, ad me scribere. Ego commodius, qvàm Romæ, valeo: qvid mirum? qvi tranqvillissimo animo vivam, & valetudinem, ab omni occupatione longè remotus, præcipuè curem. Desiderare autem literas à te meas non patiar, si placere tibi sensero officium meum. Vale. Ex oppido Plebe Sacci: qvo me sæpè conferam, valetudinis, animiqve gratiâ: addo illud, ne studia colenti, qvibus carui diutius, qvàm vellem, interpellatores molesti sint. III. Non. Novemb. M. D. LXX.

EPI-

EPISTOLARUM PAULI MANUTII Lib. X.

AMPLISSIMO CARDINALI JOANNI MORONO.

EPIST. I.

Pollicitus fuerat Moronus Manutio, se cum Pontifice Max. acturum, ut pensio annua ipsi persolvatur. Cùm verò intellexerit, ipsum de hoc negotio in conventu quorundam Cardinal. acturum, queritur, sed valde modestè, de hac consilii mutatione. Cùm verò sciat, ipsum nihil sine ratione acturum, rogat ipsum, cujus fidei & clientelæ se totum commiserit, ut negotium hoc perficiat, & se ex periculo liberet, quo ante autumnum Venetias proficisci possit.

Form. commendandi se alteri, & ejus judicio aliquid permittendi. Ibi: Interea me tibi totum. (A)

TUrpe est scribere sapienti, qvid agat, & qvomodo agat: neqve ego id unqvam commiserim: neqve id est aut consuetudinis, aut naturæ meæ: veruntamen excusandus fortasse videar, si vel à mea maxima re, qvæ nunc agitur, vel ab humanitate tua, qvam omnes norunt, & prædicant, persuaderi me patiar, ut agam paulò liberiùs, qvod sentio; &, qvæ animo meo sum meditatus, eadem nunc expro-

mam, nihil dissimulans, nullo veritatem artificio tegens. Ego, vir præstantissime, qvoad putavi, te, uti pollicitus eras, acturum esse cum Pont. de causa mea, lætabar vehementer, & in hac adversa valetudine, qvæ mihi omnem abstulisse jucunditatem videbatur, aliqvâ tamen voluptate perfruebar. Sperabam enim fore, ut auctoritas tua, prudentia, eloqventia, præsertim in optima causa, facilè impetraret ab æqvissimo ac benignissimo Principe non immoderatum aliqvid, aut ejusmodi, qvod invidiam excitare posset: non enim ego ita efferri cupiditate soleo; qvid igitur? Annuam tantùm ordinarii stipendii solutionem; ut, qvemadmodum Pius Qvartus Pontifex, immortali memoriâ dignus, venientem ad Urbem insigni viatico donaverat; sic Pius Qvinctus, omni virtute ac laude præstans, ab Urbe discedentem non modo simili, sed majore etiam munere prosequeretur. In qvo ratio videbatur habenda ætatis meæ, habenda valetudinis, habenda etiam meritorum meorum. Qvanqvam de meritis, ita me DEUS amet, loqvor non libenter: adversatur enim modestia mea: sed hoc verbum expressit ab invito dolor, & eorum temporum memoria, cùm in meum nomen invehebantur multi, aliena conferentes in me, mea mihi detrahentes. Hoc igitur alloqvendi Pontificis, & cum eo statuendi, consiliô tuô, qvasi rebus meis nulla jam tempestas immineret, & qvasi jam in portu navigarem, ita lætabar. Postea verò qvàm de Mariano Victorio, summæ probitatis, raræ doctrinæ, excellentis industriæ viro, cognovi, acturum te esse de

de negotio meo in eo conventu, qvi primus habebitur eorum Cardinalium, qvibus alendorum in Urbe studiorum, moderandiqve Gymnasii publicè demandata cura est: planè sum admiratus mutationem consilii: &, ut ingenuè fatear, qvemadmodum natura mea fert, nec bonitas tua recusat, ex alta qvadam spe turbatus concidit, afflictusqve jacet animus meus. Eqvidem iis Cardinalibus tantum tribuo, qvantum eorum summa virtus, ac dignitas postulat: æqvè omnes diligo, æqvè colo: sed ad eos certè nullam arbitror negotii mei partem attinere. A Pontifice sum Romam accersitus: à Pontifice discedendi facultatem peto. Si potestas qværitur: unius est summa. Si liberalitas: unus unico verbo pollicetur, & præstat. Si dignitas: qvæ major est, qvàm à Pontifice vocatum esse, à Pontifice cum benignitate dimitti? Hæc mea consilia sunt: qvibus tamen, ut debeo, anteponam tua. Satis enim exploratum habeo, nihil te cogitasse sine summa ratione, nihil acturum sine summa prudentia. Et mihi, parum in usu rerum versato, obscura multa sunt: tu tanqvam lynceus vides omnia, probatus per totam ætatem iis actionibus, & curis, unde salus publica minimè dubio bonorum omnium testimonio manavit. Ego me semel, non temerè, aut repentina qvadam voluntate impulsus, sed explorata ratione, certoqve judicio adductus, in clientelam tuam tradidi: me liberosqve meos tuæ potissimùm fidei, benevolentiæqve commisi. Eadem mihi perpetuo mens, eadem, qvoad vivam, in te uno sita spes erit. Tu me ornandum,

augendum, tuendum suscepisti: sæpè vidi pro varietate rerum mearum, & lætitiam, & solicitudinem tuam: nunc tanqvam bonus artifex tuum ut perpolias opus ac perficias oportet. Expedi, obsecro, me hac molestiâ: vel potius, hoc mè periculo liberâ. Vides enim, cum Romano cœlo minimè jam convenire mihi posse, adductam esse in extremum ferè discrimen salutem meam: autumnum adventare, cujus varietatem, & inconstantiam, hîc si permansero, mea certè neqvaqvam feret imbecillitas Venetias multis nominibus cogito. Idqve mihi primum est præter cetera optandum: sed si vel per Pontificem, qvod non opinor, vel per qvotidianam febrem, qvod magis metuo, patriam, longo terrarum ac maris intervallo disjunctam petere non licebit: deponam voluntatem meam, suscipiam eam, qvam necessitas afferet. Accedam ad Sabinos colles: qvos florere audio regionis amœnitate, cœli temperie, omnium rerum, qvas hominum victus, cultusqve desiderat, ubertate. Interea me tibi totum, (A) salutemqve meam, qvàm suppliciter possum, commendans, ac tradens, negotii administrandi rationem singulari tuæ sapientiæ permitto. Vale. V. Kalend. Septemb. M.D.LXX.

AMPLISSIMO CARDINALI GUILIELMO SIRLETTO.

EPIST. II.

Agit Sirletto gratias pro contentione de impetrando à Pontif. viatico, qvamvis nihil sit profectum propter tempo-

temporum difficultatem: Et qvanqvam dolet, sibi suis sumptibus in patriam redeundum esse: tamen otium nactus, se reliqvum vitæ tempus sibi, bonis artibus & Deo victurum scribit.

AUgeri tua vetera erga me merita recentibus officiis, nec miror, & vehementer gaudeo. Qvanqvam veteribus contentus esse poteram: erant enim ejusmodi, ut addi nihil posse videretur: sed tamen, ut video, tua nunc qvidem ad ea permultum addidit humanitas. Et qvanqvam neqve tua neqve collegarum tuorum, Moroni, & Cornelii, de viatico mihi impetrando summa contentio qvidqvam profecerit; æqvè tamen vobis omnibus, debeo, ac si profecissem plurimùm. Est enim animi liberaliter instituti, spectare voluntatem in primis; minimè qvidem rem contemnere, potiorem tamen ipsa re voluntatem ducere. Sanè optimi Pontificis anguſtias temporum difficultas excusat: verùntamen ingravescenti hominem ætate, non solùm infirmâ, sed etiam ægra valetudine, imparatum à re domestica, cum filia nubili, ab urbe Roma, cujus nomen omnia pollicetur, post decem annorum labores, suis sumptibus in patriam redire, iis fortasse, qvi hæc solent animadvertere, admirationem aliqvam pariet. Et, qvanqvam ea, qvæ bonis artibus debentur, ratio temporum impediat, ut etiam liberalissimorum Principum voluntas in optimo benè merendi cursu retardetur; me tamen à literis nulla res abducet, si modò assequi otium licebit. Satis cum vulgo insanivimus: ambigua certis, turbulenta tranqvillis, inania solidis præferentes.

Ætas, & præteriti jactura temporis admonet, ut resipiscamus, qvodqve reliqvum est vitæ, vivamus nobis ipsis, bonis artibus, Deo potissimum; à qvo uno, si qvid aut ingenii, aut doctrinæ in nobis est, cùm acceperimus: ad ejusdem unius gloriam omnes ingenii, doctrinæqve fructus referre inprimis æqvum est. Vale, & tibi persuade, neminem esse, vel unqvam fore, qvi tuam præstantem virtutem aut magis amet, aut libentius prædicet. Cardinalem Caraffam, juvenem natum ad immortalem gloriam, exemplum antiqvæ probitatis, cujus humanitati, qva me semper est complexus, debere me plurimum fateor, nisi grave est, meo nomine salutabis. VII. Kalend. Octobr. M. D. LXX.

EIDEM, ROMAM.

EPIST. III.

Narrat Sirletto, qvibus rebus molestias itineris solatus sit. 2. Qvomodo in curanda valetudine laboret, & qvanto desiderio studiorum teneatur. 3. Ipsius virtutem se imitaturum, & amorem conservaturum promittit.

Form. promittendi suum amorem. Ibi: Cupio conservari. (A)

QVidqvid tuli, dum in patriam revertor, suave est: tuli autem aspera, gravia, difficilia, sanè qvàm multa; & eò magis, qvòd asperitates omnes ægra valetudo, & corporis imbecillitas, vehementer augebat. Qvæ dum ferrem, hæc mecum loqvebatur animus: Sustine, præteritorum memoriâ, futurorum spe; & cogita, qvas turbas reliqveris,

ris, qvibus laboribus emerseris, qvam tranqvillitatem, qvam qvietem, petas. In patriam tendis, refertam bonis omnibus. Ibi te complexu excipiet dulcissima conjux, langventem fovebit, infirmum reficiet, afflictum sublevabit: nullum obseqvii studiiqve munus abesse patietur. Erat hæc duris in rebus optima consolatio. Itaqve lætus nonnunqvam eram, in dolore, ac molestia comitum meorum. Nunc assecutus ea, qvæ speravi, in unam curam incumbo, ut perditam valetudinem restituam. Diuturnitate morbi, & inediâ, corpus jam, & vires amiseram. Accessére itineris incommoda, qvibus ita consumptus humor omnis est, ut nimiâ siccitate vitæ periculum impendeat. In revocanda potissimum τῆς κοιλίας εὐλυσία medici laborant; qvam si asseqvor, convaluisse mihi prorsus videbor. Dici non potest, qvo desiderio teneor studiorum nostrorum. Qvasi cervus ad fontem, si per valetudinem licebit, sitibundus accurram. Tua mihi consuetudo, tua virtus ante oculos erit: qvam imitari non desinam; & eô qvidem animô, ut in ipsâ imitatione magnam felicitatis meæ partem statuam. Assequi enim, qvod optimum, atqve perfectissimum, non cuivis contingit: velle tamen, & conari, non mediocri dignum laude ducitur. Cupio conservari (A) veterem amorem in me tuum, meritis qvidem à me nullis, perpetuâ tamen cultum observantiâ, qvam eandem semper, aut etiam, si modò ad eam accedere qvidqvam potest, qvod ego non arbitror, majorem fore tibi confirmo. Vale.

MATTHÆO SENAREGÆ, GENUAM.

EPIST. IV.

Queritur de propinqui illius tarditate in itinere. 2. Hortatur ipsum, ut Simiolum fictis verbis utentem, à lictore publico, ad judicium vocandum curet, ut tandem aliquando evomat, quod debet.

Form. Gratias agendi. Ibi: Quod si acciderit. (A)

JAm prorsus de velluto spem abjeceram, (utar enim noto verbo: nam veteres aliter loquebantur) nisi tu, rursus ut eam susciperem, tuis proximis literis effecisses. Exspectabo igitur, & quidem brevi, (sic enim vis) adventum propinqui tui, quem, arbitor, in itinere Philosophos ambulantes imitari. Nam tribus mensibus non modò Genua, sed ab ultima Lusitania facilè ad urbem pervenire potuit. Verùm ego fortasse calumnior: & illi moram, homini industrio, & agenti strenuè suam rem, negotia diuturniorem, quàm opinabatur, Florentiæ, vel Senis injecerunt, sic enim existimo: reliqua ferè per jocum. Simiolus, ut video, tibi quoque molestus est. Duci enim te vides fictis verbis: nihil cohortatione, nihil admonitione proficis: quidquid dicat, inane esse. Itaque molestiâ te afficit, necesse est, vel meâ causâ, vel quia rei te movet indignitas. Ac vereor, ne semper eodem locô simus, nisi tu des operam, ut ei per aliquem tuorum judicium intentetur, & à lictore publico vocatus

ad

adjudicem, seriò rem agi sentiat. Artes hominis prædixi. Qvò turpius est falli, & sinere eum diutius tibi verbâ dare. Qvare, si me amas, qvacunqve viâ potes, urge, & contende omnibus nervis: qvanqvam hæc qvidem res tuis nervis digna non videtur: sed contende tamen meâ causâ, ut evomat aliqvando qvidqvid debet. Qvod si acciderit, (A) atqve adeò cùm acciderit: cur enim dubitem, qvin diligentia tua fructum pariat? non dicam, tibi agam gratias: non enim pateris: sed, tibi acceptum referam, ut alia multa. Qvæ si oblivisçar, hominem me esse non putem. Vale, vale, itqve rum, mi suavissime Matthæe; tibiqve persuade, me nullâ magis in re, qvàm in tuis literis, in amore, in studiis, officiisqve erga me conqvievscere. Romæ, XIIX. Kalend. Octobr. M.D.LXX.

ANDREÆ ANTONINO, OSTIANUM.

EPIST. V.

Excusat se de silentio, & causam ejus confert in occupationes, in morbum, & iter Româ Venetias susceptum: in qvo itinere se à morbo liberatum qvidem scribit, sed alvo admodum restrictâ esse, qvod malum sperat se medicorum consilio depulsurum.

NIsi me valde amares, qvod multis argumentis intellexi, subiraści te mihi crederem, qvòd literis tuis amantissimè scriptis nihil unqvam responderim. Sed, si, cur officio defuerim, audias: non dubito, qvin omnime prorsus & in humanitatis, & negligentiæ suspicione liberandum putes. A qvo

enim tempore Româ discessisti, nullô difficultatis incommodiqve genere, nullâ ferè dixerim miseriâ negotia nostra caruerunt. Ex ea solicitudine, ac laboris assiduitate incidi in morbum, cujus primùm vi deterritus, deinde etiam diuturnitate defessus, tentatis propè rebus omnibus, cùm neqve periculi, neqve molestiæ finem viderem, cepi consilium in patriam revertendi; extremoq; Septembri mense, dissuadentibus medicis, & amicis, æger, in viam me dedi. Pisaurum usqve morbus ingravescere visus est; adspectu maris, qvasi jam in oculis diu expetita patria esset, propinqvi boni spe, animus corpori medicinam fecit. Febris abiit, anteqvam Pisauro solveremus: ita Venetias, refecti cibô, paulo firmiores appulimus. Malum illud remanet, ut inveteratis morbis ferè contingit, qvòd alvo sumus ita ficcâ, itaqve restrictâ, nullo prorsus ut cibi genere molliri solviqve possit. Qvod si perpetuum esset, qvid miserius? Sed, ne perpetuum sit, curabimus, & cavebimus, qvibuscunqve rebus poterit; his primùm, qvæ sunt in nobis ipsis, qviete corporis, hilaritate animi, ratione victus: tum iis etiam, qvæ à medicorum scientia, consilioqve proficiscentur. Habes id, qvod optasse te arbitror, de statu meo: tu, si placet vicissim aliqvid de tuo. Cùm enim de te, tuisqve rationibus certior fieri pro nostra necessitudine majorem in modum cupio: tum sermone literarum tuarum purissimo, atqve elegantissimo, mirificè delector.

Vale. Venetiis.

FRAN-

FRANCISCO MORANDO, VERONAM.

EPIST. VI.

Exponit causam, cur Româ discesserit: &, se jam quidem à febre liberatum, scribit, sed adhuc morbi reliquias superesse. Deinde, se ad ipsum ex balneis Gauderianis excursurum, significat.

QVæ me causæ, minimè naturâ proclivem ad nova consilia, nunc impulerint, ut negotium illud Romanum, qvod Pius Pontifex Max. decem abhinc annis honorifico qvingentorum scutatorum stipendio mihi demandaverat, rejiciendum putarim, non facilè est scribere: velim qvidem existimes, ejusmodi esse, ut aliter statuere meis rationibus alienissimum fuerit. Illud certè fieri non poterat, ut cùm illo mihi ampliùs cœlo conveniret. Qvod experiri, constantiæ causâ, dum cupio, parum abfuit, qvin ipsius cœli adspectum, usumqve perdiderim. Novum igitur consilium capiendum necessariò fuit, si modò mihi carus esse vellem, si salutis, qvam omnes antiqvissimam habent, rationem ducere; si deniqve vitæ munus, à DEO datum, eò usqve tueri, & custodire, qvoad ille ipse, qvi dedit, arbitratu suo repeteret. Veni domum; hîc verò me summa qvies, & domestica commoda, maximeqve fidelissimæ, atqve amantissimæ conjugis cura tanta, qvanta potest esse maxima, planè recreavit. Febris abiit, nec tamen valemus. Morbi enim reliqviæ supersunt, magis propè timendæ,

qvàm

qvàm morbus ipſe: qvî enim valere poſſum, aut etiam qvid non timeam, cùm attenuatum, exſiccatumqve corpus naturali munere fungi ſuâ ſponte nunqvam poſſit? Qvæ res neqve moleſtiæ parum habet, &, ſi inveteraverit, periculô non vacat. Hoc igitur malum niſi depulero, valere me non dicam. Studia noſtra, remiſſa occupationibus, retenta tamen animô, attingere nondum audeo; ne ſtomacho, unde fluxit omne malum, præpropera cupiditas obſit. Sed heus, mi Morande, qvando te complectar? Qvando adſpectu, ſermoneqve fruar tuo? Tunè ad nos, an ego ad te prior? Ego ſcilicet ad te. Ire enim, cùm per anni tempus licebit, ad Gauderina balnea decretum eſt; qvæ qvater antea ſumſi, nec umqvam ſine fructu: nunc eò ſumam diligentiùs, qvòd majorem ætas, morbiqve gravitas, ac diuturnitas cautionem poſtulat. Inde excurram ad te, ut te videam, te complectar, tecum ſim. De cydonite illa, exqviſito artificio confectâ, qva carui tot annos, interrupto locorum intervallis officii tui curſu, niſi tua ſponte ad conſuetudinem redieris, appellabo te qvaſi meo qvodam jure, ſic tamen, ut ipſum jus è tua fluxiſſe benignitate confitear. Vale, mi ſuaviſſime Morande, nosqve, ut ſolebas, ama. Venetiis.

CAMILLO PALÆOTTO, BONONIAM.

EPIST. VII.

Gratulatur ſibi ipſi, qvod relictâ Româ in patriam redierit; ubi, cùm à propinqvis & amicis ſit ſummâ voluptate exce-

exceptus, Deo gratias agit, qvòd à Pontifice missionem petierit & impetrârit, licet sine viatico fuerit dimissus: Valetudinem se brevi recuperaturum sperat.

PUtastine unqvam fore, ut ego me Romanarum occupationum è vinculis eximerem? certè factum vides. Nec mihi venit in mentem ejus consilii pœnitere: qvin qvotidiè magis gratulor, qvòd illa reliqverim, hæc sim adeptus; qvòd ab omni curâ liber otio fruar honestissimo; qvòd ea nunc deniqve studia recolere mihi liceat, à qvibus disjunctus tot annos vixi, vel potiùs planè non vixi: qvæ enim mihi potest esse vita sine literis? Valeat ambitio, fucatus opum splendor; nihil est, qvod cum suavissima librorum consuetudine conferri jure possit. Qvâ mente cùm essem, commisi tamen, ut aliter sensisse videar, cùm sententiam nunqvam mutaverim; nam ad urbem Romam eô qvidem consiliô sum profectus, domesticis ut rationibus consulerem, simul tamen id spectans, ne delitias meas, optimarum studia doctrinarum, prorsus deserem. Aliter cecidit. Qvis me accusèt in constantiæ? Vicit meam voluntatem potestas eorum, qvibus, ut æqvum est, non minùs libenter, qvàm necessariò, parui. Sed mitto præterita. Qvasi enim, ea dum attingo, vulneris obductam propè cicatricem renovo. Hîc me propinqvi, familiares, noti pariter atqve ignoti, redeuntem excepêre voluptate summa. Urbem privatis ædificiis elegantiorem, & publicis operibus magnificentiorem, qvàm reliqveram, inveni, præterea, qvanqvam ardente bello

bellô, florentem, ùt in ſumma pace, rebus omnibus, qvæ vel ad uſum corporis, vel ad animi delectationem pertinent. Qvô dolere interdum, ac penè mihi ſuccenſère cogor, qvi tot bonis, tanta tranqvillitate, tanto etiam nobilium virorum erga me amore tam diu me carere ſim paſſus. Lucri tamen id factũ eſt, qvòd, niſi hinc diſceſſiſſem, diuq; abfuiſſem, hæc ipſa profectô, qvibus nunc ex intervallo recuperatis jucundiſſimè fruor, nunqvam omnino, qvanti eſſent, intelligere potuiſſem. Itaqve eſt, cur immortali DEO gratias agam, habeamqve maximas, qvòd mihi occaſione graviſſimi morbi, miſſionis à Pontifice petendæ, ipſi Pontifici concedendæ mentem attulerit. Alioqvi nec ſatis decorum putaſſem, nec unqvam omnino comiſiſſem, ut ante pactam diem negotium publicum, Urbemqve relinqverem. In diſceſſu commoda qvædam ſperabantur; nec defuit intercedentium dignitas, auctoritas, gratia: ratio temporum eſt adverſata, Pontifice naturâ liberaliſſimo, Turcicum bellum, & præſentis futuriqve ſumptus neceſſitatem excuſante. Mirum id videri nonnullis, ego, qvi propemodum id, qvod accidit, opinone jam præceperam, non ſum commotus, ipſoqve miſſionis impetratæ munere contentus, cetera non dixerim eqvidem contemnens, ſed certè non maximi pendens, otii cupidus nihilô lætior diſceſſi. Nunc habeo cum valetudine negotium. Ejus enim morbi, qvo me ſcis, Romæ dum eſſem, nec parum diu, nec leviter laboraſſe, moleſtæ admodum reliqvæ ſunt. Sed, ùt ſpero, ſublatis jam cauſis, qvæ morbum & pepe-

pepererant, & alebant, sedulitate, ac fideli meorum curâ, adjuvante etiam hujus cœli, qvod in lucem editus primùm hausi, benignitate, brevi omnino convalescam. Tu interea fac, ne officium desiderem literarum tuarum. Vale. Venetiis.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. VIII.

Villulâ Palæotti laudatâ, optat, ut sibi cum ipso in eâdem villâ videre liceat, multâ salute dictâ magnis urbibus: in qvibus cum magnæ sint occupationes & miseriæ, mavult in loco ab arbitris remoto, qvod reliqvum est, vitæ, transigere, modò id per domesticas difficultates sibi liceat.

NÆ ego istam villulam vehementer amo, qvæ te fessum urbanis curis levat, reficitqve secessu, & otio jucundissimo: ubi te colligis, animumqve transfers ad contemplationem pulcherrimarum rerum: qvid agas, qvid cures, lex nulla præscribit: scribis, aut legis, arbitratu tuo: modò aprica deambulatione, modò prospectu collium, qvandoq; aperto puroqve cœlo gaudes. Nimirum hoc est vivere; & ista solitudine, isto vitæ genere, nihil beatius. Cur ego tam longè absum? Cur negotiis impedior iis, à qvibus qvò magis ut disjungar, divellarqve operam do, eò me distringunt, retinentqve magis? Mihi crede, si rerum domesticarum soluta ratio esset, advolarem ad te statim, in ipsam inqvam villulam rectà me conferrem, ut tua consuetudine, tuis sermonibus, tuo convictu fruerer: te deniqve discedente, custos remanerem, pomarii

præ-

præfectus, villicus planè tuus. Qvod si accideret, ut istic exsulare perpetuò cogerer, modò te interdum sociò, modò cum libellis, præclarè mecum actum putarem: multam salutem urbibus, multam honoribus, in qvibus ceteri insaniunt, libenter dicerem. Qvid enim exspectem amplius? Didici jam, & magna mercede sum expertus, qvàm inania sint illa, qvæ, communi deceptus errore, præclara duxeram. Magnæ urbes magnas occupationes, ne dicam miserias, habent. Si qvem delectat ambitio: si qvis augendæ rei familiaris curâ tangitur: si sententiam in curia dicere, aut à multis in foro salutari, inter summa ponit: urbem amet: me qvidem posthac æmulum, rivalemqve non habebit unqvam. Ætas nostra, mi Camille, ad otium vergit. Vides, qvàm fluxa sint omnia: qvàm facilè hunc & illum, florentes opibus, florentes ætate, repentina mors auferat: ut hoc ipsum, qvod spatii nobis relinqvitur, totum in lucro deputandum esse videatur. Ac fieri qvidem potest, ut diu vivamus: sed, obsecro, qvid erit, cur nos diu vixisse lætemur, inter domesticas curas, inter hominum fraudes, infidelitates, insidias, addo etiam publicas calamitates, qvibus anguntur boni viri, qvales nos & esse, & haberi volumus? Amplectamur igitur studia nostra: remota ab arbitris loca, amœna, salubria, qværamus: vulgi stultitias ineptiasqve vitemus, animos excolamus, ut eas fruges ferant, qvas nec cœli calamitas corrumpat, nec malus vicinus furto subtrahat, nec belli sævientis impetus devastet. In hac sententia te esse, & idem probari utri-

utriqve noſtrûm, literæ tuæ, non minùs eleganter, qvàm prudenter, ſcriptæ ſignificant. Sed impeditæ, propter domeſticas difficultates, mea ratio eſt: tua longè facilior, & expeditior. Nihil enim obſtat, qvò minùs id, qvod jus, exſeqvi, & præſtare poſſis; ego voluntate, & cogitatione paſcor: ab ipſa re qvam longè abſim, intelligo. Nec tamen parum profeci: qvod ab Urbe Roma diſceſſi. Ibi enim ne ſpes qvidem erat otii, hîc ſæpe vaco; nec tempus perire ſino; ſed, qvòd otii perpetuitate careo, identidem interpellantibus, aut hominibus, aut negotiis: & qvòd anguſta nimis utor domeſtica re; ideò fit, ut conari, & inſtituere multa poſſim, abſolvere & perficere, præſertim qvod exſpectationi reſpondeat, nihil ferè poſſim. Habenda eſt etiam ratio valetudinis: qvam vereor, ne in longum tempus afflixerit Romanum cœlum, dicam, an negotium? An utrumqve potius? Qvod ita eſſe reor. Sed, ſi valebo, ſi rem familiarem ita conſtituam, ut abſentis animum nihil pungat; imitabor, qvantum in me erit, conſuetudinem tuam, expertemqve culpæ voluptatem qværam. Et, qvod te qvoqve facturum eſſe, vel potiùs jam facere cœpiſſe video, in literis, in colenda pietate, in ſummi Dei, ſummiqve boni amore, & cupiditate conqviescam. Vale. Venetiis. Ibid. Decembr. M. D. LXX.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. IX.

Laudat Palæotti vitam ruſticam, & ad porrò colen-

dam ipsum hortatur: optatq́, ut sibi qvoqve eâdem voluptate frui liceat.

NIhil gratius oleis, vel earum magnitudine, vel condimenti suavitate, vel ipso amore tuo, qvi te, ut mitteres, admonuit. Hispanis honorem tribuunt nobilium mensæ, qvi magnitudine ceteris antecellunt: mihi nescio qvomodo subinsulsæ videntur; tuæ nec magnitudinem desiderant, & carnis habent multum, & præstanti sapore commendantur. Qvare non ὀιχέσω, sed præclarè collocatur industria tua in oleario colendo, in qvo multa conseqveris. Tibi, post urbanas curas, voluptatem qværis; domesticam rem juvas: qvanqvam te qvidem hoc arbitror in minimis ponere: amicos muneribus afficis: in qvibus me non postremum locum obtinere, ita lætor, ut hac una sæpe cogitatione in magnis molestiis non mediocre solatium invenerim. Fruere, mi Camille, ista voluptate, qva nihil honestius: isto industriæ genere, qvo nec liberalius, nec nobilius qvidqvam esse potest. Scis enim qvid de sapientissimis viris proditum memoriæ sit: agrestem eos vitam, expertem deliciarum, ab omni luxu, atqve ab illa bonorum morum corruptrice copiâ remotam, victu cultuqve simplici contentam, urbanæ prætulisse; agrô benè culto, & ipsâ largo sinu suas opes effundente naturâ, nihil vidisse libentiùs. Qvid magni Reges? Nonne suâ manu satas pulcherrimas arbores, apto ad speciem ordine, jucundaqve descriptione dispositas, exterarum nationum legatis gloriæ causâ ostentabant? Hos qvi studeant imitari, qvis eos jure reprehendat? Uti-

Utinam fundus meus abesset propiùs, aut eâ saltem regione esset, ubi cœli gravitas minimè timenda videretur. Mihi crede, olearia ego qvoqve instituerem, rusticis me oblectarem operibus, valetudini simul animoqve consulerem. Qvod aliqvâ tamen ut ratione conseqvar, qvocunqve locô, qvacunqve regione operam dabo. Nam hîc diu commorandi ipsem auferunt multa, sed maximè frigoris injuria, & vinorum austeritas: qvæ tenui corpore, imbecillo stomacho, ferre vix possum, vel planè nullo modo possum. Itaqve de migratione cogitandum. Vale. Venetiis. Kalend. Januar. M. D. LXXI.

FRANCISCO CICEREIO, MEDIOLANUM.

EPIST. X.

Provocatur à Cicereio ad colendam cum ipso amicitiam, excusat primò tarditatem in respondendo, ejusqve causam confert in valetudinem adversam, & discessum suum ab Urbe Roma. Deinde cùm amicitia ex iisdem studiis & moribus nascatur, (qvod probat exemplo Ferrarii, Capræ & Cruceii.) delatum ad se per literas amoris munus magni se facturum, in eoqve augendo plurimùm laboraturum, ostendit.

Form. Pollicendi amorem mutuum. In qvo tuendo. (A)

QVàm vereor, optime ac doctissime Cicerei, qvia seriùs epistolæ tuæ respondeo, ne qvid suspicere de me duriùs: qvod certè non debes. Qvô enim

nim tempore mihi Romæ reddita est, gravi morbo laborabam: neqve convalui, nisi post multos menses, nec in urbe, sed in patriam reversus. Nam valetudini meæ cœlum illud, qvo usus eram antea, perbenigno, adversari, & obesse ita cœperat, diutius ut ferre non possem. Itaq; fuit omnino, ut vitæ consulerem, ab urbe discedendum. In qvo summi Pontificis clementiam, & facilitatem laudabo nunqvam satis: qvi, de langvore meo certior factus, cùm adhuc muneris mei susceptæqve provinciæ menses non pauci supererent, abeundi tamen potestatem petenti æqvissimo animo concessit. Qvam qvidem ejus benignitatem tanti æstimo, qvanti suam qvisqve vitam & incolumitatem æstimare debet. Vivere enim diu me posse, aut rectè saltem & firmiter unqvam valere, si permanerem ubi cœperam ægrotare, febri præsertim adhuc urgente qvotidiana, planè desperabam. Hæc si tu nosti: non dubito, qvin purgatus tibi satis superqve sim. Id enim æqvitas, & earum artium, qvas magna cum laude profiteris, humanitas postulat. Sin autem de statu meo nihil accepisti: mirari te fortasse nonnihil decuit: malè tamen de me, qvasi officium negligerem, aut inhumanitatis vitio laborarem, qvem scires ab homine omnium officiosissimo, atqve humanissimo, Octaviano Ferrario, diligi, existimare non oportuit. Inter diversa enim studia, dissimilisvé mores, amicitia non oritur; aut, si oritur, non diu certè conservatur. Similem sibi qvisqve ad amandum deligit: in qvo errare se non putat: sed, si errat, judicium judicio meliore corrigit, dissutâ,

non

non discissâ, ùt à sapientibus præcipitur, amicitiâ. At mihi cum Ferrario triginta jam annos, eoq; ampliùs arctissima intercedit necessitudo. Qvo primùm die mihi cognitus est, ingenium, & futuræ doctrinæ principia perspexi; posteà mores in consuetudine probavi: inde ortus est utrinqve amor: qvi ne unqvam deficeret, aleretur potiùs, & ad summum perduceretur, ille suæ virtutis, ego meæ meritis in illum observantiæ, præstitimus. Hoc argumento, tu vide qvid tibi sentiendum de me putes: ego, cùm Ferrario, tali viro, cujus non minùs vita qvàm scientia, bonis omnibus, rectèqve intelligentibus probatur, placere me video, ipse mihi displicere non possum. Nam qvòd unà cum eo Bartholomæum Capram, Hannibalemq; Cruceium in cœlum fers: planè tecum sentio, vel tu mecum potiùs. Multi enim sunt anni, cùm, & hominum proborum, atq; eruditorum celebri sermone commotus, & Ferrarii testimonio: qvo qvid gravius? impulsus, utrumqve cœpi diligere. Capram, jam tum audiebam, præter jus civile, dignamqve nobili viro multarum literarum scientiam, insigni qvadam erga bonos omnes, præsertim liberalium disciplinarum amore flagrantes, liberalitate excellere. Qvæ laus eò pluris in privato cive debet æstimari, qvò minùs hodie in iis, qvi beati propter opes putantur, id est, in Principibus ipsis agnoscitur. Cruceii humanitatem expertus sæpe sum in rebus meis: doctrinam è scriptis ejus non vulgarem, præstantem eloqventiam duxi. Qvis igitur dubitet, (nam te qvidem vix arbitror) qvin ἀξίωμα illud a-

pud me valeat, qvod tu lepidè, vereqve induxisti: si tibi cum iis viris, qvos ego vehementer amo, vehementerqve colo, optimè convenit, seqvi omnino, ut mihi qvoqve tecum optimè conveniat. Sed, mihi crede, his argumentis jam non eget virtus tua: qvam probavit, largita tibi sua jura, civitas omnium nobilissima: probavit, mandato tibi publicè docendi munere, senatus ille, cujus ad sapientiam & justiam, qvasi ad sacram anchoram, rebus adversis, aut dubiis, omnes confugiunt: probarunt deniqve suo testimonio, suaqve commendatione, tres illi viri omni prorsus laude cumulati. Qvæ cùm specto, mecumqve cogito, munus hoc amoris tui relatum ad me per literas, & eas literas, qvibus ùt nihil humanius, ita nihil possit esse ornatius, qvantum sit, intelligo. In qvo tuendo, (A) augendoqve rebus iis, qvæ significationem habere poterunt voluntatis meæ cum tua laude conjunctam, partes meæ non desiderabuntur. Tu velim existimes, qvod tibi nunc libenter promitto, multò facturum esse me opportuno tempore libentiùs. Id si credis; & si utendum tibi statues in omni tua re studiis, officiis, facultatibusqve meis, & eo qvidem animo, tanqvam ea tibi non recentis, aut dubiæ, sed veterrimæ, & multorum annorum usu confirmatæ benevolentiæ jure debeantur: erit hoc alterum humanitatis tuæ non vulgare munus: qvô me tibi devinctum perpetuò fore polliceor. Vale. Ex oppido Plebe Sacci. VII. Id. Nov.

M. D. LXX.

OCTA-

OCTAVIANO FERRARIO, MEDIOLANUM.

EPIST. XI.

Significat Ferrario 1. se relicta Roma in patriam rediisse. 2. De suo & suorum statu illum facit certiorem: imprimis verò rusticationem sibi placere, in eaque se studiis vacare, & opus quoddam aggressum esse narrat, quod absolutum, ipsi probatum iri sperat.

MI Ferrari, si me tantum amas, qvantum profectò amas; gratulari te mihi æqvum est, qvòd exoptatæ diu patriæ compos deniqve factus post annos decem, tenui fortunâ contentus ita vivo, ut Regum opes honoresqve contemnam. Carebam otio, studiis, rebus multis ad meam naturam aptis: qvæ mihi nunc omnia DEI benignitas restituit: iisqve fruor eô suaviùs, qvò fit usus desiderii diuturnitate jucundior. Si qvid præterea non tam de meo, qvàm de meorum statu scire vis, ùt ferè, qvi amant, curiosi sunt omnes, hæc accipe: Uxor, & filius in urbe, commoda uterqve valetudine, illa rem domesticam, hic officinam, emendandorumqve librorum curam administrat egregiè. Mihi, tædiô diutinæ commorationis urbanæ, rusticari vehementer placet. Qvô primùm afflictæ diuturnô morbô valetudini consulimus, & imbecillo corpori vires addimus: deinde, qvasi qvibusdam exsolutus vinculis, liberè vagatur, & voluptate pascitur animus honestissimâ. Nullis hîc angimur curis, nullis implicamur negotiis: licet id, qvod antea nunqvam licuit, prorsus nihil agere, si volu-

mus: &, qvod licet, sæpe volumus. Nam vehi curru, oppida invisere propinqva, amicorum villulas obire, convivari etiam interdum, suaviſſimisqve epulas condire sermonibus, hoc ipsum voco nihil agere. Qvanqvam, qvi valetudine parùm firmâ, operam dat, ut suaviter, jucundè & honestè simul vivat, is profectò nihil agere mihi non videtur. Sed in hoc tamen vitæ genere libros, communes delicias nostras, abjeciſſe me penitus nolim existimes. Nobiscum ubiqve sunt, comites nunqvam molesti, loqventes, silentes, cùm volumus, qvoad volumus: & qvanqvam veteris morbi reliqviæ qvædam supersunt, & vires adhuc languent, qviddam tamen aggredi sum ausus; qvod si, ùt spero, absolvam; & si, ut principia dare se videntur, ita procedet industria, vel à te probabitur; (à te cùm dico, qvi subtiliter, & sincerè judicant, simul omnes intelligo. Tu enim is es, qvem nec opinio fallat, nec voluntas à veritate detorqveat) vel, qvin me putes omnis expertem ingenii, nec de mea nec de cujusqvam omnino facultate statuere, & existimare qvidqvam posse, non recuso. Locus ipse me, vacuus interpellatoribus, & hæc vivendi, arbitratu meô, rerum omnium dulciſſima, optata antea potiùs, qvàm sperata libertas invitavit, ut ordirer id, qvod, nisi sedem hic statuo, aut certè, nisi in hoc seceſſu, & in hac penè solitudine (nam si cum urbe conferatur, qvanqvam celebre satis oppidum, solitudo tamen qvædam videri possit) majorem anni partem consumpsero, vereor, ne serò admodum, fortasse etiam pertexere nunqvam liceat: opus

opus est nec temporis, nec laboris exigui. Tempus hic, ùt video, deesse non potest: Laborem communis utilitatis gratiâ nunqvam adducar, ut fugiam: interim tamen, superiore periculô admonitus, operæ curæqve plus in valetudinem, qvàm in studia conferam. Vale. Ex oppido Plebe Sacci. VI. Id. Nov. M.D.LXX.

HENRICO ET CAMILLO, CAETANIS, FRATRIBUS, Bonifacii Principis filiis, Romam.

EPIST. XII.

Significat fratribus Caëtanis, se in patria jam tranqvillè vivere, studiis suis frui, nec animum Romam revertendi habere, qvantumvis majore stipendio vocetur: sed cum jam senex sit, de vitæ exitu cogitare: simulqve sibi gratulatur de ipsorum in eloqventia profectu: ad qvam colendam modestè illos hortatur.

LÆtari vos arbitror, nobilissimi adolescentes, pro vestra erga me benevolentia, meo in patriam reditu, minimè dubitantes, qvin tranqvillè vivam, vacem iis molestiis, qvibus in Urbe Roma carere vix poteram; fruar iis studiis, cum qvibus voluptatem nullam confero. Nam de fructu, qvem posteritas capere possit ex industria mea, nihil dico. Conatus eqvidem à puero sum, idqve mihi propositum in omni vita fuit, ut omnibus meo labore prodessem: utrum autem, qvod seqvebar, asseqvi licuerit, ad meum judicium non revoco:

viderint ii, qvi nostra legent. Ego mihi temerè nihil arrogo, nec assentor libenter, aut ita gloriolâ ducor, ut falsæ opinionis errore, qvod video multis contingere, oblectari me sinam. Qvòd si nihil aliis prodesse possum: benè tamen mereor de me ipso, dum ea lego, qvibus curæ sedantur, dissipatusqve perturbationibus animus colligitur, & ab admiratione rerum inanium ad veræ solidæqve felicitatis cupiditatem traducitur. Hôc bonô Romæ carebam, qvia carebam literis & otio, molestissimis implicatus occupationibus, qvarum ipsâ nunc recordatione commoveor. Itaqve, cùm opinari & credere nonnullos audio, eo me consilio ab urbe discessisse, ut recuperata valetudine, redirem; ita statuo, vel eos ignorare, qvàm infeliciter mecum actum sit, qvàm diu Romæ vixi; vel in illo qvingentorum scutatorum stipendio tantùm ponere, ut easdem subire molestias cum eodem expediat emolumento. Qvi si naturam moresqve meos tenerent; profectò longè aliter sentirent. Non enim aut stipendium illud, aut ulla me lucri cupiditas Romam perduxit: qvanqvam hæc privatæ sortis homo non contempsi: sed spe sum allectus propè certâ, vitæ cum dignitate traducendæ, fruendi nonnunqvam studiis meis, amicorum consuetudine, voluptatibus etiam homine ingenuo, & liberaliter educato non indignis. Qvàm contrà ceciderit, vos optimè nostis. Nunc, vel si stipendio vocarer multò majore, sic insanirem, ut meam qvietem, divino mihi munere post annos decem restitutam, mea studia, ipsam deniqve valetudinem ullo pre-

tio

tio venderem? Tum verò, si eadem illa contingerent, jure plecterer: nemo excusatione aut veniâ dignum duceret: nemo qverentem audiret: nemo opem ferret imploranti: ad avaritiæ culpam, & immodicam habendi libidinem converterentur omnia. Præstat igitur sapere, id est, qvam alii fortunam admirantur, eam contemnere, paucis acqvievscere, & iisdem contentum esse, qvibus ipsa contenta natura est: qvæ, dum vitæ arceantur incommoda, & alimenta suppetant necessaria, præterea nihil desiderat. Jam ætas, & valetudo hæc admodum infirma, illa qvotidie magis ingravescens, admonent me, cupiditate ne provehar longiùs; vela citò contraham, & impendentes futuræ vitæ procellas extimescam. Itaqve facio non invitus, ut, cum hujus peregrinationis exitus haud longè distet, non tam de via, qvæ minima restat, qvàm de exitu ipso, qvi principum afferet æternæ vitæ, cogitem, atqve elaborem. Hæc ideo collegi, ne qvando vos, aut aliqvis potiùs vestri dissimilis, (nam id qvidem à prudentia vestra exspectandum non videtur) displicere mihi consilium meum suspicari posset, qvod in patriam venerim. Qvod utinam bienniô maturiùs feciſſem. Non incidissem in eum morbum, qvo valetudinem in perpetuum ferè perdidi: studia fortasse mea fructum studiosis aliqvem tulissent. Una tamen ex hoc naufragio tabula me delectat, qvòd opinione fruor amoris in me vestri, qvòd ex disciplina præceptisq; meis maximum vos in ea via, qvæ ad eloqventiam ducit, feciſſe progressum intelligo; qvòd perspecta

cta deniqve indole, voluntate, industria vestra, augurari facilè possum de futura gloria: nec locum habet adhortatio: curritis enim vestrâ sponte, qvò patrui Cardinalis dignitas, & virtus, qvò parentis integritas, & sapientia, qvò avita decora, & majorum nomen immortale vocat. Valete. Venetiis. IX. Kal. Dec. M. D. LXX.

JOANNI CASELIO, AD ARCEM SUCRINIAM.

EPIST. XIII.

Præmissâ excusatione raritatis literarum, respondet ad Caselii literas commendatitias, & primò, ad se commendatos verbis humaniter excepisse, sed re non juvare, significat; cùm operam suam non expetant. Deinde illos à modestia & morum elegantia commendat.

Form. Deferendi alicui studia sua. Ibi: Mihi autem, cave putes. (A)

URbem Romam ante duos menses, difficili diuturnoq; coactus morbo, reliqvi. Meliùs omnino mihi nunc est: nec dum tamen ita valeo, ut intermissa officia repetere audeam. Libros parcè attingo: amicorũ literis, nisi grave sit argumentum, aut breviter admodum, aut prorsus nihil respondeo: negotia reliqva, ut valere ipse possim, valere jussi. Ea re nec scripsi ad te antea, & in posterum, ne qvid oneris mihi imponas, qvod infirma ferre valetudo neqveat, à te peto. Familiares tuos, nobiles adolescentes, Joachimum Bassevitium, & Nicolaum Rascium, verbis perhumaniter accepi: re

non

non juvo; qvia nec ipsi rogant; & mihi, qvid eorum causâ præstare possim, ipsis non rogantibus, in mentem non venit. Modesti sunt homines, & morum elegantiâ præditi: ingeniô, & literis, cùm à te diligantur, tuaqve consuetudine sint usi, non dubito, qvin pro ætate excellant. Ac sapienter qvidem eos facere judico, qvòd apud nos aliqvamdiu sibi vivendum statuant: præclaram enim indolem, materiemqve virtutis haud mediocriter cœlum Italicum adjuvabit. Qvod eô magis lætor, qvia redundabit ad te aliqvid ex eorum summa laude; cum vel alumni fuerint disciplinæ tuæ: vel tuis hortatibus, consiliisqve in Italiam, qvasi ad mercatum bonarum artium, se contulerint. Mihi autem, cave putes, (A) gratius qvidqvam esse posse, aut curari à me libentius, qvàm qvod ad existimationem pertinere tuam intelligam. Id adeò cùm præstanti doctrinæ tuæ, studiis ad communem utilitatem spectantibus, tum summæ erga me perspectæ jam satis atqve cognitæ benevolentiæ debere mihi videor. Vale. Venetiis. XIIX. Kalend. Januar. M. D. LXX.

HORATIO CARDANETO, PERUSIUM.

EPIST. XIV.

Gratulatur Cardaneto de amicitia fratrum Cæsarinorum, qvos laudat à modestia & aliis virtutibus, rogatqve ipsum, ut eos sibi commendatos habeat. Deinde negat, se bene nummatum Roma in patriam rediisse, cùm de-

eem

cem annorum laboribus vix tria millia scutatorum collegerit: sed animum habere paucis contentum affirmat.

GRatulor tibi, mi Cardanete, nec sanè magis ex animo gratulari possum, qvòd nobilissimorum adolescentum, Henrici, & Camilli Caëtanorum fratrum, auctus amicitiâ sis. Melior omnino reperiri ratio nulla poterat, qvâ ferrem æqviùs, eorum me consuetudine carere, qvàm qvod utantur tuâ. Te enim vel studiorum similitudine, vel animorum conjunctione, vel mutuis etiam officiis qvasi me alterum esse puto. Qvâ modestiâ sint, qvâ gravitate, qvâ prudentiâ, qvàm à communibus ingeniis differant, qvàm à depravatis hujus seculi moribus abhorreant; qvia brevi admodum ipse intelliges, nihil dicam. Auguratus qvidem antea sum, si diuturna utriqve vita contigerit: qvod in tanta bonitate, tam propensis ad veram laudem studiis, ab immortali DEO sperandum videtur: nullam esse gloriam tantam, qvam non facilè consequantur: nullos honores, qvi non eorum virtutibus ultrò deferantur. Te rogo, pro eo qvanti me facis, conferas in eos qvidqvid poteris officii, studii, observantiæ; qvodqve facere cum omnibus, qvi te norunt, solitus es, id tibi cum ipsis præcipuè faciendum putes, ut iis pateant opes ingenii, eloqventiæ, doctrinæ tuæ. De meo statu, qvidqvid possum scribere, ut video, cognitum jam habes. In eo tamen erras, vel potiùs errare te coëgit aliorum sermo, qvòd me bene nummatum in patriam rediisse putas. Decem enim annorum laboribus vix tria scutatorum millia, id est, qvantum ad filiam collocandam

candam reqviratur, colligere potuimus. Ita mihi nullæ pecuniæ, nullum vectigal, præter veterem frugalitatem, qvô vectigal nullum est uberius, animum paucis contentum, relinqvitur. Qvare gratulari te mihi velim, non qvòd abundem, qvod falsum est, sed qvòd tranqvilla mente vivam; qvòd in studiis, qvantum valetudinis ratio permittit, qvòd cum meis, qvòd deniqve nullis implicatus negotiis, sed in summo otio, summa qviete, summa libertate, qvæ sunt omnibus divitiis, rectè intelligentium judiciô, anteponenda. Vale, & illustrissimis Caëtanis salutem dices à me plurimam. Venetiis. VII. Kal. Jan. M.D.LXX.

ANTONIO ROLANDO, PATAVIUM.

EPIST. XV.

Negat se petitioni ejus in corrigenda oratione locum dare posse, qvòd à re sua non tantum otii sibi sit, ut aliena legere possit. 2. De ducta uxore & susceptis liberis ipsi gratulatur.

ADhuc languebam ex vetere morbo: &, filio non leviter ægrotante, eram sanè perturbatior: committere tamen nolui, ut epistolæ tuæ insigni præsertim Homerica magniloqventia, & benevolentiæ notis erga me tuæ, nihil omninò responderem, Qvod petis, ut orationem tuam corrigam: primùm id qvidem necesse non est: cùm scriptor sis luculentus, judicioqve excellas: deinde verò tantum ab re mea mihi otii non est, aliena ut possim

sim legere. Aut enim non vaco: aut, si qvid temporis conceditur, ad ea, qvæ inchoata, rudiaqve jampridem habeo, absolvenda, & perpolienda totum confero. Qvare à te peto, ut habeas rationem & valetudinis & occupationis meæ. Ego, posteaqvam in patriam reverti, negotiorum magnitudine defatigatus, ætate etiam admonitus, & Venusini Poëtæ versu, *Solve senescentem maturè sanus equum*, mihi & Musis duntaxat vivere constitui, nullas suscipio curas, nisi qvas rerum domesticarum necessitas imponit. Novas amicitias non expeto: veteribus colendis operam non do: cum uxore, liberisqve suavissimam vitam duco. Hic enim dies, ut ille ait, alios mores, aliam vitam postulat. Amicorum copia, qvid præter molestiam habeat, non video. Si qvis aliter sentit, arbitratu ipse suo vivat: Ego malo mihi sapere, qvàm aliis. De uxore à te ducta, de susceptis liberis, valde tibi gratulor. Nam etsi onus alendæ familiæ, durissimis temporibus, magna rerum omnium caritate, perqvam grave esse non ignoro: te tamen, virum bonum, peritum optimarum artium, tua virtus ex omnibus incommodis, ac difficultatibus eripiet: aderitqve Deus, cujus eximia benignitas præclaris conatibus & optimis studiis deesse nunqvam solet. Vale. Venetiis, X. Kalend. Januar.

M. D. LXX.

EPI-

EPISTOLARUM PAULI MANUTII

Liber XI.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. JUVENI. JACOBO BONCOMPAGNO.

EPIST. I.

Laudat Gregorium XIII. Pontificem creatum, qui, cùm propenso semper erga liberales artes animo fuerit, sperat illas, hoc Pontifice, suam dignitatem recuperaturas: atque ideo Boncompagnum Pontificis propinquum rogat, ut ipse quoque literarum patrocinia suscipiat, simulque ipsi, de dignitate per electionem Pontificis aucta, gratulatur.

Form. Causam scriptionis allegare. Ibi: Scribendum aliqvid hoc tempore arbitratus sum. (A)

NOta sententia est, à sapientissimo viro literarum prodita mónumentis, mutatione temporum, eventu vario, per omnes ætates comprobata, *cum Principum moribus, atque institutis, privatorum hominum sensus, & studia congruere.* Est enim ita more comparatum, ut in eorum, qvi imperant, vitam ii, qvi parent, veluti in speculum intuentes, dicta simul & facta diligenter animadvertant. Inde oritur cupiditas

imitandi: inde fit, ut aut virtutes emanent, aut vitia deriventur. Itaqve GEORGIO XIII. cui tu sangvine conjunctissimus, virtute carissimus es, in illa proxima cœlo sede, incredibili Cardinalium omnium consensu, in qvo perspicua divini Numinis voluntas apparuit, collocato, speciem qvandam, & imaginem rerum omnium laudandarum qvasi post tenebras exorta luce vidimus. Et, cùm ad urbem qvotidie tot mortales, præsertim qvi nobili aliqvâ arte excellant, suæ qvisqve spei favens, tam cupidè confluant, nemo dubitat, qvin, cùm ille antea semper ita vixerit, ut ingenuarum disciplinarum studia rebus omnibus præferret, rectum & honestum sic amaret, ut nihil ambitioni, nihil gratiæ tribrueret, ad æqvitatem & religionem omnia referret, eadem ei nunc prima sint, eadem studia colentes amplectatur, ornet honoribus, opibus augeat, maxima potestate cum optima mente conjuncta. Ille pacem, & concordiam Christianorum Principum tuebitur: ille præclaram in perdendo communi hoste conspirationem fovebit: illi publica salus, Sedis Apostolicæ dignitas, summi DEI gloria, à qva nunqvam oculos deflexit, erit antiqvissima. Injustitia verò, cujus omnes partes novit, plerasqve cum laude exercuit, prorsus eum nihil fallet: non ex aliena pendebit opinione: non alienis consiliis auferetur: qvæ sæpè labes, gravi civitatum damno, bonos etiam Principes infecit: ipse disceptator, & index res publicas & privatas pro sua sapientia suoqve sensu moderabitur ac reget. Qvid artes illæ nostræ, qvibus ad humanitatem informamur,

mur, qvæ fessos curis animos levant, nec tamen utilitatem à voluptate sejungunt, non eæ nunc, nimium diu cum oblangverint, spe qvadam recreatæ, oculos tollere videntur? Cumqve novo Principe, ad liberales omnes artes maximè propenso, vehementer lætantur, tùm verò in te, JACOBE illustrissime, spem suam in primis locatam habent, à te opem exspectant, tibi se suamqve dignitatem, fatali qvadam temporum calamitate ademptam, supplices commendant. Non negabis, opinor, benè de te merentibus patrocinium tuum, & ad cetera, qvæ in te elucent, ornamenta, cùm ingenii, atqve doctrinæ, tùm verò ejus modestiæ, qva te tàm secundis rebus admirabilem præbuisti, addes hoc, qvô nullum illustrius esse potest, ut literarum causam suscipias, reliqva tanqvam inania contemnas: qvamqve tibi antea laudem apud multos, versatus in celeberrimis Italiæ gymnasiis, non obscurâ voluntatis egregiæ significatione perperisti, ejus augendæ cùm facultas hoc tempore divinitus tributa maxima sit, non committes, ut ipse tibi aliqvando, & gloriæ tuæ defuisse videaris. Qvæ si cogitas, summa sapientia est; si perficis, summa felicitas. Nam ipsum velle qvis in laude ponat, nisi qvod velis, res ipsa declaret? Felicem porro non ego qvenqvam duxerim, qvi sibi licere putat, qvicqvid libet; sed qvi, cùm in magna potestate sit, licere tamen sibi nihil vult, nisi qvod veritas & ratio ipsa præscribat. Sensus autem hic multitudinis est, ut, abundare qvàm plurimis rebus, optabile inprimis existimet. Rectè verò uti, neqve optant multi, &

ſoli ſapientes norunt. Ac mihi qvidem, cùm ad tuam ſuperiorem vitam animum refero, hæc ipſa, qvæ laudo, qvæ tuum nomen immortalitati commendare poſſunt, eadem te ſentire, eadem cogitare, & velle, tuaqve ſponte ſatis ad verum decus inflammatum eſſe, minimè dubitandum videtur: eoqve breviùs ad te ſcribo, ne ſupervacanea legas diſtentus magnarum rerum curis. (A) Scribendum tamen aliqvid hoc tempore ſum arbitratus, ut, cùm omnes tecum gratulationis officiô fungantur, omnes tibi navare operam & ſtudium velint, ego qvoqve meam in te ſingularem obſervantiam, privatim nihil ſpectans, tuæ ſtudio laudis incenſus & nobilium diſciplinarum amore flagrans, officio teſtatam aliqvo relinqverem. Vale X. Kal. Qvinct. M.D.LXX.

CAMILLO PALÆOTTO, BONONIAM.

EPIST. II.

Primò cauſam exponit, cur Palæottum amet, videlicet ob ſingulares virtutes, ac præſertim liberalitatem erga literarum ſtudioſos: deinde gratias agit ipſi, qvòd in ſumma novæ affinitatis lætitiæ partem iſtius lætitiæ in ſe effuderit, ipſiqve de nova illa affinitate gratulatur.

PRæclara ſanè amicitiæ lex de ſimilitudine animorum in utraqve fortuna: qvæ ſi ſervaretur, nihil eſſet humanâ vitâ jucundius. Sed, qvod tu ſentis, & qvod ego tecum, ſive munus hoc naturæ fuerit, ſive earum artium, qvibus ab ineunte ætate operam dedimus, in eo, qvàm pauci ſint, qvi nos imi-

imitentur, tu profectò pro tua prudentia animadvertis, ego pro mea tenuitate sæpè sum expertus. Eqvidem nulla re magis lætor, qvàm opinione amoris in me tui: cui nisi ex omni parte responderem, hominem me non putarem. Amo autem te non ob illa, qvæ tibi possunt esse communia cum multis, qvòd unus ex amplissimo XL. virûm collegio sis: qvòd propinqvitatibus, clientelis, opibusqve valeas: deniqve, qvòd fratrem habeas Cardinalem, & eum Cardinalem, qvem non dignitas magis, qvàm virtus illustrat: sed ob ea, qvæ tua propria sunt: qvòd ab adolescentia ita vixisti, ut senilem in te prudentiam nemo reqvireret: qvòd ortus clarissimâ gente, majorem tamen ex te ipso nobilitatem qværis; qvòd ad omnem virtutem libero virô dignam, præcipuè verò ad liberalitatem propensus, excipis, & complecteris omni officiorum genere, qvicunqve se studiorum gratiâ Bononiam conferunt: & qvò qvisqve magis virtute, industriâ, probitate videtur excellere, eò major ac præstantior in eum tua benignitas elucet. Ita fit, ut ad liberalium disciplinarum studia plurimos qvidem inveterata jam Bononiensis gymnasii gloria ex universo terrarum orbe, multos tamen tui qvoq; nominis fama pelliceat. Hæc ego cum aliis potiùs, qvàm tecum: nunc erupit amoris vis, qvæ me nihil minùs ab initio cogitantem, propè invitum ea scribere coëgit, qvæ tu cùm libenter agas, non libenter tamen audis. Occasionem autem non ostendendæ solùm benevolentiæ meæ, sed judicii qvoqve declarandi non levem sanè tu dedisti,

cùm in maximis occupationibus, in summa novæ affinitatis lætitia non modo de me absente cogitasti, qvo contentus esse debui; sed effudisti in me suavissimis literis partem lætitiæ tuæ, affecistiqve me voluptate tantâ, qvantam animus meus capere potest maximam. Ac de isto qvidem officio tibi nunc, ùt debeo, gratias ago, habere nunqvam desinam: de ipsa verò re, qvam significas, ita gratulor, ut, qvæ mentis exprimere meæ sensum qveant, verba prorsus nulla suppetant: istâ enim affinitate, ad utram familiam oculos converto, omnia video plena dignitatis, plena sapientiæ, plena virtutis. Cùm verò utriusqve decora copulantur, tale qviddam existit, qvod cùm intueor, haud facilè, qvid conferre possim, reperio. Qvare debes exspectare omnia jucundissima. Soboles exorietur, approbante immortali Deo, digna parentibus, avis, majoribus, unde mirabiles Christiana Resp. & in primis ipsa patria fructus capiat. Qvod ut ita sit, pro mea erga te singulari studio non minùs opto, qvàm si ad me ipsum, liberosqve meos eadem illa pertine rent. Tu me velim ames mutuò, Sigoniumq; meum, & Amasæum salutes. Vale. Ego, qvanqvam cœlum mutaverim, nondum tamen satis rectè valeo. Ex Plebe Sacci. XVI. Kalend. Maji, M. D. LXXI.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. III.

Narrat Palæotto, primò qvidem, cur Venetiis esse noqveat, videlicet propter frigus, exercitationes corporis denega-

negatas, vinæ, carnium penuriam. 2. Utrum Genuæ an Regii domicilium collocet, se ambigere. 3. Cur Genuâ profectus Mediolani subsliterit, videlicet, qvòd perfruatur ibi humanitate Bartholomæi Capræ & Ferrarii.

VAldè accidit, non sanè contra voluntatem, sed certè præter opinionem meam, ut Mediolani consisterem. Sic sunt humana. Consilia nostra, plerumqve ratio, casus interdum, & fortuna moderatur. Ego Genuam eâ potissimum causâ petebam, ut villulis pulcherrimis, jucundo placidi maris adspectu, &, qvod in primis valetudo mea reqvirit, verno cœlo hyeme summâ fruerer. Nam Venetiis hyeme superiore, cùm & cubiculo clauderer angusto, & camino assiduè uterer luculento, parum tamen abfuit, qvin me vis frigoris absumserit. Scis, qvæ mea tenuitas, qvæ sit imbecillitas. Nec ætatem, ut arbitror, ignoras. Qvotidiè labuntur vires, & eò magis, qvòd ea, qvæ mihi ab adolescentia rerum omnium antiqvissima fuerunt, & à qvibus ne nunc qvidem, ætate ingravescente, divelli possum, studia calorem illum, qvo alimur, exhauriunt. Hæc de frigore: audi nunc, qvæ supersunt incommoda. Exercitationibus dum utor, confirmari me sentio; at iis uti Venetiis, præsertim sub dio, vel ob angustias viarum, vel ob infinitam prope civium, peregrinorumqve freqventiam non licet. Huc illuc impellimur: sæpius alieno motu, qvàm nostro, movemur: vix ut interdum, ac ne vix qvidem, si lubrica via est, consistendi facultas detur. De vinis qvid loqvar? Diuturna me consuetudo Romanis, omnium facilè primis, assuefe-

cerat. Similia non qværebam, sed qvæ prorsus dissimilia non essent: periit omnis industria. Carnis mira penuria: vitulinam qvidem, qvæ differat à bubula, reperire, felicitatis est. Excellunt viri nobiles benignitate, virtute, sapientiâ: neqve ego eorum amicitiâ, & consuetudine excluſus unqvam sum, appetitus etiam à multis: qvod in iis rebus numero, qvarum memoriâ non mediocriter oblector: sed nescio qvomodo fit, ætatis fortasse vitiô, ut qvædam res, qvibus olim pascebar, qvotidie magis eæ animo dilabantur. Mihi uni, mi Camille, jam cupio vivere, dum vivo, sic tamen, ut, me ceteris etiam vixisse, aliqvando intelligatur. Habes, cur Venetiis non sim: qvò spectem, & ubi esse velim, ac reliqvæ vitæ domicilium collocare, sanè nondum constat. Amœnitatem, & salubritatem seqvor. Utraqve Genuæ est; utraqve ùt audio, Regii, qvò peramanter invitor: & suburbanum mihi suum, magnificè exstructum, eleganter ornatum, vir primarius, integritate, doctrinaqve excellens, Horatius Malagutius, summi Pontificis cubicularius, semel & iterum detulit. Mihi tamen ocellus Italiæ, Benacensis ora, Asulano meo, unde multa suppetent, satis propinqva, vehementer arridet. Eò me convertit animus: eò referunt pedes: ibi deniqve cum rusticis malim, rustico penè more, qvàm alibi cum perurbanis, in magna non modò lautitia, verùm etiam copia, vitam agere. Interea sum in hac urbe, &, ùt video, diutiùs ero, qvàm putabam: non tàm, qvia propter anni tempus discedere vix jam licet; cùm & imbres assidui vias corruperint,

& ego

& ego is sim, qvi vel leviſſimis frangar incommodis; qvàm qvia duorum virorum, omni laude ac virtute circumfluentium, Bartholomæi Capræ, hoſpitis mei, & Octaviani Ferrarii, veterrimâ mihi neceſſitudine conjunctiſſimi, ſingulari doctrinâ, humanitate, benevolentiâ perfruor. Otii qvidem habeo, qvod tu fortaſſe vix credas, in urbe ampliſſima, omniumqve celeberrima, non minus, qvàm optabam, plus profecto, qvam ſperare auſus eſſem. Itaqve ſtudia calent. Qvod cùm dico, ſimul illud dico, Mediolani me perlibenter eſſe, Nam cum ſtudiis & literis nullum vitæ genus, ne ſi Crœſi qvidem addantur divitiæ, permutaverim. De valetudine ſi qværis: eâ ſum, qvâ ſoleo, id eſt, non admodum firmâ: me tamen cùm domeſtica qviete, tum definitâ qvadam victus ratione, aliqvâ etiam animi tranqvillitate, tueor atqve ſuſtento. Vale. Mediolani. Kalend. Novemb. M. D. LXXI.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. IV.

Palæotto de oleis, & Simonettæ de conditis cotoneis agit gratias. Et Simonettam, virum nobiliſſ. & Senatorii muneris, ſe ſingulari obſervantia culturum promittit.

OLeas Mediolanum uſqve? Mirus amor, & ſingularis humanitas. Sed vide, qvid acciderit. Venit in mentem Simonettæ tuo, ùt eſt homo perelegantis ingenii, munus tuum cum ſuo munere conjungere, & ſubamari ſaporis oleas, qvô ipſo gratæ ſunt, aliô tamen ſapore gratiores efficere. Itaqve

misit ad me scitè admodum condita cotonea; & qui attulit, cùm mihi tuo nomine salutem dixisset, addidit illud, quod Simonetta lepidè conjecerat, de olearum sapore temperando. Est igitur, cur utriqve vestrûm pares agam gratias: nisi si paulò fortasse majores tibi debentur, cujus occasione liberalitatis alia videtur exorta liberalitas. Quanqvam Simonettæ jam antea sanè vel plurimum debebam, qvòd humanitati suæ tantum tribuisset, ut ad me, vir nobilitate præstans, & senatorii muneris honore insignis, domum veniret, horasqve mecum aliqvot suavissimo sermone consumeret. Qvo qvidem in genere, si mihi non dicam per studia, qvæ licet perjucunda, voluntatis tamen, arbitriiqve mei sunt, sed per valetudinem, cui servire necesse est, liceret; ita me officiô vinci non paterer; qvemadmodum animi certè voluntate non vincor. Ego propter frigoris magnitudinem domo pedem efferre adhuc non audeo. Itaqve paucis utor. Capra hospes meus, & Ferrarius, ille qvotidie, præsertim vespertinis horis, hic, qvantum ei vel à philosophiæ studio, vel ab amicorum negotiis vacat, tantum ferè mecum est. Horum virtus humanitasqve facit, ut paucos, & pauca desiderem. Etomninò, si studiorum similitudo, si officia, si mores benevolentiam gignant: multos amore complecti, non illo vulgari, sed eô, qvi excellit, id est, qvi inter nos est, qvàm non facilè sit, opinor, vides. Nam, qvod in epistola tua gravissimè atqve ornatissimè scriptâ, speras posse fieri, ut à Simonetta tantum diligar, qvantum vel ille à te, vel tu ab illo dili-

diligeris, addo etiam, qvantum ego me à te diligi pro tuis maximis officiis jampridem mihi persuadeo: id qva ratione possit evenire, cùm aut in eum intueor, aut ipse me perpendo, non eqvidem intelligo. Diversa studia sunt: consuetudo non intercessit: vitæ ratio dissimillima. Illum publica negotia, summarumqve rerum cura distinet: ego humili literarum otio delector. Ille, ad amplitudinem natus, curat ea, qvæ speciem, & splendorem habeant: ego, si qvies animi datur, si colere licet eas artes, qvibus à primis temporibus ætatis meum omne studium, operamqve dedi, cetera propè contemno, qværenda certè magno cum labore non arbitror. Deniqve illi celebritas, mihi, ut fatear, id qvod est, solitudo vehementer placet. Faciam igitur, qvod officii mei esse duco, & qvod à me dignitas hominis, ac virtus non modò postulat, verùm etiam exigit, ut eum omni tempore, qvanqvam absens longeqve disjunctus, animô diligenter observem, memoriâ colam, iis etiam ornem laudibus, qvibus ille suis majoribus ut respondeat, sic enititur, ut assequatur. Qvod eum scire tuis literis, & persuasum habere, si cognovero: summo me, ac singulari affectum abs te esse munere judicabo. Vale. Mediolani, Kalend. Febr. M. D. LXXII.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. V.

Gratias agit Palæotto, & negat se merita ipsius officiis assequi posse: amore verò se ipsi non cedere affirmat.

2. Fa-

2. Facit ipsum certiorem de valetudine sua. 3. Scrupulum de amicitia, ait, optimè ipsi à Cicerone aut Arist. posse eximi.

QVid est, cur sperem assequi me posse tua merita officiis? Par in utroqve voluntas: id enim juvat credere; sed conditio longè dispar. Tibi enim ad me ornandum unà cum voluntate suppetunt reliqva, auctoritas, dignitas, virtus: mihi ad gratiam referendam, præter voluntatem nihil propè relinqvitur. Itaqve tu me magis ut diligas, qvàm ego te, nunqvam concedam: idem, officii residere plus apud te, semper fatebor. Dissimulem? Nihil me ingratius. Negem? Facilè refellar. Testes erant antea meritorum tuorum, egregiæqve cujusdam voluntatis erga me sanè qvàm plurimi: nunc accessit, qvi pro sexcentis unus est, vir amplissimus, Scipio Simonetta: qvi, qvòd me amet, qvòd etiam in sermonibus laudet, magnam in eo sanè benignitatem hominis agnosco: sed tibi qvoqve tribuo: cujus ille judicium qvanti faciat, qvô primùm die sum eum allocutus, haud obscurè perspexi. Qvód scire vis de mea valetudine, qvam tibi summæ curæ esse vehementer gaudeo: tantum abest, ut optimâ fruar, ut ab optima absim aliqvantô etiam longiùs, qvàm à deterrimâ. Ac si mihi medium qviddam contingat, præclarè mecum agi putem. Sed id, ut optare potiùs liceat, qvàm sperare, ætas facit, & valetudo. Studia mitto: à qvibus divelli non qveo. Nihil me magis, qvàm scire, delectat: ita scribo, ut ad alios industriæ meæ fructum pervenire cupiam: sed, mihi crede, plerunqve

runqve fit, ut qvò diligentius in hac cura verſor, eò plura ipſe diſcam, qvàm alios doceam. De amicitia ſi tibi ſcrupulus moleſtus eſt, evellet eum, aut Ariſtoteles, aut Cicero noſter: qvos tu cum magiſtros habeas; miror ſanè, cur ad me qvidqvam referas. Nam ego me vel ſcire nihil puto, qvod tu neſcias: vel, ſi qvid ſcio, ab illis didiciſſe confiteor. Hoc tantùm dicam, idqve tuâ causâ mi Camille, qvando te hoc de genere libenter video diſputare: ſi qvis perfectam illam amicitiam, cùm ex duobus animis tanqvam unus fit, ut afficiantur pariter in utraqve fortuna, ut nihil jucundum, nihil triſte ſeparatim, communia ſint omnia; hoc, inqvam, genus amicitiæ ſi qvis cogitet, & ea, qvæ leguntur in libris, inter homines qværat, eum fruſtra laborare. Eſt enim amicitiæ, ùt reliqvarum rerum omnium, idea qvædam & ſpecies abſoluta: cujus præſtantiam mente comprehendere, & ingenio conſeqvi fortaſſe licet; exempla certè ſub oculos non cadunt. Hæc ego ita ſentio: tu, ſi qvid contrà, doce me. Vale. Mediolani. Idib. Mart. M. D. LXXI.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. VI.

Palæotto ſignificat, ſe, cùm domum cogitaret, & eo itinere ipſum videre cuperet, à Gregorio XIII. P. M. honorifico ſtipendio retentum eſſe.

AGri veſtri, ſiqvidem, ùt ſcribis, imbribus irrigari cœpti ſunt, meliore, qvàm noſtri, qvi adhuc valdè ſitiunt, cœli munere fruuntur. De vindemia

demja tamen, qvod ad bonitatem firmitatemqve vinorum attinet, bene ſperatur: de copia, fore certùm eſt, ut non abundemus. Ego, non exſpectatis imbribus, jam ſarcinulas collegeram, ut in viam me darem: nihil enim erat potius, qvàm ut domum redirem, eoqve itinere te viderem, ut villulam tuam, utroqve autem fruerer, qvàmdiu per anni tempus liceret: ſed vicit conſilium meum Cardinalium voluntas: qvorum operâ eſt effectum, ut GREGOR. XIII. Pontif. Max. qvi tamen ſuâ ſponte liberales diſciplinas miro qvodam ſtudio amplectitur, fovet, alit, honorifico me ſtipendio retinendum putaverit. Hìc igitur cogimur conſiſtere: libenter, ùt Romæ, in ſumma celebritate, & amicorum copia; inviti, ut à te disjuncti, cujus conſuetudine non ſemel aut iterum, ſed perpetuò æſtivis menſibus, amœna regione, jucundo otio, cum communibus Muſis frui cogitabamus. Hoc tamen qvidqvid eſt incommodi, non illud qvidem penitus, ſed aliqvâ ſaltem ex parte, qvantum ſcilicet per utriusqve occupationes licebit, literarum commodô ſarcietur. Vale. Romæ. VII. Id. Septemb. M.D.LXXII.

HIERONYMO CAPRÆ, MEDIOLANUM.

EPIST. VII.

Gratias agit Capræ cùm de literis ad ſe miſſis, tum de officiis, Mediolani cùm eſſet, præſtitis, eumqve rogat, ut illuſtrium virorum benevolentiam ſibi conſervet.

Qvod

QVod ad me Camilli Palæotti, viri nobilissimi, meiqve amantissimi, literas misisti, valdè gratum: qvòd verò cum iis etiam tuas, easqve Latinè scriptas, & ita qvidem, ut Romanam illam veterem elegantiam redoleant, multò etiam gratius. Nam ùt, Mediolani cùm essem, interdum sermone tuô summa cum voluptate fruebar: sic, ademptâ mihi nunc tui sermonis usurâ, totam spem hujus mitigandæ molestiæ tuis in literis repono. Qvanqvam hoc in genere ita moderabor meæ cupiditati, ne tibi plus oneris imponam, qvàm vel occupationes tuæ, vel studia patiantur: cùm præsertim eâdem scribendi lege pariter utrumqve nostrûm teneri æqvum sit, ut cùm tibi caveam, mihi qvoqve, multis curis implicato, cavere simul videar. Qvid igitur faciam? Nimirum id, qvod unum relinqvitur, ut ex amoris in me tui memoriâ solatium capiam, eâ fruar, in eâ te absentem intuear, alloqvar, amplectar, & in exoptata re falli me sinam errore perjucundo. Atqve hæc qvidem in perferendo tui desiderio satis commoda ratio est, illa perdifficilis, remunerandi officia tua; qvæ cùm libenter, & sæpe cogitem, egregieqve partes in eo meas animô expleam; nisi tamen id tibi re ipsâ aliqvando persuadeam, non benè mecum actum existimabo. Extremum illud est, qvod ad te vehementer peto, ut, qvantum meâ causâ vis, qvem velle arbitror qvantum cupio, tantum studii ponas in tuenda mihi benevolentiâ, cum qva thesauros non permutaverim, virorum illustrium, sapientissimorum senatorum, Scipionis Simonettæ, Ludovici Macentii, Hieronymi

nymi Montii; qvorum erga me singularem humanitatem, semel atqve iterum salutationis officio perspectam, nulla unqvam apud me delebit oblivio. Aldus filius te salutat, amicitiamqve tuam, ùt debet, plurimi facit. Tu salutem viro optimo, multisqve virtutibus ornato, Hannibali Cruceio, dices meo nomine. Vale. Venetiis. VIII. Kalend. Maji. M.D.LXXII.

HANNIBALI CRUCEIO, MEDIOLANUM.

EPIST. VIII.

Amore impulsum se significat ad has literas scribendas; & hunc amorem respuere illius purgationem, de se ante discessum non salutato; quandoquidem amicis non plus oneris imponat, qvàm ipse suscipiat; nec veram amicitiam visitationum officia flagitare.

INfirmo adhuc corpore ob recentem morbum, nec mente, ut verè dicam, satis tranqvilla, feci tamen, ut hæc ad te exararem, amore impulsus, qvo te sum complexus ante multos annos: cui tu, ne qvid addi jam possit, humanitate tua, probitate, virtute perfeciſti. Ille igitur amor, qvi me ad scribendum impulit, idem purgationem tuam, qvòd me non salutasses in discessu, ùt indignam utroqve nostrûm, planè respuit. Ego de te tuorumqve valetudine qvàm sæpè qvæsierim, Ferrarius noster optimus testis est. Atqve ille de te ea, qvæ volebam scilicet, de filia paulò duriora; qvæ comprobata eventu, teqve ætate jam ingravescente tam gravi

gravi percussum esse vulnere, ùt debeo, vehementer doleo. Ac mihi qvidem, partes esse meas veniendi ad te, ut hominis amantissimi officiô fungerer, sæpe tunc in mentem venit: sed cùm opem tibi à me afferri nullam posse, molestiam verò fortasse aliqvam posse, intelligerem, essem præterea, ut soleo, imbecillior, tenui me, invitus eqvidem, sed tamen tenui. Tu certè, cùm jaceres, aut confirmato corpore nondum esses, ad me ut venires, exspectare non debui. Non enim is ego sum, qvi plus amicis oneris imponam, qvàm qvantum ipse sustipiam. Ego mihi largior, & hoc in prima amicitiæ parte pono, ne qvem colam ambitiosius, ne sæpè domum eam, ne tempus inani sermone conteram, ne deducendi, aut reducendi laborem & molestiam capiam. Qvæ si mihi concedi volo: cur ea tibi, vel aliis eripiam? At etiam purgas te de superiori tempore, qvod sex amplius mensibus, id est, qvamdiu Mediolani mihi esse contigit, ter aut qvater ad me veneris. Id qvidem satis ab Hannibale Cruceio fuit, homine publicis muneribus assiduis distento, domesticis etiam tricis impedito, qvæ nobis, qvi liberos habere, & patresfamilias appellari, pulchrum putavimus, negligendæ non sunt. Sed, ut hæc omittam, atqve hujus generis alia, qvæ tibi cum multis communia esse possunt, & ut attingam ea, qvæ vel tua propria sunt, vel certè communia cum paucis: nullúmne munus, nullumne privilegium habet virtus? Ea verò habet, & qvidem maximum, ne vulgi legibus teneatur, ut sui juris arbitriiqve sit, ut seipsa fruatur, ut otio in-

terdum, & solitudine gaudeat. Sint igitur visitationes voluntariæ, sint gratæ semper & jucundæ, ideo tamen raræ, qvia perqvam rarò necessariæ. Facessant hæc à nobis vulgaria, mi Crucei, in qvibus non modò officium, verùm etiam laudem qvidam locant: ego inepta, vilia, putida censeo, minimè digna iis artibus, studiisqve qvæ colimus. Viget, & vigebit ipsa per se, externam opem contemnens, suis fulta viribus necessitudo nostra: absentes, præsentes iidem erimus: & multa etiam, qvibus præsentes sæpè carent, animorum conjunctione, studiorumqve similitudine conseqvemur. Cur enim, qvod ipse tibi de me polliceor, & qvod libenter præstabo, id à te, viro optimo, omniumqve humanissimo, non exspectem? Vale, & Ferrario meo salutem. Venetiis. Idib. M. D. LXXII.

JOANNI CRATONI, VIENNAM.

EPIST. IX.

1. Gratas sibi fuisse Cratonis literas scribit, & se illi memoria, amore, observantia gratiam relaturum, reliqva ipsius dignitatem aut fortunam non exspectare. 2. Filii silentium excusat, cujus uxor qvod pariet, id illi è sacro lavacro suscipiendum defert. 3. Mediolani se tempus explicandis Cicer. Orationibus tribuisse ait, & commentarios in Epist. brevi editurum promittit.

QVâ primùm horâ in patriam redii, unde menses aliqvot abfueram, & valetudinis, & otii causâ, qvæsivi statim de filio, ecqvid Crato noster? Valet, inqvit, & nos amat: deinde qvid tu ad illum de me, qvàm sæpè, qvàm amanter, qvid ille ad te scripsis-

scripsisset, pluribus verbis exposuit. Vix credas, & cùm salva hîc omnia compererim, & eam nurum, qvam volebam, ætate, moribus, forma, qvantus tamen ex literarum tuarum humanitate lætitiæ cumulus accesserit. Qvanqvam, cùm mihi jam antea & natura, & consuetudo tua nota sit, peccare mihi videar, & gravi admodum scelere obstringi, si, qvod ab utraqve abhorreat, & qvod utrâqve indignum sit, suspicari me unqvam patiar. Nec verò, me qvidem id, qvod mihi boni contigit, agnoscere, languere autem in gratia referenda velim existimes. Refero enim, mi Crato, referamqve dum vivam: at qvibus rebus? Iis, qvibus te contentum fore scio, memoria, amore, observantia. Nam reliqva neqve tua dignitas, neqve fortuna exspectat: neqve is ego sum, qvi possim paria paribus, aut qvi officium potiùs in compensanda re, qvam in emetienda voluntate positum putem. In qvo illam capio voluptatem, qvòd filius meus, qvem studiis mihi & institutis persimilem esse, fortunâ velim paulò meliore, te in oculis fert, laudare non desinit, sicut alterum parentem observat, & colit. Is excusat silentium suum: habet enim non modò qvod assiduè agat, verùm etiam qvod libenter agat, in novis nuptiis: qvæ si qvid parient, vel dicam etiam, omnis causâ, qvod parient, id tibi, aut qvi tuo nomine agat, sacro lavacro suscipiendum defertur: ut amicitia nostra, tuis instituta non vulgaribus officiis, nostris ad hanc diem studiis egregiè culta, religionem qvandam assequatur, qvæ labem ab ea culpamqve prorsus omnem perpetuò

removeat. Mediolani abditus in literis vixi. Si qværis, qvo ſtudiorum genere? Explicandis Ciceronis Orationibus, qvod mihi propoſitum fuit ante multos annos. Nunc dandi ſunt dies, tum amicis, tum etiam negotiis. Commentarios in Epiſtolas, qvæ Familiares vocantur, convicio jam propè efflagitatos, debere ſtudioſis diutiùs vix poſſum. Id nunc cogito, ad qvem mittantur. An ad eum, qvi me ornavit ea dignitate, cum qva nullas opes confero? Tu ſtatue: ad te enim refero, cui vel prudentiâ, vel amore erga nos qvem anteponam, habeo neminem. Vale. Venetiis, XI. Kalend. Maji. M. D. LXXII.

HENRICO ET CAMILLO CAETANIS, PERUSIAM.

EPIST. X.

Dolet fratres Caëtanos Peruſiam fuiſſe profectos, qvo tempore ipſe ad Urbem veniſſet: & cùm circa Idus Sept. in patriam ſit reverſurus, fortunam ſe accuſaturum ſcribit, ſi ipſorum ſermonibus ſibi carendum ſit.

Accidit incommodè, ut, qvo ego tempore ad urbem veni, negotii qvidem cauſa, ſed maxime ſtudio noſtræ conſuetudinis ex intervallo reguſtandæ, vos, eôdem ferè Peruſiam ex urbe diſceſſeritis. Qvanqvam cur ita loqvor? Rectè vos, & ſapienter feciſtis, iſtam ſalubritatem ſecuti, urbe relictâ anni tempore difficillimo, qvod pro mea in vos ſingulari benevolentia ſanè vehementer lætor. Mecum autem actum eſt incommodiùs, qvi veſtro adſpectu, veſtro ſermone caream, ex qvo ſum-

mam

nam voluptatem spe, & cogitatione præceperam. At potest hoc sarciri literis. Qui potest? Habent enim literæ suavitatem, sed, ut ego sentio, minimè cum ea, qva præsentes fruimur, conferendam: vel qvòd in familiari sermone arripere licet argumentum ex qvacunqve re, qvæ gratissima libertas est: vel qvòd in voce, oculis, vultu est qviddam, qvod amemus magis non modo, qvàm in literarum notis, sed sæpe etiam, qvàm in rebus ipsis, qvæ literis explicantur. Qvò molestius careo sermonibus vestris, qvi præsertim fore suspicer, ut circiter, idus Sept. fractis jam his caloribus, qvibus majores non meminibus, cum filia, qvam ante biennium ægra, valetudine discedens in cœnobio sacrarum virginum reliqveram, in patriam revertar. Hoc si evenerit, spe meâ frustratus fortunam accusabo; vos qvidem animo complectens, dum de vestro erga me amore, dum de moribus, dum de virtute cogitabo: qvod mihi nec ipsa fortuna, nec ulla dies unqvam eripiet; facilè, ut spero, consequar, ut, qvasi officium meum ex aliqva parte persolverim, ita dolor, & desiderium ex aliqva saltem parte leniatur. Valete. Romæ. VI. Kalend. Sext. M. D. LXXII.

CAMILLO CAETANO, PERUSIAM.

EPIST. XI.

Excusat utrumq;, Caëtanum & se, de literarum per biennium intermissione. Deinde illius & fratris beneficiorum se memorem fore promittit. Et denique de Ant. Persio ad filium scripsisse significat.

Form. Promittendi gratum animum & beneficiorum memorem. Ibid: Nunc beneficium illud tuum.(A)

Diligentiam literarum verus amor non desiderat. Itaqve, qvod biennium nec ego ad te, nec tu ad me qvidqvam scripseris, utrumqve nostrûm libenter omni culpâ libero. Te qvidem etiam vehementer laudo, qvòd à Jure Civili, in qvo perdiscendo totus es, ab iis artibus, unde manat decus, officii minimè necessarii causâ deflectendum non putasti. Nam, qvod ad me attinet, vixi cum veteribus Musis, fortasse parùm utiliter, sed tamen vixi. Qvanqvam qvid utilius, qvàm rectè valere? Id ego peregrinatione, & libero qvodam vitæ genere, si minùs qvàm optabam, at certè plùs qvàm sperabam, sum assecutus. Videras hîc me diu languentem: vidi ego sæpè dolorem tuum: qvo qvidem amoris argumento ita sum lætatus, ut medicinam præstantiorem nullam senserim. Nunc beneficium illud tuum, (A) fratrisqve tui Henrici, omni laude, qvæ cadere in adolescentem possit, ornati, tueor, ùt æqvum est, & tuebor memoriâ sempiternâ: officiis etiam gratum fore me dicerem, si modò vestra vel fortuna, vel virtus officium à mea tenuitate ullum exspectaret. De Antonio Persio scripsi ad filium diligenter. Non dubito, qvin, ubi opus esse intelliget, eò curam, operam, industriam suam omnem conferat: neqve id magis, ut mihi obsequatur, qvàm ut à vobis gratiam ineat, atqve adeo, ut hominem excellenti virtute præditum eo sibi conciliet officio, unde in homines qvàm plurimos, & in multas ætates haud minima diffundetur & pro-

& propagabitur utilitas. Vale, & salutem fratri plurimam. Romæ. V. Id. Quinct. M.D.LXXII.

HORATIO CARDANETO, PERUSIAM.

EPIST. XII.

Invitatur à Cardaneto Perusiam, affert causas cur petitioni ejus locum dare nequeat.

Cùm ante aliqvot annos excellere te cognoverim iis artibus, qvas qvi non diligit, hominem vix puto: & cùm ad hanc laudem ornamenta morum, probitatis, humanitatis, id qvod paucis admodum contigit, addideris: qvid est, qvod malim, qvam sic amari abs te, ut me tibi parem animum reddere, teqve mihi carissimum esse tibi persuadeas? Amoris autem signa cùm à te multa sint, hoc ejusmodi est, ut eò maximè delecter, qvòd me Perusiam invitas, & qvasi de vetere nomine appellas. Ais enim promisisse me, nec promissum solvisse. Næ, tu bonâ memoriâ es, qvam tamen amor in me tuus aluit, & confirmavit. At mihi id exciderat, vel qvia tunc ratione temporis consilium mutare sum coactus: vel qvia leves culpas verus amor facilè dissimulet. Nunc in summa tibi obsequendi voluntate vide qvid obsistat. Ego, si cum uno alterove puero iter haberem, expeditus nullo negotio excurrerem ad te. Qvid autem jucundiùs, qvam Caëtanis meis, tibiqve non modo id optanti, sed etiam exigenti dies aliqvot dare? Sed exiguo comitatu, cùm filiam virginem ducam, tot dierum

viam conficere qvàm honestum sit, tute cogita. Accedit illa molestia, qvòd duas lecticas, diurna mercede conductas, qvaternis scilicet scutatis in die, ultra præscriptum à lecticariis tempus remorari non licebit. Brevis enim mora ferri posset; sed in vestra consuetudine, vestrisqve sermonibus, addo etiam in lauta, nobiliqve civitate, biduum hora esset. Habes meam causam: qvam, non video, cur non probes. Nam, qvod ad animi voluntatem attinet, tu ut cupidior mei videndi sis, qvàm ego tui, nunqvam concesserim. Vale. Romæ. Id. Sext. M. D. LXXII.

M. ANTONIO CIOFANO, SULMONEM.

EPIST. XIII.

Agit Ciofano gratias de vasculo æreo misso, qvod ab artificio laudat. 2. De maximis caloribus qveritur, & illi gelidas undas ac aëris temperiem gratulatur; malle se frigus, qvàm calorem pati, asserit.

VAsculo æreo, qvod ad me Hercules frater tuus heri attulit, nihil amabilius, neqve id usu magis ipso, qvàm operis elegantiâ. Eqvidem Sulmonenses homines valere ingenio, satis antea cognoveram. Hôc artificii genere ceteris hominibus antecellere, vix unqvam putassem. Nunc perspectâ industriâ illos laudo, te de isto munere vehementer amo. Nos hîc, fracti caloribus maximis, languemus, ego in primis, tenui admodum & infirma valetudine. Itaqve ingenium, artemqve; si tamen

tamen ingenii, aut artis aliqvid in me est, non, ùt solebam, in literas, & studia, sed anni tempore coactus, in unam valetudinis curam confero: &, si qvid proficio, qvæ doctrina præstantior? Vos istic, nisi me fallit poëta vester, gelidas undas easqve uberrimas, habetis. Nimirum istuc est vivere, si cui cœlum ejusmodi contingat, ut hyeme tepeat, æstate refrigeretur. Qvod si utrumq; non licet, vel alterutrius optio datur: ordinem naturæ non eqvidem contemno, veruntamen æstivam temperiem, nec, ut arbitror, injuriâ, longè prætulerim. Nam frigoris acerbitas camino luculento, pellitâ veste, cibi etiam ratione mitigatur: Caloris levandæ molestiæ, pauci sunt, qvi sine periculo remedium inveniant. Est igitur, cur tibi gratuler, cui contigerit id, non modò qvod ego pluris facio, sed fortasse etiam qvod re vera pluris est. Ego si dignus amoretuo, dignus etiam dolore sum, cujus ad naturalem imbecillitatem vix ferenda robustioribus æstûs incommoditas accesserit. Vale. Romæ. V. Kalend. Sext. M.D.LXXII.

HORATIO MORONO,

EPIST. XIV.

NB. Perlectâ Moroni eleganti epistolâ, singulari se in ipsum amore incensum scribit, ideoque dubitans, utrum gratulatione an cohortatione utatur, in hanc partem dilabitur, ut ipsum roget ac hortetur, ut doctrinæ & virtutis studium, cui deditus est, continuare pergat.

Form. Excusandi hortationem. Ibi: A me tamen qvæ dicta sunt. (A)

EPistola tua, sermonum tuorum simillima, qvàm me affecerit, qvâ voluptate perfuderit, qvam ad meam superiorem erga de voluntatem cumulum addiderit, nec mihi verbis explicare, nec tibi mente conseqvi facile sit. O miram prudentiam, suavitatem, elegantiam! Eqvidem antea te non vulgariter amabam, vel qvòd Joanni Morono Cardinali, præstantissimo viro, cujus in me exstant merita qvàm plurima, propinqvus esses: vel qvòd ore, sermone, moribus modestiam singularem præ te ferres. Nunc verò, cùm ex epistola tua, qvàm longè per eloqventiæ rectissimam viam ingeniô, studiô, industriâ processeris, intellexerim, neqve solùm, qvi nunc es, verùm etiam, qvi futurus aliqvando sis, conjicere potuerim: ita sum amore incensus, nihil ut unqvam senserim ardentius. Et qvanqvam hæc adolescentiæ tuæ tam præclara principia gratulationem potiùs, qvam cohortationem reqvirant: in eam tamen partem nescio qvo modo libentiùs delabor, ut te horter ac rogem, ne contentus communi laude sis, ne mediocribus acqviescas, ne præstantiam naturæ tuæ languere unqvam sinas, sed eam ita exerceas, ut, qvod adhuc fecisti, & qvod facturum te esse non dubito, ætatem semper virtute vincas. In eo si putabis omnia summa esse collocata: mihi crede, omnia summa ad te confluent. Qværitur enim cum labore virtus: ea verò sine labore omnia conseqvitur: qvod qvi ignorant, aut qvi aliter sentiunt, nihil habent in vita firmum, nihil stabile, dubiâ semper fortunâ vacillant, nullâ re perpetuo fruuntur. Vides autem,

tem, opinor, non eum te esse, cui liceat utrumvis. Nam obscuro loco nati si dignum laude nihil præstant, vitio non datur: domesticis enim latebris desidia tegitur; à nobilibus autem qvasi debita res exigitur virtus: eam si habent, verè nobiles dicuntur; si secus, illa ipsa à majoribus accepta nobilitas dedecus & culpam auget. Te familiæ tuæ claritas ad gloriam vocat: tibi rectum atqve expeditum iter ostendit: deflectere te, aut offendere nusqvam patitur. Qvæ tamen proponenda tibi ne sint, effeciisse jam videris: totus addictus liberalibus disciplinis, totus incumbens ad ea, unde verum decus, & vera nobilitas exoritur: ut, qvi tua studia planè noverit, is tecum gratulatione potiùs, qvam ego omiseram, qvàm cohortatione, utendum esse jure putet. A me tamen qvæ dicta sunt, (A) sic in bonam partem accipies, si priùs, eum esse me, tibi persuaseris, qvi tui laudi, tuisqve studiis libentissimè serviat. Hoc enim si credes, res ipsa te profectò nunqvam fallet. Vale. XVIII. Kalend. Septemb. M.D.LXXII.

ANTONIO FURNARIO, NEAPOLIM.

EPIST. XV.

Nunciat Furnario, se, cùm Romam profectus esset, ut filiam ibi relictam in patriam ad nuptias reduceret, jussu Pontif. Gregorii XIII. ibi sedem statuere, coactum esse: qvod ipsi gratum fore sperat.

(Amicitia non est utilitate metienda.)

Qvod

QVod felix, faustumqve sit, iterum Romæ sum, Id mihi, non dicam invito, (qvis enim invitus, honestâ præsertim conditione, Romæ sit?) sed certè nec opinanti contigisse, velim credas. Nam, cùm post obitum Pii qvincti, Pontif. Max. qvô sedente, nescio qvo meo fatô, secundis uti ventis haud satis mihi unqvam licuit, eo consilio ad urbem veniissem, ut nubilem jam filiam, qvam hîc biennio antè æger discedens in cœnobio celeberrimo, sacris commendatam viginibus, reliqveram, in patriam ad nuptias reducerem; exceptus incredibili omnium lætitiâ, precibus amicorum, suasu Cardinalium, jussu GREGOR. XIII. Pontif. Max. cujus ex mente, propter sanctitatem ac sapientiam, honesta omnia, utilia, salutaria proficiscuntur, sedem hîc statuere, & redeundi consilium abjicere sum coactus. Qvod tibi, mei amantissimo, qvi me olim discedente doluisti, significandum putavi. Videre enim mihi videor tuum vultum, cùm hæc leges. Utinam tu qvoqve videres animum meum, dum hæc scribo. Tua lætitia mihi lætitiam affert; in amore pari, qvi tuus est sensus, idem & est, & esse debet meus. Mutuæ voluntatis fructus non apparet: qvid tum? Non ii sumus, qvi amicitiam utilitate metiamur: jam pridem erudivi animum, & docui, vulgaria qvædam contemnere, in bonis, doctisqve viris fortunam non qværere, solâ virtute, qvæ nullâ re indiget, nullam extra se appetit, contentum esse. In qvo tuos sensus meis cùm sensibus congruere, neqve dubito, & vehementer gaudeo. Vale. Romæ. XII. Kal. Octob. M.D.LXXII.

MAR-

MARTINO BERCEVICÆO, PATAVIUM.

EPIST. XVI.

Excusat se, cur Epistolam Cratonis cum suis excudendam curâvit, quod ipsi molestum fore non speraverat, cùm aliis id petentibus denegârit; Bercevicæus, cur Patavii ad se venire non ausus sit, miratur.

Form. deferendi sua officia. Ibi: Utinam is sim (A)

EGo verò & postremis Cratonis literis respondi, contra qvàm tu existimas: & illius epistolam, tum qvia testis esset amicitiæ nostræ, tum qvod ita scripta, ut ad elegantiam parum, ad prudentiam certè nihil posset accedere, unà cum meis imprimendam curavi. Qvod tamen antea familiaribus meis, vehementer petentibus, excluseram. Nunc id ei submolestum fuisse, indicant literæ tuæ. In qvo summam ejus modestiam agnosco. Meæ qvidem cogitationes, præter illius laudem, nihil spectant. Qvod si aliter ei persuasum crederem, vitam mihi acerbam putarem. Nemo est, cui me magis debere & videar, & gaudeam. Volumen epistolarum mearum, cum valetudinis causâ ab urbe discederem, dedi negotium filio, ut ad eum mitteret; nec mandatum neglexit. Amat enim, observatqve Cratonem, pro suis erga nos officiis, æqvè propemodum, ac me ipsum. Qvod ais, Patavii cùm essem, adire te ad me, nisi Pinello duce, ausum non esse; cùm tamen Romæ perhumaniter à me esses acce-

acceptus: id eqvidem valdè sum miratus. Tibi tua virtus aditum facilè patefecit ad amicitiam meam. (A) Utinam is sim, qvi præstare aliqvid tua causâ possim: ambigere te non paterer de animo erga te meo. Filius te salutat. Vale. Venetiis. XII. Kalend. Sext. M. D. LXXI.

EPISTOLARUM PAULI MANUTII Liber XII.

CAMILLO PALÆOTTO, BONONIAM.

EPIST. I.

Palæottus scripserat, 1. literas Manutii fuisse sine nomine scriptas, 2. se vereri, ne Manutius Romæ rursus negotiorum mole obruatur. Respondet ad primum, se id vix credere, ac proinde cupit literas sibi remitti. Ad alterum, jubet ipsum melius ominari; se literis delectari, nec passurum, ut plus negotii sibi imponatur, qvàm instituti sui ratio permittat.

AIn tu? Literas ego sine nomine, præsertim ad te, qvem tanti facio, qvanti fortasse neminem? Eqvidem erratum meum vix agnosco. Itaqve peto à te, ut mihi literas illas remittas: qvò simul intelligam, de emblemate qvid scripserim: si modo is ego sum, qvi aliqvid scripse-

scripserim. Valde enim in hoc qvoqve perturbor. Qvòd ais, me rursus in bellum: ominare, qvæso, meliùs. Ego enim qvietem, ego otium, ego studia mea & urbi, & urbanis rebus antepono; sed si & urbe, & simul studiis meis frui licet, qvis erit tam iniqvus rerum æstimator, qvi mihi non concedat? Otii qvidem adhuc, qvantum optavi semper, tantum conceditur. Negotium sponte nullum suscipiam. Imponetur: feram, qvoad licebit, id est, qvoad instituti mei ratio permittet: nihil enim malo, qvàm posteris prodesse. In eo mihi divitiæ, in eo sunt omnia. Qvod si non assequor id, qvod propositum est: me tamen ipsum, conari & velle delectat. Utinam consuetudine tua ne carerem: nam, ea si accederet, in cœlo essem. Voluntas utriqve nostrum eadem fuit, facultas defuit. Vale. Romæ, XIII. Kalend. Octob. M.D.LXXII.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. II.

Agnoscit erratum amanuensis sui, in qvo cùm sub accuset negligentiam suam, culpæ veniam petit, ipsiqve de facilitate gratias agit. Deinde excusat se, cur in Villulam Palæotti nihil scribat, & per Prosopœjam sub nomine villæ ipsum hortatur, ut ipsemet illam ornet.

Form. Ego plurimum tibi debeo. Ibi: Tu enim is es. (A)

AGnovi erratum amanuensis: in qvo tamen sub accusone negligentiam meam. Nam, si scribere est officium: omnes officii partes complecti,

ejus

ejus est, qvi cùm vehementer amet, tum etiam amare vehementer debeat. Eum autem esse me si profitear, & prædicem, qvod utrumqve facio, faciamqve dum vivam: non est, cur me qvidqvam dare auribus, aut gratiæ causâ fingere, qvisqvam putet. Tu enim is es, (A) cujus in me ornando studium ejusmodi semper fuit, ut, non modò qvantum possim, sed plus etiam qvàm possim, tua debere causâ mihi videar. Ideo fit, ut, si qvid in minimis etiam rebus aut omittam, aut committam, sceleris propè loco ponam. Tu autem cùm dissimulas, mihiqve ignoscis, ingenium simul & humanitatem declaras: nec me tamen culpâ, curáve liberas. Ego enim, cùm tibi de ista facilitate agam gratias, ipse tamen mihi non ignosco. Aut eatenus ignosco, ut aliqvo dolore non caream. Villula tua, non est, cur à me qvicqvam expectet, cùm in te ipso sit, qvod aliunde qværis. Atqve illa qvidem, ut arbitror, tecum, si posset, ita loqveretur: Ego te fessum urbanis curis recreo: ego otium, ego tibi valetudinem restituo. A me fruges, à me poma, à me etiam aviculas & palato gratas, & stomacho utiles, habes. Deniqve aut, hic dum es, vivis, aut nunqvam vivis. Nunc tu me orna, qvod potes: noli pati me ad qvemqvam confugere, aut cuiqvam debere, nisi tibi, cui libenter debeo. Has voces, mi Camille, qvas tacita videtur emittere, noli contemnere: refer aliqvam gratiam bene merenti: ut, qvid tu illi, qvid illa tibi debeat, omnes intelligant. Qvam enim tu unus optimè nosti, qvis, nisi

nisi tu unus, de ea optimè loqvetur? Vale. Romæ, XIII. Kal. Decemb. M. D. LXXII.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. III.

Gratias agit de missis oleis: qvas inter poma referri posse existimet: si tamen eas potiùs fruges appellari mavult, non repugnat.

DE oleis qvid exspectas? Eadem, qvæ antea: adspectu pulchræ, sapore perqvam gratæ. Pleniores etiam, qvàm anno superiore, cœline munere? an tuo delectu? visæ sunt. Agerem gratias, si tua ferret humanitas, & nisi jam inter nos, pro vetere amicitia, ac familiaritate, putidum id esse videretur. Tuam qvidem industriam, qvòd eas tua manu severis, atqve alueris, nec admirari satis, nec laudare possum. Qvòd verò ejus industriæ fructum ad amicos etiam absentes pervenire vis, & qvòd in eo me numero locas: utriqve nostrûm æqvè gratulor. Nam de nomine, oleæne poma sint, in qvo tu mihi, susceptâ grammatici personâ, qvasi litem intendis, ipso à te munere delenitus non contendam. Qvanqvam, si nuces & amygdalæ, qvæ ipsa qvoqve oleum efficiunt, poma sint; qvod, opinor, non negabis: cur oleas inter poma referri non liceat, haud eqvidem intelligo. Sin tu, de earum nobilitate laborans: ut ferè suum opus amat omnis artifex, fruges appellari mavis: indulgebo non invitus: ne te mihi, tanqvam tuis muneribus detrahenti, subiratum liberalitatis tuæ cum

aliqvo fortasse meo damno pœniteat. Vale. V. Non. Januar. M.D.LXXIII.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. IV.

Nunciat Palæotto, se filiam suam unicam adolescenti docto, & fortunæ bonis instructo despondisse, & se jam vitam reliqvam animo curis vacuo tranqvillius acturum Romæ, modò per valetudinem liceat. Orationes Ciceronis, duabus exceptis, se commentationibus illustrasse scribit.

QVæ mihi res maximæ curæ fuit, ut in qva meas omnes cogitationes, omniaqve studia fixeram, & locâram, ea cùm ex animi sententia, divinô favente numine, successerit, literis tibi, mei amantissimo, significandum putavi. Unicam filiam, inter sacras virgines educatam, non hebetem ingenio, nec paucis, nisi me fallit amor, virtutibus instructam, juveni optimo satis honesti loci, haud postremi ordinis in jure civili, addo etiam, qvod hodie potissimùm reqviritur, à fortunæ bonis non imparato, meis reclamantibus, de sententia tamen fidelium amicorum despondi. Hoc tu meum consilium pro vetere nostra necessitudine, tuaq; æqvitate, non dubito qvin & probes, & ominibus optimis proseqvare. Eqvidem onus Ætnâ gravius deposuisse mihi videor: speroqve fore, ut, qvod reliqvum est vitæ, vacuo curis animô tranqvillè degam. Qværis, ubi? Romæ, si per valetudinem licebit. Nam hyeme ferè tota mecum actum est non optimè, communi tamen pituitæ morbô, qvo robustiores etiam laborarunt, alii sine periculo, alii sic,

sic, ut decesserint: in qvibus fuit is, cujus obitu dolendum est maximè, poëtica laude insignis Amaltheus. Mihi eadem, qvæ antea, victus ratio medicina fuit: nec dum audeo institutum mutare propter anni tempus inæqvale. In publicum, nisi necessaria re coactus, nunqvam prodeo: domesticis me finibus teneo: & cum libellis, id est, cum amoribus, & deliciis meis, jucundissimè vivo. Orationem pro Archia cum meo commentarioso, scire cupio, an acceperis? Absolvi jam in reliqvas omnes, duabus exceptis, pro Ligario, & Dejotaro: qvàm benè, alii judicabunt, magno certè cum labore, operâ nunqvam, nisi per morbum, intermissâ. Qviddam etiam explanare sum aggressus: &, ut se principia dederunt, videor aliqvid præstare posse. Assentior mihi fortasse: nam sua qvisq; amat. Veruntamen hîc omnes, præsertim qvi literis excellere putantur, initium, qvod ad te mitto, valde probant. Cardinalem, fratrem tuum, veteris exemplum innocentiæ, columen sanctæ sedis Apostolicæ, salutari à te meis verbis, magis opere cupio. Vale. Romæ. XII. Kalend. Martii. M. D. LXXIII.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. V.

1. Gratulatur Palæotto, qvòd & ipse filiam nobilissimo adolescenti desponderit. 2. Qvòdverò, rerum urbanarum abjecta curâ, solitudinem & otium cogitet, id ipsi dissuadet.

Form. Objectionis: At ego me literis totum tradidi. Id enim objicias &c. (A)

Sic tu par pari. Ego de filia mea paulò antè collocatâ, nunc tu de tuâ significas. Cujus rei qvæ tua lætitia sit, meus me sensus admonet. Eqvidem cum ea voluptate, qvam cepi superioribus diebus, qvam spero diuturnam fore, prorsus nihil confero. Et, qvia te pariter affectum existimo, mirabiliter gaudeo: postulat enim noster amor, ego secundis ut rebus tuis æqvè læter, ac meis; tu meis vicissim æqvè læteris, ac tuis. Gozadina familia vel doctrinâ, & sapientiâ, vel honoribus, & rebus gestis præclari nominis est. Generi tui pater is & fuit in omni vita, & nunc qvidem is maximè est, cui præferri nemo integritate, ingeniô, dignitate conferri possint admodum pauci. Filius adolescens, ex omni à te, tali viro, juventute probatus, atqve electus, non dubito, qvin & parentis, & majorum suorum laudibus egregiè respondeat. Qvò circa tibi, ùt debeo, ista conjunctione, vehementer gratulor: eamqve Deum Opt. Max. ita fortunare volo, ut majorem qvotidie tui consilii fructum, voluptatemqve capias. Qvòd autem, abjectâ rerum urbanarum curâ, otium & solitudinem cogitas: ignosce, non assentior. Tune, cùm auctoritate valeas, virtute excellas; cùm ita factus à natura sis, ita liberalibus disciplinis institutus, ut prodesse patriæ, laborantibus amicis opem ferre, familiam tuam, illam qvidem satis claram, adhuc tamen illustrare possis; tu hæc deseres omnia, ut uni tibi vivas? Obsecro, qvis probabit? Vel dicam etiam, te permitten-

mittente, qvis non improbabit? Ego sanè, qvi te natum rebus maximis gerendis jampridem intellexerim, si feceris id, qvod significas, ut salutem curiæ, foro, negotiis dicas, probabo fortasse ominis causâ, qvi tibi cupiam, qvidqvid agas, ex animi sententia succedere; sensibus tamen qvin angar intimis, impetrare à me non potero. Qvid ceteri? qvid sentient? qvid loqventur? Nam etsi genus illud vitæ, qvod ordiris, totum cum virtute conjunctum, reprehendi posse non videtur: tibi tamen, ùt opinor, multò minùs qvàm aliis pro tua superiore vita beneqve de omnibus merendi præclara consuetudine, conceditur. At ego me literis totum tradidi. Id enim objicies. (A) Diversa, mi Camille, ratio est. Ego enim, qvod præstare posse videor, homo à rebus gerendis alienus, valetudinis incommodæ, non magni animi, id libenter unum ago, & qvidem in urbe Roma, qvod tu miraris, ùt in deserta solitudine, interpellante nemine. Qvod beneficium optatum antea potiùs, qvàm speratum nunc à Pontifice optimo, ac liberalissimo, ad excitanda doctrinarum ingenuarum studia mirè propenso, GREGORIO XIII. acceptum meminero & prædicabo, dum vivam: fortasse etiam scripta mea, me mortuo, loqventur, & obscurum posteris esse non sinent. Ego igitur, si cum libellis assiduè sum, & hôc non modò ad naturam, verùm etiam ad valetudinem meam apto vitæ genere delector: peccare me non arbitror. Te tua nobilitas, animi non minor, qvam ingenii præstantia, perspecta sæpe virtus, ipsa patria vocat ad eas res, unde

laudes oriuntur maximæ; ut, qvod tibi vitæ reliqvum erit, non privatis humilibusqve curis in remota villula, montanaqve crepidine, sed actionibus nobilissimis, in oculis, & in auribus clarissimæ atq; eruditissimæ civitatis perpetuò traducas. Qvod si feceris, aut si omnino neglexeris: medium enim qviddam est: magnopere cùm tua, tùm communi etiam multorum causâ lætabor. Vale, & fratri tuo, integerrimo, ac sapientissimo Cardinali, & Sigonio, nostræ ætatis ornamento, ad illustrandam antiqvitatem nato, salutem à me plurimam. Romæ. M. D. LXXII.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. VI.

Nunciat Palæotto, se ex trium mensium morbo incipere convalescere, sed tamen adhuc infirmo stomacho & capite esse, nec posse, sine sensu doloris, gradum facere. Deinde de missis oleis gratias illi ait. Deniq; res suas esse satis prosperas scribit.

POst gravem trium ferè mensium morbum nunc deniq; incipit esse mihi paulò commodiùs. Nec tamen adhuc vel eo, qvô solebam, stomacho, vel ita firmo utor capite, ut cogitandi, aut etiam legendi laborem sustineam; gradum verò facere sine sensu doloris, aperto nuper educendis humoribus lævo cruce, neqve dum possum, & conari, suprà qvam vires patiantur, non audeo. Qvæ qvoniam fieri qvotidiè mitiora sentio; aliqvam in dolore voluptatem capio: cùm præsertim propè anniversa-

rius

rius hostis valetudinis meæ jam abierit autumnus. Oleis tuis, qvibus me, qvocunqve locô sim, carere non pateris, in qvo tuam benevolentiam agnosco, fruar cum filia, & genero. Simul enim vivimus, & planè vivimus. Ego autem parcè, qvia nondum firmus offensiones etiam minimas extimesco. Illi comedent liberiùs, qvia rectè valent, nec in cibis plus minusvè dijudicant. De me ipso dixi: de rebus meis, qvod ad te scriberem, novi nihil erat. Omnia ferè sunt eadem, qvæ antea hilaria satis, & prospera; ampla non dixerim, ne mentiar; qvanqvam hoc vulgi more loqvor. Nam, si ampla sunt ea, qvibus majora non expetimus; ampliſſimis fruor. Nihil enim deest, qvod natura desideret: qvod autem natura non desiderat, abesse facilè patior. Vale. Romæ, Id. Decemb.

ANTONIO FURNARIO, NEAPOLIM.

EPIST. VII.

Gratulatur sibi de Furnarii amicitia, & licet gratiam nondum retulerit, se tamen sæpe de ipso cogitare, ipsum colere & amare, asserit. Deinde de citreis missis gratias agit.

VAlde sum lætatus lætitiâ tuâ, humaniſſimis, & ornatiſſimis literis expressâ. Amoris enim index est. Amari autem à te, qvo nihil amabilibus, sive probitas, sive doctrina cogitetur, qvis tanti non æstimet, qvanti ea, qvæ summa sunt? Nec verò, qvanqvam voluntatis erga te meæ nullus ad-

huc qvidem fructus exiſtat, à me tibi gratiam non referri, debes exiſtimare. Nam, etſi disjuncti ſatis longè ſumus, & congrediendi, colloqvendiqve facultatem intervalla locorum impediunt; meus tamen in te animus eſt, de te ſæpe cogitat, de te etiam, nec mediocri voluptate, ſecum ipſe nonnunqvam loqvitur. Et, ſi tu, amare & colere, officium eſſe putas; officia tibi mea nunqvam deeſſe, teſtis ipſe mihi ſum. Citrea, qvæ mittis, eò mihi gratiora ſunt, qvòd, ut mitteres, non te magis inſtituti tui memoria, qvam amor admonuit. Qvod autem addis, eis ſtomachum imbecillum confirmari: cupio verum eſſe, idq; mihi perſuaderi facilè patior: qvandoqvidem & hôc medicinæ genere nihil ſuavius: &, ſtomacho ſi valerem, hac ferè valetudine, præſertim jam ſenior, contentus eſſe poſſem. Nam, ut robuſtioribus me conferam, optare non debeo: cùm id mihi natura ſemper, nunc etiam ætas deneget. Vale. Româ. IV. Non. Octob. M. D. LXXII.

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. VIII.

Gratulatur ſibi de Furnarii amicitia, in cujus amore ſe felicitatem ſuam ponere ſcribit. Deinde illi de munuſculo gratias agit.

VIx credas, & memoriâ noſtri tua qvàm delecter, & eas, qvas mittis, epiſtolas, qvibus ipſa memoria declaratur, qvàm libenter legam. Ego enim hoc mihi primum ab ipſa natura videor accepiſſe, ut

ut amari vellem à tui similibus: qvi qvidem hodie (ne assentari me putes, à qvo vitio longè absum,) qvàm pauci sint, qvi rectè judicant, mecum omnes intelligunt. Accessit ratio, qvæ voluntatem auxit, atqve in hanc partem qvasi propendentem impulit. Hoc mihi bonum, id est, amicitiam tuam, cùm tua mihi ultrà detulerit humanitas, qvam à me putas felicitatem præferri? Atqve adeo cur non in hoc ipso felicitatem esse maximam existimem? Est igitur, cur & ipse mihi gratuler, & tibi gratias agam. Qvorum alterum perpetò à me fit: alterum ut fiat, à tua singulari benignitate non conceditur. Munusculô tuô, cùm hæc inter nos minimè necessaria sint, (qvippe omnibus muneribus mutua præstat benevolentia,) nihil tamen gratius. Vale. Romæ. XVII. Kal. Febr. M. D. LXXII.

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. IX.

Gratias agit Furnario de cotoneis missis.

AMabo te, mihi Furnari, qvid tibi in mentem venit? An tu me vis muneribus obruere? Ego enim illa scripseram, non ut peterem, sed ut admonerem, spectans videlicet illud tempus, qvod adhuc qvidem longè distat. Amoris hæc nimirum interpretatio fuit. Amor autem errare non potest: aut, si errat, gratificandi voluntatem secutus, & benè merendi studiô ductus, qvis tam insipiens, aut rerum tàm iniqvus æstimator est, qvi non eum laude potiùs, qvàm reprehensione dignum ducat?

Cotonea sanè ipsa tam celeriter abs te missa, mihi accidisse perqvam grata, nec possum negare, nec debeo. Utar iis, ut consuevi, post cibum, libenter, ut egregiè conditis; utiliter, ut remediô pituitâ laborantibus aptissimô. O te amicum optimum! tantumne? Immô etiam medicum suavem, qvi curat simul & delectat. Qvalem qvi reperit, si eum in oculis non fert, cùm humanitatem ignorat prorsus, tum sua ipse diligere commoda non videtur. Vale. Romæ. III. Kal. Febr. M. D. LXXIII.

P. S. Medicos omnes de conditis cotoneis audio sentire meliùs, qvàm de citreis. Itaqve posthac, qvando tu, ut video, tuum institutum retinere vis, nec ego contrà disputo, illa malim propter valetudinem; sic tamen, ut pura sint, non cum aromatibus, & sicciora densa, qvàm tremulo coacta gelu.

JOANNI CRATONI, VIENNAM.

EPIST. X.

Gratias agit Cratoni de missa ad se epistola. 2. Causas exponit, cur Roma se detineri passus sit. 3. Rogat, ut se Oratori Cæsareo, qvi Romam in demortui locum mittetur, de meliore nota commendet.

EPistolam tuam, à te datam XVII. Kal. Nov. accepi VII. Kal. Decemb. eò sanè gratiorem, qvò minùs hoc tempore exspectatam. Novi enim, qvàm vacuus nunqvam sis, non tàm à tuo munere, qvàm ab amicorum negotiis, qvæ ita suscipis, ut sustineas, donec ac exitum perferantur. Scripsisti igitur amo-

amore impulsus, & omnia vicit humanitas tua. Quo tibi nomine debere me multum dicerem, nisi tantum jam deberem, quantum persolvere vix possim. Romam quâ causâ adductus venerim, scripsit, opinor, ad te filius; quæ retinuerit, à me cognosce. Atque hoc primum, quod tibi pro tua in me singulari benevolentia maximè voluptati fore non dubito: incredibili sum exceptus hominum lætitiâ. Pontifex ipse, præclarè in optimas artes animatus, cognito adventu meo, læti animi signa ostendit, negotiumque Cardinalibus dedit, ut ita mecum de mansione agerent, ne discedere paterentur. Noli quærere, quàm sim lætatus: non quò libenter abessem à meis, quibus mihi dulcius in vita nihil est: aut quò penderem ab aulicis honoribus, qui ne juvenem quidem moverant unquam, ne nunc senem: sed ut homines, obliti superiorum temporum, eundem in urbe Roma, qui semper fuit, virtuti locum esse perspicerent. Parui rogantibus, cognitâ præsertim Pontificis voluntate. Stipendium satis per se tenue, in quo meam facilitatem nonnulli reprehendunt; cum libertate & otio maximum videtur. Nihil oneris imponitur. Literis, ut in solitudine, frui licet, &, ut spero licebit. Unum, aut alterum Cardinalem bis in mense, terve summùm, vel quia me diligunt, vel quia virtute excellunt, salutare consuevi. Cœlum idem experior, quod antea, humidum, grave, inæquale: nec tamen valeo deteriùs, quàm in patria; vel quia, quod te virum doctissimum non fugit, hilaritas animi corpori medicinam facit; vel quia me

dome-

domesticæ tricæ sollicitum non habent; vel fortasse etiam propter vina, qvæ sunt hîc ex omni genere optima. Pituitâ carere jam non possum, sexagenarius laborem scribendi, aut legendi ferè nunqvam intermittens. Vereor, si longior epistola sit, ne tibi molestiam afferam: nisi si hæc ipsa tibi molestia major est, qvòd excusâtione tecum utar. A te igitur peto, ut qvemcunqve Cæsar oratorem in demortui locum Romam mittet, ei me de meliore notâ commendes. Dicerem, significationem amoris in me tui commendationem fore omnium gravissimam: cùm nemo sit, qvin facilè diligat, qvem diligi à te sentiat: sed egone tibi præscribam, homini omnium, qvos in vita noverim, humanissimo & prudentissimo? Vale. Romæ. Kal. Decemb. M.D. LXXII.

JOH. SARIO ZAMOSCIO.

EPIST. X.

Excusat se Joh. Zamoscio de literarum brevitate & raritate.

MUltorum mensium adversâ valetudine vexatus, omni prorsus carebam legendi, scribendiqve facultate. Qvod eô mihi in primis nomine permolestum est, qvia, multis ad me scribentibus, respondere sine valetudinis incommodo vix possum. Nam, etsi depulsa vis est morbi: pristinas tamen vires desidero, & capitis infirmitas non modo literarum, sed propè sermonis usum adimit qvotidiani. Dabis igitur, mi Zamosci, veniam homini tui amantissimo, qvi te pro ingenii doctrinæq; præstantiâ

stantiâ summis ornare laudibus nunqvam desinit, si ad tuam elegantissimam epistolam hoc unum rescribo, rescribere me tibi pluribus verbis, hôc qvidem tempore, non licere. Nam, cùm licebit, persuade tibi, non esse me commissurum, ut debitum humanitati, amicitiæqve nostræ officium non persolvam. Interim hæc pauca, ùt recenti morbo, vacillantibus literulis. Vale. Romæ, Non. Decemb M. D. LXXIII.

UBERTO FOLIETÆ.

EPIST. XII.

Laudat Elogia illustrium virorum à Folieta conscripta.

Form. Causam scriptionis allegare. Ibi: Etsi tu is es. (A)

ETsi tu is es, (A) cujus ingenium & virtus neqve meum, neqve cujusqvam omnino testimonium desideret; tamen vel amor in te meus, vel ipsa veritas adduxit, ut exstare vellem de tuis Elogiis judicium meum, non tàm apud te, qvi te ipsum egregiè nôsti, qvàm apud omnes gentes, atqve adeo apud ipsam posteritatem, qvæ de studiis ingeniisqve nostris, expers amoris & odii, pro cujusq; meritô sententiam feret. Ego enim tua scripta & legeram ante multos annos, & ita probaram, ut ex iis, qvi tunc excellere putabantur, tibi neminem anteferrem: nunc ut verè dicam, non ut gratiæ causâ tuis auribus largiri qvidqvam velim, hæc de tuis Liguribus illustris, & diligens, & ornata commemoratio ita mihi placuit, ut, qvi conferri tecum

hoc

hoc in genere possit, prorsus neminem esse judicaverim. Nam ex universa Italia, aut ex multis provinciis multarum virtutum exempla colligere, id qvod ex veteribus multi, ex recentioribus nonnulli fecerunt, haud sanè magni negotii videtur esse; ex una verò civitate, & ex una satis angusta regione tanqvam ex uberrimo fonte multos haurire, qvi vitæ sanctitate, qvi militari gloriâ, qvi reipublicæ administrandæ scientiâ, qvi solertiâ & investigandi novarum rerum, novarumqve gentium studio, qvi etiam literis & eloqventiâ floruerint, hodieqve floreant, admirandum qviddam est, & immortali laude dignissimum. In qva cogitatione dum versor, non eqvidem patriæ tuæ gratulor, qvòd eos cives tulerit, qvi tantas res gererent, aut qvi insigni aliqva laude inter ceteros eminerent, qvàm qvòd tu incredibili qvodam erga tuos amore incensus, ad eorum memoriam ab interitu vindicandam, ingenium artemqve contuleris. Vivunt enim nomina, consumptis corporibus, excellenti scriptorum industriâ: &, si præconem virtus invenit, elucet; eô si caret, obscuratur, & exstinguitur. Qvocirca vel iis ipsis, qvi ornati à te sunt, qvorum hodiè nonnulli sua gloriâ vivi perfruuntur, vel eorum posteris tanti debet esse munus, officiumqve tuum, qvanti semper à fortibus ac sapientibus viris æstimatam nominis æternitatem videmus, qvi eam non modò laboribus, ac periculis, verùm etiam vitâ, ac sanguine qværendam putarunt. Et, ut aliqvid de meo sensu, cùm alumnum disciplinæ meæ, præstanti virum ingenio, natum maxi-

maximis rebus, ornatè dicendi scribendiqve facultate, sive Latina lingua, sive communis Italica spectetur, nemini prorsus ætate nostrâ concedentem, proprii elogii laude decorasti, etsi debitum in eo virtuti præmium persolvisti, me tamen, pro mea in illum singulari benevolentia, qvâ voluptate lætitiaqve affeceris, qvô tibi beneficiô devinxeris, nec mihi verbis exprimere, nec tibi cogitatione conseqvi facillimum sit. Ac tu qvidem materiam cepisti nobilem, & præclaram: sed ut ea speciosior, & jucundior, & ut ita dicam, se ipsâ major sit, eloqventiæ tuæ præstantiâ conseqveris. Omitto reliqva, ne sim nimius: nam sua qvidq; laude dignum est; sed in principiis tam multis tantam varietatem, tàm splendidam, tàm elegantem qvis non admiretur, aut qvis vidit unqvam? In ceteris enim elogiorum partibus tui nunqvam non similis, id est, gravis, & sublimis, & ornatus; in hac verò tantus es, ut in illis certare cum aliis, in hac te ipsum vincere voluisse videaris. Macte vir ingenio, atqve virtute, optimè de patria merite, cui tot cives, tot heroës, tot Principes, communi fatorum lege ereptos, vel temporis injuriam timentes, restituis, atqve conservas. Nunc illa te suæ studiosum dignitatis, publici cupidum commodi, vereq; suum alumnum agnoscit: nunc amplectitur absentem: nunc incolumem, florentem, beatum exoptat. Qvæ tibi merces una pietatis in illam perpetuæ præstantissima videtur. Vale. Romæ, ex ædibus, prid. Kalend. Decemb. M.D.LXXII.

CÆSA-

CÆSARI ORLANDO.

EPIST. XIII.

Assentandi suspicionem à se amolitus, gratulatur sibi de amicitia Cæs. Orlandi, JCti doctissimi, & illi gratias agit, qvòd Bibliotheca ipsius & doctrina sibi pateat.

Form. Gratias agendi, vel pollicendi gratum animum. Ibi: Agerem tibi gratias. (A)

Form. Excusandi se de laudibus alteri tributis. Ibi: Hæc interim. (B)

NIhil abest à natura mea longius, qvàm vel assentari, qvod sui commodi spe pleriqve faciunt: vel inanibus verbis tempus conterere, qvod ejus est, qvi minimè sua bona novit, qviqve se cùm sibi, & suis, tum etiam civibus universis, & patriæ natum obliviscitur. Ego, mi Cæsar, cùm utrumqve nostrûm æqvâ lance perpendo, cur ipse tibi assentiar, causam video esse nullam. Tu enim tua virtute, ego mea fortunâ contentus vivo. Si qvis didicit esse blandus, ut alterum capiat: ejus artificio locus apud te non est. Ego autem, si assentatio mercedem spectat, aut emolumentum aliqvod aucupatur, nihil habeo, qvod à te exspectem, aut qvod petam præstantius benevolentiâ tuâ. At eam adeptus jam sum: adeptamqve tanti facio, ut nihil anteponam. Amari enim ab homine excellentis ingenii, summæ probitatis, cogitationes curasqve suas omnes ad unam virtutem referente, Jurisconsulto deniqve eruditissimo, non ex recenti barbarie, sed ad illam doctrinæ veteris elegantiam exculto; amari, inqvam, abs te, tali viro, & frui benevo-

nevolentiâ tuâ, ipsum per se optabile est. Cùm verò eadem benevolentiâ multa mihi qvotidie commoda nascantur: qvid est, qvod me tibi debere non confitear? Mitto reliqva: illud omnium maximum nec meminisse, nec prædicare unqvam desinam, qvod mihi non solùm bibliotheca tua omni propè referta librorum genere, sed ea, qvâ excellis, doctrina ita patet, ut, si qvem ex his commentariis, qvos in Ciceronis orationes diu noctuqve texo, posteritas fructum colliget, eum tibi ex aliqva parte acceptum referre debeat. Sunt enim qvædam, amissis duodecim Tabulis, omni penè formularum, responsorum, edictorum exstincta memoriâ, ita complicata, & involuta, ut, nisi singularis Jurisconsulti scientia, usu confirmata, aucta ingeniô, adhibeatur, explicari, & evolvi vix, aut ne vix qvidem interdum possint. Agerem tibi gratias de isto munere, si vel tua pateretur humanitas; vel ego is essem, qvi bene de me merenti verbis potiùs, qvam re satisfactum esse vellem. Memoriâ tuebor officia tua, donec illucescat ille dies, ut referre gratiam liceat: qvod si assequar, non dubito, qvin tu, qvem tibi hominem adjunxeris, cùm intelligas, tuâ præstanti liberalitate, beneqve agendi consuetudine vehementer lætere.. Hæc interim, (B) cùm de officio meo cogitarem, facere non potui, qvin ad te scriberem: qvanqvam & à studiis meis, invitus avellerer, &, ut verè dicam, non me tuus tantùm, sed meus etiam pudor ab hoc argumenti genere, qvod totum ad tuam laudem perti-

net, haud mediocriter avocaret. Vale. Ex ædibus Prid. Non. Dec. M.D.LXXII.

MAXIMO ZABRERÆ,

EPIST. XIV.

Excusat se, qvòd libro illius aliqvantò diutius usus sit: & si fortè ideo offensus ad se visendi officium intermiserit, rogat, ne errato suo tam gravem pœnam constituat, sed ut interdum ad se veniat: neque tamen se eum esse scribit, qvi ipsi vel cuiqvam alteri incommodare velit.

Form. Salutandi. Ibi: Ad qvem cum literas mittes. (A)

SI qvis est, qvi tuam humanitatem, tuosqve mores & probè norit, & laudare locô nunqvam desinat: eum esse me, velim existimes. Veruntamen, cùm ego diutius, qvàm studia fortasse tua patiebantur, eô, qvem superiore mihi æstate commodaveras, librô sim usus, nonnunqvam mihi, ne tu duriùs id acceperis, venit in mentem suspicari. Adire ad me solebas: nec in officio tuo mediocre beneficium erat: qvippe tuâ suavitate exhilarabar: delectabar ingenio: doctrinâ etiam, in qva mentiar, si tibi qvemqvam ex æqvalibus tuis anteponam, nonnihil interdum & levabatur labor meus, & adjuvabatur industria. Hæc nisi restituis, nimiùm à te gravis errato meo si modo erratum esse vis, pœna constituitur. Longè, inqvis, habitas. Fateor: nec tamen ultra mille passus. At memini, cùm ad templum divi Petri, ùt es religioni deditus, maximeqve pius, itare qvotidiè soleres. Præclara

clara consuetudo: qvæ si manet, incommodi nihil meâ causâ suscipies. Non enim deviæ sunt ædes meæ: ab arce Sancti Angeli rectà euntibus ad basilicam Beati Petri propemodum occurrunt: sin autem intermissa est, & te Sanctæ Mariæ templum, qvàm Minervæ vocant, magis tenet; impetrare tamen debet amor in te meus, non dicam, ut qvotidiè unà simus, sed certè ut adspectu me, & sermone tuo, semel in mense frui sinas. Hæc, mi Maxime, ita velim accipias, ut si te delectant, seriò; si qvid offendunt, jocò dicta credas. Ego enim cùm eô sum ingeniô, ut incommodare velim nemini: tum eô erga te animô, ut tibi multò minùs, qvàm ceteris. Amo scilicet, uti debeo, studia tua: occupationes novi: brevitatem dierum video, additâ præsertim tempestate, ventis, frigoribus, imbribus infestâ. Gabriel frater tuus, omni laude ornatus adolescens, de qvo, ita vivam, ùt sæpè cogito, ùt valeat, qvid agat, qvam spem reditûs afferat, scire vehementer velim: ad qvem cum literas mittes, ita cupio salutem adscribas meis verbis, ut amari se à me non mediocriter intelligat. Vale. Ex ædib. Prid. Id. Jan. M. D. LXXIII.

M. ANTONIO CIOFANO, SULMONEM.

EPIST. XV.

Responsio ad gratulationem Ciofani de suo in Urbem Romam adventu, & prospera valetudine: qvæ cùm ab illius erga se amore profecta sit, gratiam se illi relaturum promittit.

Form. Laudes non agnoscere. Ibi: Laudibus iis. (A)

LÆtari te, qvòd Romam venerim, valeamqve, post itineris laborem satis comodè, cùm etiam atqve etiam gaudeam, minimè tamen miror. Facit hoc amor in me tuus, illo primùm tempore, qvo inita inter nos amicitia est, mihi non obscurè perspectus; qvotidiè postea iis illustrior officiis, qvæ si patiar ex animo meo deleri, peccasse mihi valdè videar. At gratiam non refero. Non arbitror te id spectare: qvæ tua humanitas est. Nec ego qvidem ex eo molestiam capio, qvi mihi sim conscius voluntatis in te meæ, &, si qva tui dabitur ornandi facultas, eam prætermittere non cogitem. Herculem qvidem, fratrem tuum, tibi & probitate & virtute simillimum, dum hîc ero, omni officiorum genere complectar. (A) Laudibus iis, qvas in me confers, non qvòd is sim, qvi gloriâ capiar, sed qvòd ex qvoqve ab amore proficiscuntur, magnopere delector. Vale. Romæ. V. Kal. Qvinct. M.D.LXXII.

AUGUSTINO ANGELELLO, FABRIANUM.

EPIST. XVI.

Significat Angelello, literis ipsius nihil esse sibi gratius. 2. Miratur, ipsum non rescribere, & causam ejus in occupationes confert.

Form. Literæ tuæ fuerunt mihi gratæ. Ibi: Persuade tibi. (A)

(A) PErsuade tibi, nihil mihi gratius, aut jucundius

dius esse posse literis tuis, & qvia purè inprimis, ornateqve loqvuntur, & qvod amorem in me tuum, perspectum illum qvidem à me antea, clarioribus tamen argumentis qvotidiè magis ostendunt. Inscriptiones misi ad filium; is te tuô meritô amat, & gaudet muneribus tuis. Mihi sanè, qvas proximè misisti, valdè probantur. Onuphrius ad te scripserat meo nomine, ut mitteres ad nos ea, qvæ nos olim ad te misimus. Tu nihil dum respondes, qvid putemus? Humanitatem, & diligentiam tuam non reqviram: est enim utraqve mihi probè cognita. Qvid ergo est? Occupationibus distineris: qvæ tamen adimere tibi nostri memoriam non debent, qvemadmodum nec ipse in magnis curis & negotiis tui possum obliviscì, qvanqvam literis tuis interdum non respondeam. Qvod si tu deteriorem in partem non accipis, facis qvod amicitiâ nostrâ dignum est. Vale. VII. Kalend. Jun. M. D. LXXII.

BRANCONDIO OPHIDANO.

EPIST. XVII.

Gratulatur sibi de amore Ophidani, à qvo laudatur, etsi qvidem laudes illas non agnoscit, tamen se gratias illi relaturum promittit.

Formula: Non agnoscere laudem. Ibi: Ut tantum mihi largiaris &c. (A)

EST omnibus à communi parente naturâ tributum, ut amari velint à sui similibus, & in animorum societate, & conjunctione multum ponant. Ego autem, qvorum eminet virtus, & qvibus in-

ipſis ea ſunt, qvæ præcipuum qvendam amorem conciliẽt, eorum amicitiâ nihil optabilius, nihil eſſe præſtantius, exiſtimo. Atqve ego te, vel hominum ſermone, vel tuis literis ornatiſſimè ſcriptis adductus, in horum numerum libenter aggrego; mihi autem vel maximè gratulor, qvòd ita te ſentire video de ſtudiis meis, ut mihi tantum largiare, qvantum ſi agnoſcam, aut ipſe me parùm noſſe, aut, qvos mea mihi fines modeſtia præſcribit, eos præterire longè videar. Nec tamen contra tuam benignitatem diſputo: potiùs eam amplector, atqve amo. Qvod ſi res tulerit, ut referre gratias poſſim, in his præſertim rebus, qvæ ad tuam laudem pertineant: dabo operam, ut eo te eſſe apud me locô, qvem tua virtus poſtulat, intelligas, & in magnâ tui amantiſſimorum hominum copiâ, me tamen eorum nemini concedere. Vale. Romæ. Pridie Non. Novemb. M.D. LXXII.

PAU-

PAULI MANUTII
PRÆFATIONES,
QVIBUS LIBRI
AD ILLUSTRES VIROS AUT
AD AMICOS MISSI
COMMENDANTUR.
Ad
MATTHÆUM SENAREGAM.
AMBROSII FILIUM,
In Epistolas Ciceronis, qvæ familiares vocantur.

I.
ARGUMENTUM.

Cùm Senarega sibi de amicitia Manutii gratulatus sit, ipse vicissim causas affert, cur illum in amicitiam & convictum ac disciplinam receperit; videlicet qvòd non patiatur, se voluptatibus à studiis literarum abduci: qvòd pietati ante omnia studeat: in qvo studio ut pergat, illum monet, his potissimùm rationibus, 1. qvòd sic saluti animæ consulat. 2. qvòd patrem lætitiâ perfundat. 3. qvod Manutio ipsi hoc nomine carissimus sit. Cujus rei testem is voluit esse Volumen Epistolarum Cic. familiarium, qvod illi inscribit.

TUônè, Matthæe Senarega, an meô dicam felici contigisse fatô, ut, relictô Lovanienſi celeberrimô gymnaſiô, qvò, tanqvam ad mercatum bonarum artium, virtutis & eloqventiæ comparandæ causâ, conceſſeras, Venetias te hoc potiſſimum nomine contuleris, qvòd noſtri, ùt ipſe dicere ſolitus es, videndi & cognoſcendi mira qvædam te cupiditas incenderat? Tu qvidem, ſi tuum ſenſum attendo, vis me hoc tribuere fortunæ tuæ. Nam, qvòd ita evenerit, non modò ut ad amicitiam, & conſuetudinem, verùm etiam ad convictum, & contubernium meum tibi aditus patuerit; in eô, qvaſi tibi qviddam expetendum contigerit, ipſe tibi gratulari plurimùm ſolitus es. De qvo, non eſt meum ſtatuere, verène ſentias, an ſecus. At illud meum eſt, paucis oſtendere, cur tu contrà mihi cariſſimus, jucundiſſimusqve ſis, &, qvòd nunc in meis ædibus mecum habites, mecumqve vivas, in eo ego qvoq; meæ felicitatis aliqvid agnoſcam. Nam, ſi tu ita de me ſentis honorificè, qvod judiciô moveàris; æqvum eſt, mihi à te concedi, ùt ego de te non minùs verè, qvàm tu de me, judicare poſſim. Sin iſtam tibi de me opinionem peperit humanitas: me qvoqve non ſolum natura, ſed ipſa jam ratio docuit, præclarum eſſe, humanitate excellere. Itaqve do me libenter in eam partem, ut homines officiis colam, laudibus exornem, re, ſi opus eſt, pro mea tenuitate ſuſtentem. Sed mehercule ego de te, mi Matthæe, à vero animi mei ſenſu judico: nihil me gratia,

gratia, nihil afficit ambitio. Primùm, cùm aliqvoties mei salutandi causâ domum meam venisses, pellexisti me in amorem tui, comitate morum, & lenitate sermonis. Deinde, qvòd jam non tibi modò, verùm & aliis petentibus negaveram, atqve excluseram, ut ego te domo reciperem, eloqventiæqve studiis erudirem, multis precibus usus pervicisti. Nec mihi tamen, qvod tibi, meorum sermonum cupiditate flagranti, meamqve domesticam consuetudinem petenti, satisfecerim, adhuc venit in mentem pœnitere: qvin, qvò plus ad nostrum convictum accedit temporis, eo majorem è tuis moribus, tuisqve studiis haurio suavitatem. Non enim tàm hoc in te laudo, qvod certè in adolescente summa laude dignum est, qvòd à studio doctrinæ non te suis illecebris voluptas, non commodum, ne ipsa qvidem valetudinis ratio deducit; qvàm illud & admiror, & prædicare satis pro dignitate non possum, qvòd in tuis cogitationibus hæc tibi prima est, & antiqvissima, ut Deum optimum maximum, à qvo uno, qvæ verè bona sunt, emanant omnia, humanis rebus, qvæ fluxæ nimis, infirmæqve sunt, longè omnibus anteponas. Perge, adolescens optime, in hoc præclaro divinoqve sensu. Hæc est omnium rerum una nobilissima, una mihi crede, qvæ omnium Philosophorum scientias, una, qvæ omnium Regum opes facilè vincat. Qvare tu qvidem oblecta te, qvod facis, eloqventiæ studiô: in qvâ, qvo modo principia se dant, futurum auguror, ut brevi superiorem neminem, aliqvando ne parem qvidem habeas. Sed illud stet in pri-

mis, neqve unqvam excidat, omnium virtutum Pietatem in Deum esse fundamentum. Ac vide, qvot inde tibi bona fluant. Primùm, tuæ salutis consulueris egregiè; animi salutem appello, non corporis. Decet enim nos æternam potiùs illam vitam, omni felicitate circumfluentem, qvàm hanc, qvæ temporum spatiis definitur, miseriis nunqvam vacantem, cogitare. Deinde, patrem tuum, qvi, ùt audio de multis, atqve etiam de te ipso, humanam prudentiam præ divina religione nihil esse putat, incredibili voluptate lætitiaqve perfundes. Cui qvantum debeas, non ex eo solùm intellige, qvòd pater est; sed qvòd is pater, qvi te filium vult esse inter tuos cives omni re florentem, atqve honoratum; qvi te consiliis à puero sapientissimis erudivit; qvi te suo exemplo, suis optimis institutis, ac factis ad laudem qvotidiè vocat. Tali patri, tàm probo, tàm tui amanti, tàm libenter suas omnes curas in te consumenti, curare debes, ut id, qvod reliqvum est vitæ, per te sit jucundissimum. Qvod ita conseqveris, si statueris, qvibus artibus ideò nunc operam das, ut aliqvando ceteris hominibus elegantiâ sermonis, & scientia rerum antecellas, earum artium infirmam esse gloriam, nisi perpetuò erga summum Deum amore studioqve fulciatur. Mihi qvidem, cui tu carissimus esse aut vis, aut certè ita videris velle, ut mihi persuadeas, magis ulla re placere non poteris, qvàm si te in eo, qvod instituisti, vitæ innocenter & cum virtute degendæ studio constantem, tuiqve simillimum videro. Et, ut jam nunc intelligas, qvos in animis hominum

amoris

amoris igniculos vera virtus accendat; scis qvinctum abhinc mensem mihi tecum nihil fuisse, te mihi nunqvam visum, ignotam mihi tuam faciem, obscurum nomen; nunc, apud me qvo loco sis, intelligere te puto. Pauciſſimis diebus ex convictu consuetudo, ex consuetudine amor, ex amore familiaritas exorta. Itaqve tecum & sæpiſſime sum, qvod sub iisdem tectis necesse est, & admodum jucundè, qvod eâ, qvæ in tuis moribus elucet, probitate conseqveris. Et, qvoniam is ego sum, qvi qvo me voluntas ducat à ratione profecta, eò libenter seqvar; gessi morem animo meo, tacitè hortanti, ut hanc meam ad te amandum propensionem non modò tibi, sed, qvatenus qvidem per me liceat, reliqvis etiam hominibus illustri aliqvo officio ac munere declararem. Cumqve tuliſſet casus, ut hoc tempore Ciceronis epistolæ familiares eæ, qvas tu jam legendo & pervolutando trivisti, denuo typis, ut nunc loqvimur, essent imprimendæ: peropportunè ad id, qvod volebam, visa res est. Nam hunc librum si cum tui nominis inscriptione publicarem, putavi me facere qviddam, qvod utriqve nostrûm æqvè conveniret: tibi; qvia ex his primùm Ciceronis epistolis ad Latinæ orationis elegantiam informamur, ex his primus eloqventiæ qvasi succus, qvi qvalis initio fuerit, permagni interest, ebibitur: mihi; qvia, cùm hic liber omnium ferè versetur inter manus, circumferet, id qvod ego cupio, tuum nomen, & meum de te judicium, meamqve spem qvàm plurimis ostendet. Qvorum alterum est ejusmodi, ut ego tibi nunc ex æqvalibus tuis nemi-

neminem in ullo genere laudis anteponam; altera, cùm ætate processeris, ea mihi de te pollicetur qvæ si evenerint, (omnium autem rerum eventus in Deo positus est) vir eris inter viros maximus, habebit à te familia tua memoriam nominis sempiternam, patria verò exemplum in civitate virtutis excolendæ præclarissimum. Venetiis. M.D.LIV. mense Majo.

AD CAROLUM PISAURIUM LEONARDI FILIUM, IN EPISTOLAS CICERONIS AD ATTICUM.

I.

ARGUMENTUM.

Beneficia à patre & patruo Pisaurii in se profecta prædicat: qvibus, cùm respondere non possit, se laudibus ipsorum inserviturum promittit, ac in primis hujus Caroli, qvi cùm disciplinæ suæ alumnus fuerit, hortatur eum, ut nihil humile cogitet, sed operam det, ut familiam suam illustriorem reddat. Deinde, cùm sacris se addixerit, ac proinde ipse sibi legem continentiæ posuerit, monet ipsum, ut vitatis voluptatibus virtutis viam ingrediatur. Qvam admonitionem, cùm coràm verbis cum ipso agere neqveat, literis consignatam ad ipsum unà cum Epistolis Ciceronis ad Atticum mittit, rogans, ut munus hoc æqvi bonique consulat.

BEneficiorum, Carole Pisauri, non eadem omnium est ratio. Multi, qvid detur, spectare solent, suâ qvidqve magnitudine metiuntur, nihil atten-

attendunt præterea: ego potiùs, qvibus de causis, & à qvo homine detur, animadverto; ac, si qvid in aliqvem, aut in me ipsum collatum est gratiæ, tanti soleo æstimare, qvanti videtur is, qvi contulit, æstimandus. Hinc fit, ut, qvæ à patre tuo, viro sapientissimo, & cùm aliis laudibus ornato, tum vero omnium, qvos ego in vita noverim, humanissimô, qvæ item à patruo, qvi nuper magno bonorum omnium mœrore mortuus est, Joanne Maria, Paphi Episcopo, excellenti non minùs doctrinâ, qvàm bonitate prædito, diversis temporibus in me profecta sunt officia, ea qvanqvam summa non fuerint, (neqve enim tulit occasio, neqve rationes meæ postularunt) pro summis tamen acceperim, & earum rerum locô duxerim, qvæ qvi possident, beati existimantur. Fons enim ille, unde manarunt, amor fuit, & cum amore judicium, qvod uterqve de me habuit. Qvod eqvidem, si potero, tuebor officiis: studio certè, omniqve prorsus curâ, atqve industriâ bonum virum, meritorumqve memorem præstabo. Qvod si liceret ingenium cum voluntate conjungere, ut alterum alteri responderet, & cupiditati vires æqvarentur; illustrarem beneficia vestra; ac fortasse efficerem, ut gratia mihi à vobis aliqva deberetur, gratiam persolventi. Verùm, ut, hoc qvidem ab infirmitate mea sperari minimè posse, non solùm intelligo, verùm etiam ingenuè confiteor: sic illud facilè polliceor, vereqve affirmo, si qvid aut jam est in me facultatis, aut erit aliqvando, iis in qvibus assiduè versor, studiis partum, & vigiliis, velle me id in omni mea vita, qvantumcunq; erit,

servi-

ſervire totum veſtræ laudi, tuæ præſertim; qvæ cùm à meis præceptis, & conſiliis originem duxerit, exornabo eam, tanqvam opus meum, qvibus potero artibus, qva licebit induſtria; florentemqve pulcherrimis virtutibus alumnum diſciplinæ meæ cùm inſpiciam, gratulabor utriqve noſtrum pariter, fructumqve amoris & ſtudii veteris in te mei ex tua gloria uberrimum capiam. Ac tu qvidem, mi Carole, cùm tibi naſci contigerit ex ea familia, in qvâ ſemper verus honor, & ſplendor virtutis enituit, nihil debes humile cogitare, nihil anguſtum, nihil obſcurum, aut inane; excelſa petat animus tuus; ampla, illuſtria, plena dignitatis & gloriæ. Qvò te ſemper à tua primâ pueritia mea vox incitavit: qvò pater tuus, cujus ad te cogitationes curæqve referuntur omnes, aſſiduè cohortatur: qvò deniqve te vocant majorum tuorum exempla; qvorum nomina nulla dies exſtingvet, nulla obſcurabit oblivio. Non enim, ſi præſtiteris ea, qvæ à te exſpectantur, qvæ maxima ſunt, novum in tuam familiam decus inferes; antiqva renovabis, præclaramqve conſuetudinem retinebis in tua domo laudis expetendæ, exercendarumqve artium optimarum: qvibus inſtructos, utiles fuiſſe patriæ cives, ſibi & familiæ glorioſos, de tua gente multos, ſi annales evolveris, invenies. Verùm, qvando te ſacris addixiſti, & illud vitæ genus complexus es, qvod eſt totum in laudabili ratione, totum in præclaris cogitationibus & factis conſtitutum; non te libera voluntas, ût alios, ad honeſtum rectumq; ducit; ſed, qvô te primùm die ad religionem contuliſti, eodem

dem die legem ipse tibi imposuisti perpetuæ continentiæ; exclusisti rerum inanium cupiditatem, velle ad solidam laudem omnia referre, velle summi Dei gloriam in omni vita, id est, tuam salutem, spectare professus es. Qvare non tibi monitores, qvorum te moveat oratio, exspectandi; ipse te excita, ipse acue & impelle. Multæ sunt propositæ adolescentibus, viæ fallaces, obliqvæ, insidiosæ, oculis jucundæ, specie qvadam objectâ voluptatis: in qvibus errare qvotidiè vides, & labi, ducem sequentes libidinem, non rationem, de tuis æqvalibus qvàm plurimos. Tu viam virtutis ingredere, simplicem, rectam, apertam, principio fortasse difficilem, atqve asperam, exitu certè salutarem, & glorioſam. Hanc, inqvam, viam signatam, & impressam vestigiis proborum sanctorumqve virorum, si vis ipse tibi carus esse, si vis ipse tibi rectè consulere, unam ingredere: aut, si ingressus jam es, curre per eam celeri gradu ad ea, qvæ te manent, præmia immortalitatis. Hæc ego, pro meo in te amore singulari, vetereqve erga parentem tuum studiô, scriptis tecum ago, qvæ sermonibus & libentiùs agerem, & sæpius, si liceret. Sed, qvando te Patavii tua studia, à qvibus abduci non debes, me Venetiis mearum rerum ratio, & valetudinis detinet infirmitas: proficiscetur ad te mea vox, his consignata literis: qvæ tecum erit perpetuo, ubicunqve fueris, te proseqvetur, qvocunqve iveris. Nec verò dubitavi, qvin ea tibi paulò gratior esset futura, conjuncta cum Ciceronis voce, id est, cum iis epistolis, in qvibus cum Attico, familiari suo, non

minus

minùs graviter & ſapienter, qvàm eleganter, & ſplendidè loqvitur. Fructum, ùt ſpero, capies ex utraqve non vulgarem. Ego enim, ut velis optima, te hortor; Cicero volentem adjuvat; ornat enim eloqventiâ, conſiliis inſtruit ſapientiſſimis. Nam diſputat ſæpè in his epiſtolarum libris, ſermone perqvam eleganti, de ſtatu Reipubl. de vitiis Principum, unde fluunt exitia civitatum; de viciſſitudine fortunæ. Qvi tibi erit, accuratè legenti, ſapientiæ fons uberrimus. A me verò munuſculum hoc habebis, meæ in te voluntatis & ſtudii argumentum. Exiguum, inqvies. Fateor: ſed velim ſpectes animum, non rem: qvam tamen ne ipſam qvidem debes contemnere: ſiqvidem ejusmodi eſt, ut tuas, tuorumqve laudes à me non expreſſas, ſed tanqvam tenui penicillo deſignatas, ſimul cum benevolentia mea cunctis gentibus patefaciat. Venetiis. M.D.LVIII.

AD BENEDICTUM ACCOLTUM RAVENNÆ CARDINALEM, IN ORATIONUM CICERONIS PARTEM PRIMAM.

III.

ARGUMENTUM.

Affert cauſas, cur ad depravata veterum ſcripta illuſtranda animum appulerit, videlicet exemplum Patris ſui & autoritatem ipſius Accolti: qvem laudat à ſtudio *literarum humaniorum, in qvæ à tractatione graviſſimarum*

rum artium ſoleat divertere : à fortitudine *in rebus adverſis :* à liberalitate *erga doctos : qvam cum ipſe qvoq; ſit expertus, gratitudinem ſuam dedicatione primæ partis Orationum Cic. ſe declarare voluiſſe ſcribit, rogans, ut tenuitatem muneris humanitatis ipſius magnitudo ſublevet.*

MAximè eſſet optandum, Accolte clariſſime, ut, qvæ olim à doctiſſimis viris magno labore, magnisqve vigiliis ſunt elucubrata, ea noſtram ad ætatem pervenire omnia potuiſſent. Artium plurimarum ſcientia, qvarum adjumento ad vitam rectè inſtituendam indigemus, non deſideraretur. Verùm ita caſu neſcio qvo accidit, ut ex iis ſcriptis, qvæ in hanc diem ſervata ſunt, ita depravata, ita mutila legantur, ut ſæpiſſimè vix, aut ne vix qvidem intelligi poſſint. Hoc incommodum pater olim meus magna ex parte ſuſtulit. Cujus induſtria multos excitavit, ut eandem rem aggreſſi, jacentem literarum laudem pro ſuis qvisqve viribus ſublevaret. Qvod ſi alii fecerunt, tantùm æmulatione gloriæ permoti; certè, cur ego id faciam, hôc plus habeo cauſæ: qvòd, cum pater ſtudioſis id, qvod in hoc genere promiſerat, morte præventus præſtare non potuerit, hoc me nomine ita appellant, qvaſi ad filios ſoleat non paternæ ſolùm rei, ſed voluntatis etiam hæreditas pervenire. Hæc me, ùt debet, opinio multùm movet; ſed auctoritas tua plurimùm: qvam ego tanti ſoleo facere, ut qvamcunqve tu probas rationem, ea demum & utilis mihi, & honeſta videatur eſſe. Tu igitur cùm ad hoc poſteritatis adjuvandæ ſtudium nos & vehementer,

 ſæ-

& sæpe sis cohortatus; effecisti, ut in eam rem tantò alacriùs incumbamus, qvantò pluris apud me tua, qvàm reliqvorum omnium consilia sunt. Qvòd si labore, studio, diligentiâ profici in hoc genere qvidqvam potest, ùt certè potest; magnopere spero fore, ut neqve te officii tui in me admonendo, neqve liberalitatis in adjuvando pœniteat. Cujus rei qvasi specimen erit hæc prima Ciceronis Orationum pars, qvam ex veterum exemplarium collatione diligenter emendatam, in manus hominum sub tuo nomine emittimus. Nam, cùm usu, & consuetudine ita comparatum sit, ut, qvibus rebus Principes viri delectentur, in iis rebus multi suum studium probare velint; ex qvo fit, ut ab aliis canes, ab aliis eqvos, aut aves nobiles dono dari videamus: commodè me facturum existimavi, si qvid ego ejus generis ad te mitterem, qvod omnibus te præferre voluptatibus intellexissem. Soles enim qvotidiè ferè à gravissimarum artium tractatione in hæc studia, qvæ sibi ab humanitate nomen adsciverunt, qvasi in hortum amœnissimum, divertere: ubi te modò oratorum & poëtarum flores, modò dulcium amicorum colloqvia mirificè delectant: ut, præter id temporis, qvod valetudini dare soles, qvod sanè pusillum est, hora nulla sit, qvam non in literis, cum virtute traducas. Qvam tuæ vitæ rationem, qvi ignorant, mirantur scilicet, unde illa tibi in adversis rebus fortitudo tanta, unde animi robur illud invicti, qvod ne illa qvidem ipsa, qvæ in rebus humanis Fortuna dominatur, ullo pacto poterit infringere: contra cujus vim duplici te præsidio

dio muniveris, artium maximarum cognitione, & mentis optimæ conſcientiâ. Hæc eſt aliarum virtutum, qvæ in te ſunt multæ, qvaſi princeps, & regina qvædam; ut in aliis neminem tibi anteponere, in has ne conferre qvidem poſſim. Nam de prudentia, de pietate, de juſtitia, ne videar aſſentari, nihil dicam: ne de liberalitate qvidem; qvæ tamen ita nota eſt, ut non, qvi eam laudet, aſſentator, ſed, qvi non laudet, malevolus exiſtimetur. Cùm enim hæc dandi beneficii ratio ejusmodi ſit, ut nulla certior ad laudem, nulla item magis lubrica videatur via; propterea qvòd in beneficiis collocandis pleriqve fortunam hominum ſpectare ſolent, ut eandem gratiam, aut etiam cum fœnore recipiant; non eſt, qvòd in hoc te labi qvisqvam arbitretur: cùm & rariſſimè contingat, cujusqvam operâ ut egere videaris, & tu tamen qvàm plurimis, ob eximiam naturæ tuæ liberalitatem, atqve amplitudinem, benignè facere & ſoleas, & poſſis. Et cùm de omnibus ad benè merendum naturâ es maximè propenſus: tum verò ipſa te ratio atqve doctrina ita confirmavit, ut ad eos honeſtandos, qvi ſe iis artibus, in qvibus ipſe excellis, dedidêre, tuum ſoleas ſtudium libentiſſimè conferre. Qvæ qvidem humanitas & beneficentia tua non ſanè video qvî poſſit in ullo major eſſe, qvàm in me tuendo fuit. Qvæ eſt enim à te res, qvæ ad meum commodum attineret, prætermiſſa? Qvis diligentiùs eſt adhortatus, ut hanc reſtituendæ antiqvitatis laudem, qva pater meus olim excelluit, penè afflictam excitarem? Qvis eam ipſam ad rem perficiendam plura

contulit? Cùm etiam magnis Principibus, tui simillimis, ita me commendaris, ut, judicii tui testimonio permoti, non minimis ad se præmiis evocarint. Qvæ cùm recordor, etsi me ipsum probè novi, tamen interdum mihi assentor, & mihi aliqvid videor esse, qvòd à te sim ornatus. Hæc me inanis ambitio ita delectat, ut illum dolorem, qvem ex difficultate capio remunerandi, si non tollat, minuat quidem certè. Qvanqvam is es, qvi te satis superqve remuneratum existimas, si modò id, qvod dedisti, ab eo, qvi accepit, intelligis memoriâ teneri. Qvo in officio præstando, noli credere qvemqvam esse, qvi me vincat. Et hujus qvidem rei, confido fore, ut aliqvando ejusmodi à me signa dentur, qvæ nullum cuiqvam de mea in te voluntate dubitandi locum relinqvant. Nunc earum rerum, qvas ipsi qvidem hoc tempore possumus, maxima, primum, ùt dixi, Ciceronis orationum volumen in tuo nomine apparebit. Omnino neqve amplitudine tua, neqve iis officiis qvæ in me contulisti, digna res videtur; sed, ùt spero, muneris nostri tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo sublevabit.

AD GVILIELMUM BELLAJUM LANGEUM, APUD SUBALPINAS GENTES PROREGEM, IN ORATIONUM CICERONIS PARTEM SECUNDAM.

IV.

ARGUMENTUM.

Bellajo secundam partem Orat. Ciceronis dedicaturus, principio excusat se, si forte ipsum regiis negotiis occupatum

patum intempestivè adeat, cùm magni referat, qvo tempore qvidqve agatur; Deinde ipsum laudat, qvòd *in ipsis occupationibus literas tractet:* qvòd *ipse aliqvid scribat, & illustrem suam familiam scriptis illustriorem reddat:* qvòd *fratrem habeat Cardinalem:* qvòd *sit ubique locorum clarissimus:* qvòd *ab omnibus ametur: inter qvos cùm ipse qvoqve sit, ejus rei testem voluit esse, secundam partem orationis Cic. in qva qvid præstiterit, ejus judicio submittit.*

MAgni refert, Bellai ornatissime, qvo qvidqve tempore agatur, & ad omnes res non parvum habere momentum solet occasio qvædam & commoditas, qva uti dicuntur ii, qvi nihil, nisi loco facere consueverunt. Nam qvemadmodum pictorum tabulæ certo loco positæ, delectant; eædemq; minùs bono lumine constitutæ, non item eorum, qvi spectant, oculos tenere solent: sic actiones nostræ, mirum est, qvantum opportunitate commendentur: ut interdum plus in tempore, qvàm in ipsa re, positum esse videatur. Qvod ego cùm semper judicassem, tamen non sum veritus, qvin tibi in iis rebus vel maximè occupato, qvas Rex Christianissimus, & post hominum memoriam maximus, tuæ fidei diligentiæqve mandavit, hoc ipsum, qvod nunc à me proficiscitur, officium futurum esset vel jucundissimum. Nam etsi magna tibi est gravissimorum negotiorum imposita moles, qvam tu summa tua cum laude, & omnium penè gentium admiratione sustines; tamen in ipsa illa occupatione ita te literarum tractatio delectat, ut & legas cum voluptate, qvæ alii scripta reliqve-

runt, & scribas ipse, qvæ à posteris cum admiratione perpetuò legentur. Ex qvo illud conseqveris, ut non modò Regis voluntati servias, qvod est summa laude dignum; sed etiam posteritati consulas, qvô laudabilius esse nihil potest. Itaqve tantum abest, ut à majoribus tuis omni decore affluentibus, ad te ornandum qvidqvam haurias, ut etiam in te sit, qvod ad illos redundet. Nam, si tibi aliundè petenda sit laus; unde plura suppetant ornamenta, qvàm à fratribus tuis, maximeqve ab eo, qvi à Paulo III. ita est in Cardinalium Collegium cooptatus, ut ei summus Pontifex ampliſſimam dignitatem, non qvasi optatam concessisse, sed qvasi debitam persolvisse videatur? Cui qvidem viro, cùm ad summam gloriam nihil desit; cumqve item tibi eæ res abunde adsint, qvibus homines hominibus antecellere videntur: tamen sit vestra bonitate, & sapientiâ, ut vicissim & tu in illius dignitate, atqve amplitudine, & ille in ingenio atqve virtute conqviescat tua. Uterqve vero magna apud Regem prudentissimum, & summo judicio præditum auctoritate, magno estis apud omnes nomine, & gloriâ. Nam tu qvidem, qvis est tam longinqvus, cui notissimus non sis? Non ex præsenti corporis forma, (qvanqvam multas provincias Regis legatus obiisti) sed ex imagine ingenii tui; qvam verissimis eloqventiæ coloribus expressam in tuis scriptis licet intueri. In hac cum & naturæ tuæ bonitas, & virtutis eximia præstantia cernatur: seqvitur, ut ex ea, qvi te norunt, iidem ament. Qvorum ego in numero cùm ita essem, ut nemini concederem;

rem; tamen non est credibile, qvantùm ad illam ipsam animi erga te mei voluntatem addiderit Guilielmi Pellicerii, oratoris in hac urbe Regii, hominis præstantissimi prædicatio. Cujus multi & egregii de tua laude sermones me jam antea commotũ impulerunt, ut ex orationibus Ciceronis, cujus tu libros è manibus dimittere non soles, alteram partem cum tui nominis inscriptione divulgarem. Qva in parte ab erroribus & mendis vindicandâ qvantum operæ, studiiqve posuerim, mihi ipse sum testis; qvantum autem profecerim, & tu, & alii judicabunt. Tibi qvidem, si conseqvar, ut nostra diligentia probetur, sanè meos labores non exiguo compensatos esse fructu existimabo.

AD ALEXANDRUM CÆSARINUM CARDINALEM, IN ORATIONUM CICERONIS PARTEM TERTIAM.

V.

ARGUMENTUM.

Cùm duæ sint rationes bene de literis merendi, videlicet scribere aliqvid, & alios vel cohortatione, vel præmio ad scribendum impellere, paucos dicit semper apud veteres repertas esse, & adhuc reperiri, qvi utrumqve præstare possint; qvi verò possunt, iis, cùm velint, propter negotiorum multitudinem id non concedi. Hoc probat exemplo Cæsarini Cardin. qvi summa juris civilis & sacrarum literarum cognitione ornatus, & humanioribus literis eleganter

excultus, utrumque præstare & posset, & vellet: sed cùm occupationes ipsi alteram bene de literis merendi rationem eripiant, voluntatem videlicet, alterum ipsum ait amplecti, h. e. alios ad scribendum excitare: id quod probat exemplo Hier. Ferrari, qui ipsius domi vivens otio abundet ad veterum scripta corrigenda, & Philippicas Cicer. Orationes egregiè emendarit: Quæ ipsius emendationes, cùm in tertia parte Orat. Cic. edantur, meritò illud volumen ipsi inscribendum fuisse statuit.

BEne mereri de literis, etiamsi utilitas præterea consequatur nulla, tamen præclarum in primis atque egregium esse semper duxi: quanquam, utilitatem spectare si volumus, ea demum summa est, quæ ex hoc genere percipitur. Fructus enim in posteritatis memoria, & prædicatione positus est, quem nemo unquam sapiens non præstantissimum judicavit. Sed hæc benè merendi ratio duplex videtur esse. Nam & qui aliquid ipsi scripserunt, & qui alios vel cohortatione, vel præmio, ut scriberent, impulerunt, literis opem tulisse existimantur. Quæ tuæ res ejusmodi sunt, ut, qui alterutram commodè faciat, ei scilicet à studiosis omnibus gratiæ sint agendæ; qui utramque, ne haberi quidem satis possint. Atque hanc laudem, ne apud veteres quidem sæpè accidit, ut unus consequeretur. Propterea quòd, qui ea virtute atque fortunâ fuerunt, ut & ingenio posteris prodesse possent, & opibus, ut idem facerent, multos adducere; alterum facilè fecerunt, ut eos, qui doctrina, & eloquentia valerent, adjuvanda literarum studia excitarent; alte-

alterum facere, ut ipsi monumentum aliqvod industriæ suæ relinqverent, propter rerum gerendarum curam non ita potuerunt. Qvod item nostris temporibus usu videmus evenire. Nam neqve multi sunt, qvi præstare utrumqve possint: &, qvi possunt, iis ferè, cùm velint, non conceditur. Cujus generis exemplum, ne id, qvod adest, aliundè qværamus, concede qvæso, Cæsarine præstantissime, ut à te sumam; & sine me hoc impetrare à modestia tua, ut ea, qvæ sentio, de te dicam. Certè enim, qvi majorem aut juris civilis, aut sacrarum literarum cognitionem sit consecutus, neminem esse constat; neqve tamen hæc studia, qvæ humaniora appellantur, qvæ nos adhuc secuti sumus, contempsisti; in qvibus etiam diligenter versatus es, ut illa superiora, qvæ qvibusdam ipsa per se nimis horrida videntur, eloqventiæ pigmentis, cùm velles, atqve etiam qvantum velles, illustrare posses. Est igitur in te ipso, unde posteritas adjuvetur. Nec ut arbitror, voluntas deest: sed otium eripiunt maximarum rerum occupationes. Nam, qvia tua virtus non humili neq; obscuro loco latet, sed qvasi in specula qvadam excelsa, atqve illustri posita est, unde opem ostentare bonis omnibus videtur: iccirco homines accurrunt ad te, vel ut consilium, vel etiam ut auxilium petant. Itaqve negotiis à literarum tractatione distractus, ex duabus rationibus, qvibus initiò bonas artes adjuvari posse dixi, alteram invitus omittis, cùm ipse nihil scribas; alteram studiosè amplecteris, cùm iis, qvos industria

vides excellere, nullâ re desis. Qvamobrem Hieronymus Ferrarius, qvi se jampridem tibi addixit, homo & ingenii, & judicii laude præstantissimus, cùm alia, qvæ à te habet, prædicare solitus est, tum illud vel maximè, qvòd, domi tuæ vivens, te permittente, atqve adeo libente, totum diem in literis ponit, & otio fruitur tanto, qvantum deserta in regione vix esset. Cujus ex ingenio qvi fructus percipiuntur, qvi certè maximi sunt, ii sanè tuæ liberalitati referuntur accepti. A te habemus, qvæ Ferrarius in veterum scriptis vel correctione restituit, vel explicatione illustrat. At te emendationes in Philippicas Ciceronis orationes, qvas ille plurimas atqve optimas ad me misit, qvæ jamjamqve eduntur, à te inqvam omnes sunt. Itaqve etiam eas ipsas Orationes, ùt à Ferrario, id est à te, restitutas, & qvæ præterea in hoc tertio volumine continentur, in qvibus ipsi, qvæ malè affecta erant, multa sanavimus, tibi inscriptas, atqve dicatas emittimus; ut, qvod beneficium habemus maximum, ejus beneficii auctorem agnoscamus, & huic libro summum ornamentum, Cæsarini nomen, apponatur. Qva re etiam id, qvod jam pridem optavi, fortasse conseqvar, ut, qvàm præclarè ego de te sentiam, cùm intelligas, tu me eum existimes, qvô in amicitiam, vel potius in clientelam tuam acceptô, non pessimè sensisse videaris.

AD

AD JOHANNEM MONLUCIUM CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIUM, EJUSDEMQ. APUD VENETAM REMPUBL. ORATOREMIN CIC. ORAT. LIBROS.

VI.

ARGUMENTUM.

Monlucio oratori eloquentissimo libros Cic. de perfecto Oratore dedicaturus, primò commendat eloquentiam: deinde causas affert, cur illa neque diuturna fuerit, neque in multis perfecta ejus species. Ast Eloquentiam ali otio & libertate. Itaque neque ante bellum Punicum secundum, neq; post Cæsaris dominationem claros oratores extitisse. A tempore vero duorum Gracchorum usque ad ætatem Cæsaris eloquentiam floruisse: hoc est, per annos 100. Post illa eam paulatim decrevisse, donec tandem unà cum literis est extincta. Ex quo verò tempore majorum nostrorum ævo disciplinis suus honor restitutus est, Eloquentiam quoque cœpisse enitere; & nostro jam tempore oratorum majorem esse dignitatem asserit, quàm priscis seculis; siquidem à Regib. ad Reges & Principes mittuntur, non apud judices sorte ductos de rebus privatis causas agunt, sed in consilio de gravissimus rebus lectissimorum virorum agunt. Inter hujusmodi oratores cum quoque Monlucius emineat, (cujus aliquot Legationes recenset) meritò se ipsi hos Ciceronis libros de perfecto Oratore inscribere, ait.

QVod te non fugit, Monluci sapientissime, præstare omnes ceteris hominibus, sed alius aliâ re vult. Non enim uniusmodi sunt nostræ voluntates; sed

sed, qvoniam ex animo, qvi variè afficitur, tanqvam ex typo effinguntur, ipsæ qvoqve variæ sint, & multiformes, necesse est. Ergo non eadem omnibus prima sunt. Qvoniam verò ex iis, qvæ appetuntur, necesse est aliqvid excellat, ut de multis optabilibus unum optabile maximè sit: qvid sit id, qvod ego ceteris præstare putem, si de me qværatur, dicam, id, qvod qvi assequuntur, eorum in potestate sensus omnium, animiqve sunt. Id autem sine dubio Eloqventia est: qvæ tantum possidet dignitatis, ut infrà vel eorum fortunæ, qvorum imperium provinciæ nutumqve seqvuntur, me qvidem judice constituantur: cùm ita accidat, ut ab hac qvamcunqve in partem volentes ducamur, illis inviti sæpè pareamus. Sed, qvoniam, qvo loco posita laus est, eum locum maximis difficultatibus Natura circumsepsit, ut perveniendi facultatem paucissimis relinqveret: non est, qvare nobis in mentem veniat mirari, cur neqve diuturna, neqve in multis perfecta fuerit species eloqventiæ. Illud video, cum in hanc cogitationem mentis aciem intendi, benè dicendi gloriam duabus rebus alimaximè, otio & libertate. Itaqve in urbe Roma, qvæ bonorum oratorum qvasi fœcunda genitrix partus edidit uberrimos, neqve ante secundum Punicum bellum, neqve post Cæsaris dominationem magnopere fuit, qvod in hoc genere probares. Hannibale victo, hostis Italiæ terribilis nemo fuit. Tum in urbe securitas, tum summa tranqvillitas orta; tum seditiosorum hominum ingenia popularibus concionibus acuit ambitio, conciones, inqvam, eloqven-

qventiam pepererunt: nisi qvid me fallit rationantem. Ratiocinor autem sic, & per hos qvasi gradus interrogationis ascendo: Eloqventiæ qvod summum fuit propositum præmium? Consulatus: qvi summus honor fuit. Consulatum qvis mandavit? Populus. Populum qvis tenuit? Concionator optimus. Ergo à concionibus exstitit orator. Idemqve sublatis concionibus, nullus fuit. Cùm enim civilibus armis oppressa Respubl. jaceret, vetus consuetudo periisset, à populo, cujus potestas universi translata ad unum esset, non jam magistratus, non præfecturæ peterentur, eloqventiæ, qvæ populi gratiam honorum spe qvæsierat, inanis omnis & supervacanea fuit exercitatio. Sic oratoria facultas, summorum hominum studiis, exercitationibusqve culta, cùm à duobus Gracchis ad C. Cæsaris ætatem, hoc est per annos centum ferè ita viguisset, ut nihil unqvam fuerit illustrius; non effugit rerum humanarum commune fatum: qvas ubi ad summum sive industria, sive natura perduxit, retrò ferè præcipiti lapsu revolvuntur. Imperatores deinde multi rem Romanam exceperunt: qvorum ætatibus vestigium veteris eloqventiæ nullum agnosces. Qvid post? Multò minus. Nam imperii sede in Græciam translata, crebræ vastationes Italiæ consecutæ, cùm influentes barbararum nationum copias reprimeret nemo. Tum non eloqventia modò, sed ipsa penè literarum memoria funditus deleta; nec suus est bonis disciplinis honor, nisi multis pòst seculis, restitutus. Patrum denique, aut avorum nostrorum memoriâ, cùm

exte-

exteros mores Italici cœli temperies aliqvando ad humanitatem deduxisset, paululum oculos literæ sustulerunt. Doctrina primùm, seriùs enituit eloqventia. Nec mirum: doctrinam enim sine eloqventia laudamus; eloqventem sine doctrina, rectè intelligens nemo duxit. Nunc in oratorum nomine, qvod eximium semper fuit, nihilo minor, atqve haud scio an etiam major, qvàm priscis illis temporibus, dignitas, & amplitudo est. Mittuntur à Regibus ad Reges aut ad liberas civitates, qvi non de stillicidiis agant, non de jure fundi; qvarum rerum controversias qvi peritè, & copiosè disceptarunt, scimus olim habitos esse eloqventes: sed ea tractent, qvæ prudenter disputata, otium gentibus constituere, dignitatem imperii conservare, terminos proferre possunt. Hoc qvi præstat, eum ego veteribus oratoribus non comparo solùm, sed etiam antepono. Illi causas agebant primùm apud judices sorte ductos, deinde apud eos judices, qvibus de aliena re, non de sua judicantibus persuadere orator sive hoc, sive illud haud magno negotio posset. Nunc agitur in consilio lectissimorum virorum: agitur iis de rebus, unde ad eos ipsos, qvi judicent, maximum potest sive emolumentum, sive damnum redundare; cùm & de publica re judicent, & in publica, extra qvam nihil est, privata cujusqve contineatur. His probare qvæ velis, eò majoris ingenii videtur esse, qvò difficilius ab artificio capitur prudentia. Itaqve, cùm hoc multi voluerint, magnum decus atq; ornamentum est eorum, qvibus contigit, ut possent; qvi sanè pauci sunt;

maxi-

maximum verò, si cui tantum aut natura dedit, aut exercitatio doctrinæ, ut inter hos ipsos emineret. Qualem si qvis te judicet, Monluci clarissime, hunc ego rectè judicare mihi persuadeam. Nam, si consideremus, primùm à qvo missus orator sis; deinde, ad qvos; tum qvibus de rebus missus: ita reperiemus, missum ab eo Rege, qvi omnes Reges sapientiâ vicerit, qvoniam qvidem omnium unus, qvid contra fortunam virtus posset, maximè declaravit: ad eam Rempublicam, qvæ nisi sapientissimorum civium copiâ floreret, semperqve floruisset, profecto neqve tanta nunc esset, cùm olim minima fuerit; neqve tam diu staret, cùm ceteræ Respublicæ suorum civium temeritate conciderint: iis autem de rebus esse missum, qvarum qvæ magnitudo sit, ex eorum, ad qvos pertinent, opibus apparet: qvæ tantæ sunt, ut paucorum imperiis distributus terrarum orbis teneatur. Et, cùm hæc legatio tibi perhonorifica fuit; tum illud ad tui nominis celebritatem longè maximum accessit; qvod, cùm à Principe Turcarum Solymano pacem defessa bellis Europa peroptaret, eaqve sine Christianissimi Regis intercessione desperaretur; unus electus, qvi tantum muneris obires, acceptis à Rege mandatis, æstate media, summis caloribus in Græciam navigâsti. Pacem ut componeres, optabatur: composuisti: hyeme summa, difficillimis itineribus, per dispositos eqvos in Galliam recurristi. Exceptus aliâ curâ, cùm de sedandis inter Regem tuum, Regemqve Britannum magni momenti controversiis ageretur, præfuisti. Te consulente, agente,

gente, ultrò citroqve curſante, abjectis armis pax inter eos firmiſſimò fœdere conſtituta. Habes hoc omninò, Monluci, non dico à Fortuna, qvam caſus, & temeritas regit, ſed à te ipſo, qvi ad conſilium & rationem omnia refers, ut in tuis actionibus felix usqveqvaqve ſis. Nimirum Sors, qvam in rebus humanis dominari qvidam ſunt opinati, non omnium eſt æqve communis; ſed ipſa ſibi virtus propriam fortunam architectatur. Non erras, qvia non eſt errare ſapientis: & qvia ſapienter agis, omnia procedunt. Bonus etiam orator es, qvia bonus vir; ingenium enim probitas commendat; nec minùs movet is, qvi dicit, qvàm ea, qvæ dicuntur. Qvod niſi Latinum ſermonem in Italia peregrinitas immutaſſet, næ tu nobis longo intervallo & Craſſos, & Antonios retuliſſes. Sed qvoniam eâ linguâ utimur, qvam multis coëuntibus linguis generatam corrupta conſuetudo peperit: veteribus Romanis oratione diſſimilis, ingenio ſimillimus, non tu qvidem loqveris ùt illi, ſed ùt illi tamen & ſapis, & perſuades. Qvare non fuit ab re, cùm ego eos libros, in qvibus perfecti formam oratoris à Cicerone videmus expreſſam, mendis antea deformatos, nunc mea correctione expolitos emitterem; non fuit inqvam ab re, tuo nomini dicatos emittere; ut, qvæ de perfecto oratore traduntur, ea perfecti idem oratoris titulo cohoneſtarentur. Hoc cùm ita exiſtimaſſem, qvia videbatur, eſſe aptiſſimum, feci: & feci eò libentius, qvòd, cùm tu mihi & multa jam ſummæ humanitatis officia tribuiſſes. & is eſſes, qvi tribuere etiam majora poſſes; ego, niſi aliqvid,

præſer-

præsertim ubi daretur occasio, retribuerem, verebar, ne, ex duobus maximè insignibus vitiis, alterutrius infamiam non effugerem: ut vel ea viderer, qvæ à te accepissem, minùs meminisse; qvod à consuetudine naturaqve meâ alienissimum est: vel ea, qvæ sperari possent, negligere; qvod qvia superbi esset, abest non modò à fortuna mea, sed etiam à voluntate plurimùm. Venetiis. M. D. LVI.

AD BENEDICTUM RHAMBERTUM, IN CICERONIS LIBROS DE OFFICIIS.

VII.

ARGUMENTUM.

Amorem proficisci à duabus causis: à sensuum similitudine, & beneficiorum obligatione: & hanc qvæ à rebus externis oritur, cum illa, qvæ à natura, non esse comparandam: siqvidem sublatâ causâ, cur homines diligantur, animi eorum in amore facile langvescunt. Qvo in genere cùm multi labantur, Rhambertum ex lib. de officiis didicisse scribit, qvomodo sit colenda amicitia, & qvod cuiqve in omni vita præstandum sit officium. Qvod cùm ipse suo exemplo expertus sit, Rhamberti in colenda secum amicitiæ constantiam, & Latinæ linguæ, qvam inter varia Reipubl. Venetæ negotia horis subcisivis tantùm colat, elegantiam commendat, suumqve remunerandi studium dedicatione librorum de Officiis se declarare voluisse scribit.

NOn ignoras, Benedicte Rhamberte, sensuum esse qvandam in hominibus similitudinem:

qvæ cùm in consuetudine cognita est, efficitur, ut, inter qvos id accidit, amor exoriatur. Ab hoc qvasi fonte multorum amicitiæ manârunt. Multos etiam beneficium cùm obligasset; cumqve id, qvod acceperant, memoriâ conservatum gratè animo redderent; idqve uterqve fieri ob ingenii bonitatem, & voluntatis ergà se propensionem existimaret; statim est illam opinionem benevolentia consecuta. Itaqve duæ causæ sunt, qvamobrem homines ament inter se: sed hæc posterior, qvæ à rebus externis originem ducit, cum illa superiore, qvæ à natura proficiscitur, nullo pacto videtur esse comparanda. Illa enim primùm habet eam suavitatem, qvâ, ut, opinor, & certè, nulla major est, cùm eos, qvibus utimur, & iisdem rebus, qvibus nos, & æqvè atqve nos affici sentimus: deinde etiam, qvi in dando & accipiendo beneficio fructus est, eô non eget. Nam, si hæc actio benè merendi interdum est, & esse potest in iis, qvi voluntate non admodum conjuncti sunt, qvantò faciliùs existet apud eos, qvorum animi ita consentiunt, ut, qvasi naturâ hortante, easdem res appetere, ab iisdem fugere videantur? At verò, qvi officiorum comoditatibus adducti in amicitiam coierunt; etiamsi alter alterum initio summè diligat; tamen, si qvando accidet, id qvod accidere sæpè solet, ut ea, qvâ diligere cœperunt, causa tollatur; certè eorum animi pedetentim in amore languescent. Qvo in genere animadvertis Rhamberte, qvàm multi qvotidiè labantur: de qvibus facilè est intelligere, qvid sentias, cùm ab eorum instituto tua ratio tam vehe-

vehementer abhorreat. Probè enim te, qvæ nostra debeat esse in jungendis amicitiis cautio, qvæ in iisdem colendis religio, qvod item in omni vita præstandum officium sit, horum librorum, qvos nunc tibi inscriptos ad te mittimus, lectio erudivit. Sensi in me ipso, qvem, ab opibus non magnopere firmum, aut ne firmum qvidem, tamen octavum abhinc annum tanto studio es complexus, qvantum, qvi ab omni re paratissimus sit, remunerando compensare vix possit. Cumqve rerum mearum status, ut sunt humana, interdum mutaretur, memoriâ teneo, te nunqvam immutatum, eandem semper cùm mihi, tùm fratribus meis voluntatem, ac benevolentiam præstitisse. Cùm verò major aliqvantò inter nos consuetudo esse cœpisset; qvod qvidem est factum, postea qvàm te in nostram vicinitatem contulisti: facilè sentio, ad meam vitam rectè conformandam qvanto mihi observatio tuorum morum fuerit adjumento. Collocutionesve rò de literis nostræ qvid, non dicam delectationis, sed utilitatis habuerunt? Eqvidem si liceret, totos dies vellem tecum ponere. Qvarum enim ego rerum cognitione delector, earum in omni genere, qvæ tui sit judicii subtilitas, intelligo. Sed hanc Latinè scribendi rationem, in qvâ multi nunc volunt excellere, pauciſſimi possunt, eam verò sic tenes, ut tuis scriptis mihi qvidem purius nihil esse videatur. Qvod eò mirandum est magis, qvia tu non, ut alii, diuturno atqve assiduo librorum usu, sed temporum studio subsecivorum, hoc ut posses, consecutus es. Nam ut omittam, qvod tibi, cujus

fidei atqve prudentiæ Veneti Senatus arcana creduntur, otium non sæpè contingit: ecqvi dies est, qvo non ex amicis tuis aut consilio tibi aliqvis, aut operâ, aut etiam re sit adjuvandus? Qva in consuetudine retinendâ nimium diligens esse dum vis, accidit sæpè, ut tuum potiùs ipse commodum, qvàm officii colendi facultatem prætermittas. Qvo ego me potiùs facere sùm arbitratus, si hæc opuscula, in qvibus maximè de officio præcepta traduntur, ad te, qvem cognovi esse omnium officiosissimum, mitterem. Genus hoc, Rhamberte, qvoddam est, qvo ego eos, qvi de me benè meriti sunt, remunerari soleo. Perpende rem, nulla videbitur: animum respice, gratissimum dices.

AD DIEGUM HURTADUM DE MENDOZA, CAROLI CÆSARIS à CONSILIO, EJUSDEMQVE APUD VENETAM REMP. ORAT. IN PHILOSOPHIÆ CICERONIS PARTEM PRIMAM.

VIII.

ARGUMENTUM.

Orditur à sermone inter Mendozam & Aceoltum habito de iis, qvæ ab antiqvis ignorata, & à nostris hominibus inventa sint: & futurum dicit, ut veterum solertiæ nostrorum hominum industria antecelleret, si qvisqve vernaculo sermone vellet scribere, ut Græci & Romani fecerunt, & nunc ipse facit Mendoza, qvi Latinæ, Græcæ, Arabicæ linguæ peritus, scribit tamen Hispanicè: ubi digreditur in laudes Mendozarum, videlicet patris, sororis, fratrum

ipsius

ipsius: qui legatus ad Venetos, cùm Philosophiæ studio mirificè delectetur, inde occasionem captat dedicandi ipsi libros Ciceronis de Philosophiæ à se correctos. Primam partem, sperat, se ejus industriam in perdiscenda Philosophia hac ratione adjuturum esse.

SUperioribus diebus, cùm domum tuam venissem, ut Benedictum Accoltum, qvi apud te diversabatur, honoris causâ viserem, qvem ego hominem, non tam qvia Cardinalis est, qvàm qvia Cardinalatu dignissimus, vehementer observo: casu accidit, cùm ego adessem, ut inter vos sermo oriretur iis de rebus, qvæ ab antiqvis ignoratæ, nostrâ patruumq; memoriâ non solum inventæ sunt, sed ad summam etiam elegantiam perpolitæ. Cujus generis cum Accoltus ita multa commemorasset, ut mihi qvidem, credo item aliis, qvi aderant, facilè probaret, veterum solertiæ nostrorum hominum industriam antecellere: suggessisti tu, ne de Philosophia qvidem, in qva tantoperè antiqvitatem admiraremur, tibi videri esse dubitandum, qvin ea posset etiam nunc expoliri, atqve ornari; si modò, qvam qvisqve linguam à parentibus, atqve à nutricibus traditam cum lacte simul hausisset, in ea vellet scribere: nunc usu evenire, ut externo sermone addiscendo, totam ætatem consumamus; qvod si nos à pueritia disciplinarum cognitioni totos dederemus; non esse desperandum, qvin & Platones, & Aristoteles aliqvando possent existere. Non enim & cœlum hoc, unde spiritum ducimus, idem est, qvod olim fuit, & hominum ingenia non eadem esse possunt. Prava consuetudo naturam

pervertit. Qvæ tanqvam ager, si colitur, fructus edit uberrimos; si negligitur, exarescit. Annos triginta ponimus in verbis percipiendis; qvantulum spatii restat, ut res ipsas consideremus? Licet ad antiqvitatem animum referre: num aut Græci illi philosophi, qvorum nomen celeberrimum est, ea, qvæ ab Ægyptiis acceperant, Ægyptio potiùs, qvàm patrio sermone scripta reliqverunt; aut nostri aliena linguâ, non domestica, sunt usi, cùm ea, qvæ vel de Græcis sumpserant, vel ipsi peperererant, in usum posteritatis explicarent? Constat, apud omnes gentes, qvi suas cogitationes literis mandare voluerunt, eos ferè iis esse verbis usos, qvorum significationem matris in gremio cognoviſſent. Qvod item nostra ætate si fieret, facilè contingeret, qvod tu opinaris, Hurtade clarissime, ut in Philosophia veterum inventis non nihil, vel etiam non parum addi posset. Neqve enim eos, qvi fuerunt, usqve eò cogitatione, ingenioqve processisse existimandum est, ut iis, qvi futuri sunt, qvod præterea cognoscerent, nihil reliqverint. Multa latent adhuc retrusa atqve abdita in immensitate naturæ: qvæ eliciet, & evocabit in lucem, si qvis investigandis rationibus, perscrutandis rerum causis ab ineunte ætate suum studium dederit. Qvod ab iis fieri commodè non potest; vel potiùs nullô modô potest, qvibus non ea lingua, in qva alti educatiqve sunt, sed eâ, qva veteres utebantur, scribere consilium est. Qvorum tu si probares institutum, qvotusqviqve tecum esset in eo laudis genere conferendus? Tenes enim perfectè

fectè Latinam linguam, tenes Græcam, Arabicam, alias præterea. Scribis tamen, ùt in patria tua loqvuntur: in qvo video qvid spectes. Qvod Pater tuus egit, ut optimè de Hispania mereretur; id tu aliâ qvadam ratione conseqvi vis. Ille enim, cum annum ageret vix dum qvinctum & decimum, qva ætate milites in exercitu pauci solent esse, omnium approbatione, qvi exercitus regeret, electus, Bæticæ Regem, bis acie fusum, regno exsuit, & qvæcunq; in ejus ditione fuerant, Catholici Regis imperio potestatiq; subjecit. Aliam tu ornandæ, atq; amplificandæ patriæ tuæ rationem iniisti. Profers enim, qvantum in te est, Hispanicæ linguæ terminos; & ut ea non solum verbis & nominibus, sed etiam rebus & scientiis, per te locupletata ab exteris nationibus appetatur, ingenio doctrinaqve conseqveris. Qvod nescio an omnibus patris tui victoriis, atqve triumphis sit anteponendum. Nam, etsi populos bello superare, & imperium augere præclarum est: tamen mihi cum animo meo consideranti multò melior videtur esse conditio literarum, qvàm regnorum: hæc enim in unius hominis fortuna posita sunt, & unius sæpè culpâ exstingvuntur: illæ vivunt, & vigent qvotidiè magis, neqve ullâ temporis circumscriptione terminantur. Itaqve magni & excellentes viri, qvi bellicæ laudis gloriâ florerent, cùm earum rerum, qvas gessissent, memoriam non satis fore diuturnam sperarent, nisi ab hominibus ingenio præditis celebrarentur, eos, qvid id præstare possent, non vulgaribus præmiis affectos, in honore summo, atq; etiam

in amore semper habuerunt. Qvò mihi illorum laus videtur esse illustrior, qvi & res præclaras manu gerere, & qvæ gesserint, literis custodire ipsi possint: qvo in numero fuit soror illa tua præstantissima fœmina: cujus militaria facinora cùm audimus, cuivis eam nostræ ætatis viro animi magnitudine comparamus: cùm autem ea, qvæ scripsit, legimus, vel antiqvis scriptoribus ingenii præstantiâ simillimam judicamus. Hujusmodi cùm in tua familia mulieres exístant, de viris qvæ sunt sperandа? Qvanqvam fratres omnes tui, tuqve in primis, ea, qvæ sperabantur, jam præstitistis. Itaqve Carolus Imperator vestra potissimum virtute, vestraqve fide nititur. Nam fratrem tuum, Marchionem de Mondesar, qvi ceteros ætate anteit, cùm aliis in rebus, tum in victoria Tunetana, eqvitibus levis armaturæ, classi maximæ propositum, magno suis rebus sensit esse adjumento: alterum autem, Episcopatu Janensi ornatum, summè propter eruditionem, & prudentiam diligit: tertium Indicis provinciis Proregem: qvartum Hispanicis triremibus præfecit: te primùm sibi voluit esse in consilio: deinde, cùm difficultatem qvandam temporum, penè fatalem impendére, & ea, qvæ cogitabat, sine summa prudentia non esse tractanda intelligeret, unum è maximo numero delegit, qvi apud Venetam Rempubl. id muneris orator sustineres. Qvo qvidem in munere clarior in dies significatio tuæ virtutis elucet. Nam ad usum rerum, qvo vales plurimùm, addis doctrinæ cognitionem: qvam à libris petitam, graviore in causâ consilium capere, si vis,

si vis, explicas, ut, proposito præteritarum rerum exitum, cautior præsentium sit deliberatio. Quod quoniam maximè præstant historia, & philosophia, tu quidem vehementer utriusq; studio teneris: sed nescio quo pacto magis te philosophia delectat: credo, quod pluris apud te est, excogitare quæ nemo viderit, quàm imitari quæ alii fecerint. Quo in genere cùm omnino nullius ope videaris indigere, quippe qui ita abundes ingenio, ut, quocunq; te applicueris, excellas; tamen vide, quid egerim: inivi rationem, ut iuvare te possem. Nam hos Ciceronis de philosophia libros cum vetustis exemplaribus contuli, & emendatos ad te misi; ut tibi, si quando eos in manus sumeres, quasi facilior & expeditior legendi cursus esset. Sæpè enim ex te audivi, cùm diceres antiquorum in scriptis ita multa esse corrupta, ut in eorum, qui legerent, animos permistè falsa cum veris influerent: cui malo si quis mederetur, eum te existimare à studiosis omnibus, sed à te ipso certè maximam esse gratiam initurum. Quæ me vox non cohortata est, sed impulit, ut id facerem, quod feciſſe me vides. Ac fieri tamen potest, ut meo te studio & diligentiâ nihil juverim; & ea, quæ ego nunc in his libris restituta, in tuo nomine emitto, jampridem ipse habeas omnia, domi tuæ nata, & à te ipso quæsita. Sed ego ita sum ratiocinatus; cùm tu à philosophis didiceris, non in Reges, solum, & Principes qui summam juvandi facultatem habeant, sed in tenuiores etiam liberalitatis nomen posse cadere, quòd bene mereri, etiamsi non possunt, tamen & cupiant, & præcla-

rum existiment: eâdem ratione fore ut, qvod ego te juvare voluerim, pro eo id accipias, qvasi maximè juverim.

AD MARCELLUM CERVINUM, SANCTÆ CRUCIS CARDINALEM, IN PHILOSOPHIÆ CICERONIS PARTEM ALTERAM.

IX.

ARGUMENTUM.

Disputat, ân Philosophia cognitio possit cum actione rerum conjungi. Non debere, probant qvidam exemplo eorum, qvi absqve illa res praeclaras gesserunt. Respondet, id non cuilibet in omnibus causis contingere. Qvi posse negant, eos refutat exemplo Cervini, qvi Romæ summis & gravissimis negotiis districtus, à philosophia tamen studio nunqvam divellitur. Hinc captat occasionem dedicandi ipsi partem alteram librorum Philosophicorum Ciceronis.

EST genus hominum, qvi ita sentiunt, philosophari, aut totum nihil esse, aut non eorum esse, qvi rerum agendarum in studio versantur. Qvorum in altero mihi videntur, cum homines sint, bestiarum consuetudinem imitari, qvæ tantùm ea, qvæ pedibus teruntur, qvæqve adsunt, intuentur, nihil altum suspiciunt, nihil longinqvum cogitant; in altero res à natura copulatas velle sejungere. Nam, qvi ab actione rerum philophiam excludit, is qvantum in se ipso est, corporis & animi societatem dirimit; cùm & corpus regimine animi, & animus

mus ministerio corporis indigeat. Sed proferunt multos, qvibus ignoratio philosophiæ non obstitit, qvò minùs ea, qvæ volebant, rectissimè perficerent. Qvasi verò sit eadem rerum omnium natura, & qvod uni aliqvi in causa contigerit, id cuilibet omnibus in causis posse contingere credibile sit. Naufragium facit natationis ignarus: arripit tabulam, & amplexu tenens ad littus incolumis à fluctibus appellitur: num iccirco natandi peritiam negemus esse utilem, qvod, sine ea qvi fuit, è periculo tempestatis evaserit? Incidat aliqvis in febrem: non curatur, & convalescit: tollemus igitur medicinam, qvoniam sunt, qvi sine ejus ope sanentur? Nihil minus: nisi si ea, qvæ in casu sita sunt, anteponimus iis, qvæ ratio gubernat. Qvod idem de philosophia dicendum est. Nam, ut illud demus, sine ea multos esse laudem consecutos: non & hoc dabimus, fore, ut sine eâdem conseqvi omnes possint. Non eiusdem semper generis agendæ sunt res. Est, ubi prudentia vel mediocris abundè satisfaciat: est item, ubi mentis altior contemplatio reqviratur. Hoc extremum qvi poterit, seqvitur ut & illud primum; sed qvi illud primũ, non & hoc extremum. Qvodcùm ita sit; utrum præstet habere, facilis est diiudicatio. In optione enim, & eligendi potestate, nemo ferè est, qvin totum partibus censeat esse præferendum: propterea qvòd non totum in partibus, sed partes includuntur in toto. Ergo, cum perspicuum hoc sit, accidere & posse & solere, ut Philosophiæ cognitio & utilitatem afferat, ignoratio detrimentum: dubium non est, qvin ea videatur

tur esse cum rerum actione conjungenda, Sed iidem conjungi posse negant: qvo argumento? Ajunt eas dissimili in genere versari, alteram in otio, alteram in negotiis: itaqve se non videre, qvî possit in utraqve unus excellere. Hic ego, Cervine præstantissime, meam memoriam non excutiam, ut ea, qvæ legerim, aut audivererim, reminiscar. Non est consilium, qvæ ad illos redarguendos faciant, veterum è scriptis eruere. Volo, ut exemplô tuô refellantur. Romæ vivis, & vixisti multos jam annos. Nunqvam omninò tua virtus tam illustri loco latuit: sed postea qvàm te Paulus III. incredibili Pontifex non modò sapientiâ, sed bonitate etiam ornatus, in altiore dignitatis gradu collocatum, suorum omnium consiliorum & participem, & adjutorem esse voluit: tum verò clarissimè sese ostendit lumen animi, ingeniiqve tui; ut nullus esset honor tantus, qvi, in te collatus, non videretur ei, qvi contulisset, magnam esse judicii laudem allaturus. Itaqve paulò pòst Cardinalis factus es, & factus tanto bonorum applausu, tantaqve lætitiâ, qvantam in animis hominum rectè sentientium summa dignitas virtuti tributa potuit excitare. Qvo toto tempore valdè tu qvidem fuisti, atqve es etiam nunc districtus à negotiis, maximeq; ab iis, qvæ & ad sedandas Christianorum Principum discordias, & ad restituendam Religioni dignitatem pertinent: sed te tamen à philosophiæ studio nulla res unqvam potuit divellere. Sic & animo, & corpori suis utriqve muneribus aptè distributis qvotidie ferè modò à cognitione ad res agendas, modò à rebus

rebus agendis ad cognitionem traductus, teqve ipse in hoc qvasi circulo identidem revolvens, effecisti, qvod ab iis, de qvibus initiò dixi, fieri posse negatur, ut & in tractandis negotiis, & in considerandis rerum humanarum divinarumqve causis occupatus, dispari in studio, pari tamen cum laude versaris. Ex qvo intelligitur, ab iis, qvi rerum actioni se dedunt, & percipi philosophiam, & tractari posse: debere autem ostendimus: est igitur eorum, qvi aliter existimant, sententia omnis explodenda. Nos qvidem, & nostrâ sponte commoti, & tuo exemplo impulsi, qvotidie magis philosophiam admirantes, in ejus cognitione cupimus acqviescere; ad eamqve, magnis defatigati laboribus, & molestiis, tanqvam ad jucundissimum diversorium properamus. Qvò si pervenero, vel potiùs cùm pervenero: (cur enim meam ipse cupiditatem ominibus optimis non proseqvar?) tum ego qvidem multò, qvàm nunc, facilius tua in me merita vel tuebor, vel etiam illustrabo. Interea non fumus otiosi: utinam potiùs aliqvantò minùs occupati. Provinciam cepimus duram, atqve difficilem, veterum scriptorum libros emendare dum volumus, omninò in hoc onere sustinendo valdè sudamus: sed animus, tuarum cohortationum memoriâ confirmatus, manet in officio, manebitqve dum id, qvod instituimus, absolvatur. Nunc edimus Ciceronis libros de philosophia, sanè multis à mendis, potissimum ex antiqvo Bernardi Maffei, qvi te maximi observat, juvenis eloqventissimi, libro vindicatos. Qvi cùm ita digesti essent, ut in duas partes tributi

lege-

legerentur; cumqve ego ex iis partibus eam maximè vellem tibi inscriptam emittere, qvæ tuæ personæ, dignitatiqve aptissima videretur: feci, ut eam deligerem, in qva de natura deorum eleganter & acutè disputatur: ut, qvoniam, valdè tibi pro tua veteri erga me voluntate, proqve summis officiis deberi fructus industriæ meæ videntur, ii dum ad maturitatem pervenirent, his te interim qvasi floribus oblectares.

AD RAINUTIUM FARNESIUM CARDINALEM, IN SUOS COMMENTARIOS CICERONIS EPISTOLARUM AD ATTICUM.

X.

ARGUMENTUM.

Ad rectè faciendum duo ait requiri: Bonitatem naturæ, & Doctrinam. Illam per se laudabilem esse hanc sine illa neqvaqvam: Qui verò utrumqve conjunxerint, pauciſſimos reperiri. Cujus raritatis causam refert ad mores Principum, qui si boni & docti sint, cives qvoque tales esse: qvod probat exemplo avi (Pauli III.) ipsius & fratris Cardinalium, qvorum illo in Pontificia sede sedente virtus emerserit, & his vivis literæ patronos habituræ sint. Inde digreditur in laudes Farneſii Cardin. eumq; hortatur ad virtutem colendam & ornandam: Qvod cum ab ineunte ætate Romæ, Patavii qve fecerit, & in Picentina Legatione nunc faciat, impulsum se scribit ad commentarios suos in Epiſt. Ciceronis ad Atticum in ipsius nomine emittendos,

tendos, qvorum breve Elogium subjungit, utqve eos suâ autoritate contra reprehensores tueatur, rogat.

BEnè audire, qvi est rectè factorum fructus, omnes ferè volumus, amplissime ac præstantissime Rainuti: ipsum qvidem rectè facere, unde, illud qvasi ex fonte deducitur, paucorum hominum semper fuit. Est enim tum perfectæ naturæ, tum doctrinæ singularis: ut tamen natura sine doctrina facilè possit ad laudem pervenire; doctrina sine natura laudabilis nunqvam, turpis etiam sæpè sit. Itaqve vel in agris inculto homines ingenio virtutem tamen coluêre: doctrinis autem eruditi viri, qvæ ad benè agendum esse instrumenta debuerant, iis ad perniciem suarum civitatum sunt abusi. Qvid de Pisistrato Græcæ historiæ loqvuntur? Qvid nostræ de Cæsare? Doctum utrumqve & eloqventem fuisse; iis tamen utrumqve sensibus, ut, exempla majorum, & legum sanctissima jura contemnentes, libertatem suis civibus eripere præclarum duxerint. Ergo prima laus bonitatis est, qvæ nihil nisi se ipsam spectat, ipsa sibi finis est: altera doctrinæ, qvæ nisi ad bonitatem referatur, laudabilis non est, ideoqve, ut laudetur, finem seqvitur se ipsâ præstantiorem. Qvod si qvis est, qvi alterum cum altero conjunxerit; ut & bonus sit, & idem doctrinis institutus: neqve rectum ideò solùm cupiat, qvia sit ipse ad rectum naturâ propensus; sed qvia, qvod rectum non est, id esse turpissimum intelligat: hic est, qvem in vita humana divina bona consecutum putemus. Præclara res, sed exemplo minùs nota: id autem, ut ego opinor, ob

mea

eam causam, qvòd unusqvisqve in vitam Principis, tanqvam in speculum, intuens, ad illius similitudinem se ipse fingit, format. Ideoqve viri sapientes alterutrum rectè cupiverunt, ut aut reges philosopharentur, aut regnarent philosophantes; utrum esset, futurum ut ex virtute penderemus. Qvod si fuit ullum tempus, cùm homines rationes, & cogitationes omnes suas in philosophia constituerent: tum profectò cœpit esse, cùm avus tuus ad Christianæ Reipublicæ, nimiùm magno periculo fluctuantis, gubernacula DEI jussu accersitus, sedit in sede Pontificia Pontifex dignissimus, eâ præditus non solum auctoritate, sed etiam sapientiâ, ut hic nos in tantis tempestatibus servare solus à naufragio possit. Cumqve laudandus est maximè, qvòd optimè ipse sentit, optimis semper in studiis. consiliisqve defixus: tum, qvòd optimos viros adscivit sibi & consiliarios, & suæ voluntatis administros. In qvo ego tantum soleo ponere, ut si mihi alterutrum eligendum optio detur, non-bonum principem malim cum bonis administris, qvàm bonum cum sui dissimilibus. Sed benè, qvòd habemus utrumqve; & Pontificem, qvalem res poscebat, & Collegium tali Pontifice dignissimum. Itaq; nunc emergit virtus: honestum revocant: desertæ per multos annos literæ patronos habent, diuqve, ut auguror, habebunt. Tu Rainuti, fraterqve tuus, duo clarissima Italiæ lumina, uterqve optimus, præclaram consuetudinem tenebitis ab avo traditam. Certè enim non ideò te Patavii per tot annos summi doctores erudierunt, ut ea, qvæ tantis vigiliis qvære-

qværebas, consecutus negligeres. Amabis eadem, & fovebis; tuumqve erit proprium studium non solùm colendæ virtutis, sed etiam ornandæ. Refer animum ad eos, qvi, multis antè seculis exstincti, tamen in laude vivunt: omnes reperies, his gradibus adscendentes, ad immortalitatem perveniisse. Qvorum tu qvia facta imitaris, non dubito, qvin eorum semper florentibus nominibus ita tuum nomen inseras, ut nunqvam exaresçat. Materiem habes ad gloriam, Anconitanam provinciam: qvam nunc ita regis adolescens, ut ea præstes, qvæ sæpè desideramus in senibus. Qvæ qvanqvam ad eos solùm, qvibus cum potestate præes, pertinere videantur; tamen illa tuæ ditionis terminis non continentur. Scis consuetudinem famæ. Illa nos per ora hominum sublimes vehit: benefacta simul, & malefacta æqvè circumfert: sed benefacta laudibus excipiuntur, malefacta conviciis explodun-tur. Itaqve noli putare, te Picentibus solis esse continentem, esse justum, esse beneficum. Picentes hæc vident, longinqvi audiunt & prædicant. Te ajunt esse, ad qvem aditus omnibus pateat; cui sit justitiæ, sit pietatis antiqvissima cura; cujus & potestas timeatur, cùm omnia possis: & bonitas diligatur, cùm idem non plus licere tibi velis, qvàm qvantum leges præscribant. Mactè adolescens laudibus eximie, imitator avi, majorumqve tuorum. Rectè cogitasti, in imperio laudem non esse, nisi cùm is, qvi imperat, imperio dignus est. Qvod qvia tibi sive à natura, sive à disciplina, sive, ut ego arbitror, ab utraqve simul contigit: qvod

ad naturam attinet, referimus ad Deum; de disciplina, te ipsum & laudamus, qvi ad hæc præclara invigilaveris; & amamus, qvia sunt amabiles virtute præditi. Me qvidem & multis abhinc annis, cum Romæ te vidissem, atqve allocutus essem, in tui observantiam voluntas inclinavit, jam tum de tua indole exspectantem ea, qvæ consecuta sunt: & postea Patavii, cùm in studiis optimarum artium totus esses, judicium impulit. Hæc tua Picentina legatio qvasi operis perpolitio fuit: in qva thesauros philosophiæ multorum annorum studio congestos, explicas, & cum provincia communicas. Itaqve, cum ego multò antè, qvàm istam tibi administrationem summus Pontifex demandasset, eos commentarios, qvibus epistolas ad Atticum illustrare sum conatus. in tuo nomine emittere statuissem; postea simul cum tuis laudibus crevit voluntas mea. Eos igitur nunc emitto, seriùs omnino, qvàm nonnulli exspectaverant; sed meam tarditatem opus ipsum excusat. Epistolas ad Atticum interpretanti properandum non fuit. Aliis in rebus possum esse qvantumvis strenuus: in hac qvi possum esse non tardus? Primum multa difficilia; deinde non iisdem causis omnia, sed alia propter brevitatem, alia propter historias, alia propter mores. Huc adde, qvod mihi qvibusdam in locis non satis fuit explicare ea, qvæ aperta non erant; sed tentavi, num etiam paulò floridiùs possem, qvàm nostri grammatici solent. Neqve tamen sum nescius, fore multos, qvi me in his commentariis ùt hebetem, qvia nonnullaminus acutè viderim, vel fortasse etiam ùt

ùt cœcum, qvia prorsus non viderim, reprehendant. Qvi si mihi, cur id faciant, causas afferant probabiles; non committam, ut iidem me etiam ùt pertinacem possint reprehendere. Amo enim veritatem, neqve eam in me ipso magis, qvàm in alio: itaqve complectar, sicubi eam videro. Tibi verò, clarissime Rainuti, qvod in has Ciceronis epistolas laboris impendi, maximè ob eam causam cupio probari, ut, si qvi verè judicare propter insciitiam non possunt, aut propter malevolentiam nolunt, eos à consilio detrahendi tua deterreat auctoritas. Venetus. M. D. XLVIII.

AD ALPHONSUM CARAFAM, ANTONII MARCHIONIS MONTISBELLI F. IN SUOS COMMENTARIOS CICERONIS EPISTOLARUM AD Q. FRATREM.

XI.

ARGUMENTUM.

In genere qveritur de pravis hominum moribus, qvi sæpè vituperant, qvæ laudibus efferri oporteret. Id in specie probat exemplo eorum, qvi studium Latinæ lingvæ vituperent, videlicet qvòd Latina lingva non perfectè sciri nec pronunciari possit. Qvòd ejus non sit tanta dignitas, ut tàm diuturnam in ea operam ponamus. Qvòd, cùm aliæ in ejus locum successerit, non sit necessaria. Ad singula respondet, &, vulgarem lingvam Italicam Romanarum literarum tractatione augeri posse ostendit. Hoc cum Carafa intelligat, laudat illum, qvòd ab ineunte ætate elo-

quentiæ operam dederit, & etiam nunc det, nactus ducem Job. Paulum Flavium, qui ipsum per directam semitam ad Rom. linguæ decus ducat. His inserit querelam de misero statu linguæ Latinæ, quæ omne suum decus amissura sit, nisi divinitus remedium aliquod extiterit. Hoc remedium autem afferre posse ait Paulum IV. Pontif. fratrem avi Carafæ, quem laudat cùm ab aliis artibus & virtutibus, tum ab eloquentia; in cujus vestigio ut pedem ponat, illum hortatur. In quem finem ipsi Epistolas Cic. ad Brutum & Qv. Fratrem inscribit.

SI suo qvæqve res meritô penderetur, Alfonse Carafa, hominum esset in virtute vigilantium præclara conditio: contraqve, qvos aversa à ratione voluntas ad malas artes, & flagitiosa consilia traducit, cum iis pessimè semper ageretur; eorumqve docti exemplô, sapientiùs deinde alii non modò suis, verùm etiam publicis rationibus consulerent. Itidem enim, ùt è corruptis seminibus vitiosæ fruges: sic à malis exemplis improba studia, à laudabilibus optima nascuntur. Verùm hoc totum secus est. Qvippe non modô ad reprehendendum, qvæ reprehendi jure possunt, procliviores, qvàm ad laudandum, qvæ laude digna sunt, omnes ferè sumus, nec satis æqva lance turpe & honestum examinamus; qvæ debemus pariter, alterum odisse, alterum diligere: sed etiam sæpè facimus, ut eas res, easqve actiones, qvarum causas ignoramus, qvæqve, rectè ne an secus fiant, dijudicare non possumus, accusemus tamen, acerrimaqve vituperatione, qvæ interdum efferri laudibus oporteret, ea depri-

deprimamus. Ac, ne me putes, Alfonse clarissime, hujus initium sermonis temerè detulisse; ego nunc, si nescis, meam, meam dico? immo verò communem utriusqve nostrûm causam ago. Aut enim uterqve agimus egregiè, aut uterqve similiter peccamus. Audisne tu voces in Latinæ lingvæ nomen irrumpentes hominum obtrectantium, qvi rei pulcherrimæ scientiam reprehendant; qvi nos derideant, ludosqve faciant, atqve etiam, si diis placet, odio dignos existiment, qvòd operæ tantum ac temporis in hoc tam nobili studii collocemus? Tu fortasse non audis, totus in literas abditus, multorum à consuetudine sejunctus; aut, si audis, negligis, opinor, magnis non tam fortunæ, in qva tamen ipsâ multum inest, qvàm rerum omnium laudabilium præsidiis ad omnia munitus. Me verò, humilis hominem loci, hac una tibi Romani sermonis cupiditate parem, ceteris rebus omnibus inferiorem, ista sanè, qvæ feriunt aures meas, vehementer commovent: non qvòd ea, qvibus utuntur, argumenta firma sint, qvæ ostendam esse inania: sed qvod, ùt eam qvisqve virginem, cujus amore flagret, intactam ab injuria, puram ab omni labe velit: sic ego, qvasi lutosis maculis adspersam, ac fœdatam eloqventiam, qvam semper dilexerim, cùm adspicio, sensibus intimis afficior, sic, ut ferre non possim. Objiciunt illud primùm: qvatenus aliqvid cognosci possit, eatenus in eo laborandum; Latinam lingvam obsoleviisse jam, & exstinctam pene totam esse: qvam enim hodie nationem, ùt omnes animo perlustrentur, Latina loqvi? Qvod

verò ex ea superſit in libris, minimum id eſſe, tanqvam aliqvod inane ſimulacrum corporis exanimis: qvocirca neqve ſciri perfectè, cùm exiguam partem libri contineant, neqve pronunciari decenter, cùm ſermonis uſus evanuerit, à nobis poſſe. Secundo loco ſtatuunt: ùt abſolutè percipi, qvod negant, Latina lingua poſſit; mirari ſe tamen etiam atqve etiam, cur induſtriam in ea perdiſcenda tam diuturnam ponamus: vitio qvidem id fieri voluntatis, & judicii: dignitatem in re tantam non eſſe, ut hærere per tot annos in hoc ſtudio debeamus. Concludunt poſtremò: ùt de perfecta cognitione, de dignitate, ac præſtantia concedatur; tamen eſſe, cùm, eâ pulsâ, ſucceſſerit alia, minimè neceſſariam. Hæc iſti, qvæ ſpecie aliqvid videntur: ego, re nihil eſſe, ſi qvando me præſente diſputantur, oſtendo. Convenit inter nos, eſſe aliqvid in omnibus facultatibus, atqve artibus extremum, qvò noſtra ſtudia cùm pervenerint, qviescendum. Sed hoc extremum qvibus terminis metimur, reine naturâ, an vulgi opinione? Si opinione vulgi: licet propemodum otioſè vivere: mediocria, qvæ putantur excellere, qværamus: id ſatis eſt; illa ſumma, ubi ſummum decus habitat, qvæ vulgus ignorat, omittamus. Sin extremum illud eſſe volumus, qvò perventum cùm eſt, progredi longiùs non licet: moderata ſtudia non dantur. Perfectam enim ſcientiæ laudem adipiſci, maximi operis eſt. Itaqve hoc extremum, qvod opinor, natura novit una, ſapiens nemo unqvam ſe putavit eſſe conſecutum. Extant, literarum clariſſimis

rissimis testata monumentis, exempla summorum Philosophorum, qvi cùm ætatem in abditarum rerum perscrutandâ notitiâ contrivissent, multaqve partim legendo, partim cogitando præclara & eximia reperissent, latere tamen adhuc, magnis involutam difficultatibus, veritatem, & aliqvid sibi, atqve adeò multum esse qværendum existimabant. Eadem nunc, aut certè similis admodum nostra ratio est. Qværimus id, qvod in Latina lingua perfectum putamus. Non assequemur: esto; veruntamen, qvò plùs, ut assequamur, contenderimus, eò scilitet propiùs, si qvid studio proficitur, accedemus. At laboris, & industriæ terminus tamen statuendus aliqvis est. Concedo: sed hoc qvidem, si diligenter attendatur, nihil aliud est, qvàm perfectum ipsum definire. Hoc enim ad unum nostri labores intenduntur, hoc unum nostra spectat industria; perfectum autem ipsum ego mihi ab hominibus imperitis definiri nolo. Certè definiant, ii, qvibus utor magistris, Cicero, Cæsar, Terentius, Plautus, qvorum ex libris, qvæ Latinæ linguæ sit elegantia, qvæ ubertas, qvæ vis, facilè possum intelligere. Qvæ si, non dico qvanta sunt, (immensa enim esse video) sed si ea mihi magnâ ex parte comparassem, modum fortasse facerem studio meo; sed ut inter hos, qvi nunc homines vivunt, aliqvid esse videamur, nihil tamen, si verè de nobis ipsis judicare volumus, præ illis, qvorum exstant satis multa scripta divinitùs, nihil, inqvam, planè sumus. Qvare, qvod ad scribendum attinet, habemus abundè, qvod imitemur. De pronunciatione verò minimùm

laboro. Qvid enim? An putamus in iis ipsis, qvi tum Romæ vivebant, eandem pronunciandi rationem fuisse? Non fuit. Confluebant in urbem, ille cti spe summorum magistratuum, qvod habuit illis temporibus præmium eloqventia, oratores ex universa Italia. Causas agebant Romani homines pariter & peregrini, sono vocis dissimiles, pronunciatione diversa: suam tamen qvisqve, pro eô, qvantum qvisqve valebat, ingeniô, laudem ferebat. Si Curibus educatum, aut Arpini, orantem in foro audires; Sabinum statim, aut Arpinatem agnosceres. Neqve tamen à forensi operâ & judiciis propterea qvisqvam est exclusus, qvia minùs Romanè, hoc est, qvia minùs aptè, minusvé decenter, pronunciaret. Nunc ipsum, in hac, qva Itali omnes utimur, linguâ estne omnium in disjunctis & longinqvis urbibus simillima pronunciatio? Meherculè ne in iis qvidem. Venetiis enim (domestico utar exemplo) aliter in urbe media, aliter in extrema loqvuntur. Qvapropter nimis injusto privilegio damnabitur Latina lingua, si, qvod in ceteris linguis usu videmus evenire, ut non modò diversis, verùm etiam iisdem & temporibus, & locis non similiter omnes pronuncient, id ei præcipuum apponatur: cujus etiam magnis ac præstantibus meritis aliqvid largiri tum humanitatis, tum æqvitatis esset. Secundum erat de dignitate, in qvo non tàm eqvidem, qvid ipse respondeam, qvàm qvid istos in hanc mentem impulerit, qværo. Itane? Dignitatem Latinæ literæ non habent? Humiles, & obscuræ sunt literæ illæ, qvæ populi Romani nomen extol-

extollunt, atqve illustrant? qvæ summorum Imperatorum fortiter & præclarè gesta per omnes gentes cum laude disseminant? qvæ majores opes, qvàm ulla unqvam lingua, majora suorum meritorum præmia in orbis terrarum domina civitate sunt adeptæ? Sed ineptus sim, si me patronum Latinæ linguæ profitear: qvæ tantum possidet eloqventiæ, ut, ipsa suam causam si agat, facilè se ab adversariorum calumniâ vindicare possit. Nunc qvod isti postremo loco argumentum, qvasi postrema in acie subsidium firmissimum, collocant, videamus in eo qvantum roboris ac nervorum sit. Plus enim est fortasse, qvàm ut contemnere, minus certè, qvàm ut pertimescere debeamus. Nusqvam, inqviunt, viget usus Latini sermonis: aliter nunc omnes loqvimur. Id verùm est. Si qvid igitur in Latinam linguam studii confertur, opera non benè ponitur? hoc falsum. Duplex autem est, qvâ utor, ratio probandi. Primùm illud suscipio, ac defendo: non, qvæcunqve necessaria non sint, propterea spernenda esse omnia, atqve explodenda: deinde, si spectetur utilitas, ita Latinam utilem esse linguam, ut etiam necessaria videatur. Qvæ sunt, qvæ verè, & propriè necessaria dicimus? Nimirum ea, qvibus carere nullo modò possumus. Hujusmodi sunt primum elementa: deinde, qvibus famem, frigoraqve arcemus, victus, vestimenta, ædes: aut ea, qvibus hæc parantur: præterea, in publicis rebus, leges, & magistratus; in privatis severitas, & vigilantia. Ex hoc numero Latinam certè non esse linguam, facilè concedo. Neqve enim is ego

sum, qvi libenter cum veritate pugnem. Sed præter hæc, qvibus hominum vita sustinetur ac regitur, qvàm multa sunt, minimè necessaria, qvæ tamen habemus in delitiis, qvæ amamus, qvæ etiam honore prosequimur? Gemmas, & vasa pretiosè cælata, columnas marmoreas, laqveata tecta, sericas vestes, textiles picturas, artem in vocibus & fidibus, odores in unguentis, condimenta in cibis. Hæc certè, atqve hujus generis sexcenta, non ut necessitati pareret, sed ut sensibus satisfaceret, invenit industria, qvæ qvin habeant jucunditatis, & ornamenti plurimum, nemo negat. Qvod si, qvæ sensus juvant, & laborioſè qvæsita sunt, & retinentur accuratè: qvantò nobis ea, qvæ animum oblectant, potiora debent esse? Pascitur animus magnitudine rerum. Qvid Livii sublimius historia, qvæ populi Roman. bellicam virtutem commemorat? Gravitate sententiarum: qvis Cicerone prudentiùs, qvis eruditiùs disputat? Elegantiâ verborum & copiâ: qvis eodem ornatior, qvis uberior? varietate scriptorum; qvod genus Romanæ literæ desiderant? Poëtas habent egregios, historicos, oratores, philosophos etiam excellenti doctrinâ claros. Qvæ si vera sunt, sint, nec ne, res ipsa declarat: ambigere non licet) & si voluptatem studiosis Latina lingua parit incredibilem, possum iſtis tribuere, qvod volunt, necessarium vulgo non esse; dum ipsi contrà, qvod ratio postulat, atqve exigit, hoc mihi tribuant, amandam esse vehementer, atqve expetendam. Sed hæc ad eam, qvâ legendo fruimur, voluptatem pars attinet: nunc, qvod eram

ram alterum pollicitus, de utilitate videamus. Omnes linguæ aliarum admistione linguarum, si moderata sit, augentur; si nimia' corrumpuntur, atqve intereunt. Qvod enim recipitur, id esse debet ejusmodi, ut recipientis naturam suâ vi, suâqve magnitudine non exsuperet. Itaqve sermo hic noster Italicus multas Gallici sermonis, multas Hispanici, qvasdam aliarum nationum habet partes. Causam si qværimus: non alia, qvàm earum gentium interventus, & consuetudo fuit. Qvod si Gallorum, aut Hispanorum immensa multitudo, (exempli causa dictum à me sit; omen qvidem inane esse volo) sed si earum nationum major aliqva vis in Italiam irruperit, ac permanserit: major simul inducetur Gallici, aut Hispanici sermonis usus: & fortasse adventitium illud usqve eò valebit, ut hoc domesticum vincat, suisqve sedibus expellat. Qvod olim Romanæ linguæ contigit: qvam multarum ætatum spatiô, multis maximarum rerum adjumentis auctam, atqve confirmatam; diversis tamen populis Italiam occupantibus, diversarum linguarum impetus oppressit. Cum igitur lingua linguam amplificet; nostraqve hæc Italica, non multis abhinc seculis orta, nec admodum liberaliter præmiorum nutrimentis educata, non ita dum adoleverit, ut suis contenta viribus esse possit, statuo sic, atqve concludo: accessionem ei fieri majorem non posse, qvàm si cum Latinâ conjungatur: non modò, qvia nulla plenior, aut ornatior; verùm etiam, qvia nulla similior: ex qvo sequitur, ut ad coëundam cum ea societatem nulla commodior

Est

Estigitur literarum Romanarum cùm per se laudabilis admodùm, & jucunda tractatio; tum verò, siqvidem hunc ipsum, qvo nunc utimur, auctum exornatumqve sermonem cupimus, magnoperè necessaria. Atqve hæc tu qvoqve vides, Alfonse ingeniosissime; tuumqve judicium cum mea sententia conjungis. Itaqve, cùm à prima pueritia ad eloqventiæ Romanæ cupiditatem incumbere cœpisses, postea te non ambitio, qvæ sæpe præclarè jacta fundamenta virtutis evertit, non commodum, non illa bonis artibus inimica voluptas ab hoc studio deduxit. Ac ne nunc qvidem langues; cum tamen omnia videas ardere bello, amorumqve strepitu aures tuæ qvotidiè personent. Qvin, dum patrui tui, Carolus Cardinalis, & Joannes Palliani Dux, uterqve ob virtutem immortalitate dignissimus, maximeqve pater tuus, Antonius Marchio Montisbelli, natus ad omnem gloriam, omniqve princeps laude cumulatus, urbem Romam, & jura Pontificia tuentur, partesqve in bello qvisqve suas consiliô, vigilantiâ, fortitudine ita explent, ut antiqvam majorum suorum consuetudinem referant; ipse te interea continès in tuis perennibus studiis, animumqve tum aliis magno Principe dignis virtutibus, tum verò maximè excolis eloqventiâ, doctorem in ea, ducemqve nactus, divino qvodam munere, virum excellentem, Joannem Paulum Flavium; qvi te novo qvodam, planeqve admirabili genere disciplinæ, abductum à vulgi erroribus, per directam semitam ad eximium illud veteris Romanæ linguæ decus facilè ducit, qvò vel cum summis labo-

laboribus ac vigiliis adspirare pauci, aut fortasse etiam nemo potest. Qvanqvam me nonnunqvam, de statu Latinæ linguæ cogitantem miseratio qvædam acerbo cum dolore tangit: qvòd ita futurum animo cernam, ut hæc, per tot jam secula, à tot ingeniis, tàm diligenter culta, latinè scribendi ratio, qvæ parentem nostram Italiam nobilitavit, qvæ tot in nos merita contulit, ætate demum nostra, nisi remedium aliqvod divinitus exstiterit, suam honestatem omnem, neglecta prorsus, in perpetuum amittat. Qvod si rebus inclinatis jam jamq; cadentibus opem ferre qvisqvam potest, unus est Paulus IV. Pontifex omnium optimus, idemqve divinâ potiùs, qvàm humanâ sapientiâ præditus. Unus, inqvam, aut nemo unqvam, & Latinam linguam, & laudabilia qvæqve studia veterem in dignitatem vindicabit. Qvi, cùm frater fuerit avi tui; cumq; illum una virtus ad eum gradum extulerit, unde humana omnia despicit, supra casus omnes, supra fortunam ipsam collocatus: hunc te decet imitari hujus vitam perpetuò sanctissimè traductam, hujus, omnia facta, consilia, instituta tibi ante oculos ponere. Vides pietatem erga DEUM, & in auctoritate Pontificia, id est, in ipsâ religione tuendâ firmitudinem animi, atqve constantiam. Vides multiplicem rerum humanarum divinarumqve scientiam: trium verò linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ cognitionem penè singularem. Eloqventiâ verò prorsus eum excellere omnes fatentur: qvi qvidem qvacunqve de re non modò copiosè, verùm etiam ita eleganter, ac disertè loqvatur extempore

pore, ut ei non arte qvæsita, sed à natura donata videatur eloqventia. Hunc igitur seqvere & in illius vestigio pedem statue. Ipse enim DEUM secutus est, cùm etiam felicitatem, qvam pleriq; mortales ignorant, animo cogitaret. Qvem tu qvoqve finem spectas, ùt audio: & ob eam causam futurum homines augurantur, ut ejus dignitatis, qvæ summæ proxima est, insignia brevi omninò conseqvaris. Qvod cùm evenerit: lætabor primùm tuâ, deinde, communium studiorum causâ. Qvi enim tuos impetus ad laudem nunc videmus, tuosq; planè sensus intelligimus: an, ubi ad istam voluntatem auctoritas, atqve opes accesserint, fore dubitemus, ut à te ipso dissentias? Præstabis, Alphonse, tu qvidem alia præclara, te ipso scilicet dignâ, tuâqve familiâ, in qva florere vides heroes permultos, gloria circumfluentes, virtutis in studio defixos: maximè verò gratiam referes optimè de te meritæ Latinæ linguæ, eamqve, paulatim Italiâ cedentem, & ad transalpinas nationes, magno nostro dedecore, migrantem, in suam sedem, domicilliumqve revocabis. Cujus gloriæ causâ si monendus es, monitorem ad te; sin rogandus, supplicem volui mittere commentarium hunc meum in epistolas ad M. Brutum, & ad Q. Fratrem. Qvi cùm tibi studia commendat eloqventiæ, in qvibus ego per tot annos, utinam cum aliqva laude, magno certè cum labore versor, commendat simul, paulò tamen verecundiùs, se ipsum, & vigilias meas: qvarum fructus mihi erit uberrimus tum benevolentia, tum judicium tuum. Qvæsivi omninò, idqve mihi primum fuit,

fuit, posteritatis utilitatem, quod est proprium familiæ nostræ; sed in te ipsum simul, cum huic operam commentario darem, spectavi. Tu si probas ea, quæ literis mandamus, si faves industriæ, optimeque esse animatum erga studia significas: ego me, quæ summa sunt, omnia consecutum putabo.

AD ANTONIUM ÆLIUM POLAE EPISCOPUM, IN ORATIONIS CICERONIS PRO P. SEXTIO COMMENTARIUM.

XII.

ARGUMENTUM.

Queritur de amissa interpretandi autores ratione, & paucissimos esse scribit, qui in hoc genere studium ponant. Causam transfert in rei difficultatem, Facit autem difficultatis duo genera: Unum eorum, quæ & sunt & existimantur difficilia: alterum eorum, quæ non existimantur difficilia, sed tamen sunt. Hujus postremi generis dicit esse rationem interpretandi bonos scriptores, quos quilibet putet se posse explicare: sed commentarios illos dicit esse nullius pretii. Idq; probat exemplo Ciceronis Orationum, in quas extare quidem ait commentarios, sed plerosq; esse tales, ut multa corrumpant, & explanando pervertant. Hanc ob causam se suscepisse ait laborem scribendi in Ciceronis Oration. Commentarios à Maffeo, tùm viveret, probatos, ex quibus Commentarium in Sextianam, tanquam specimen nunc edat, & Ælio Polæ Episcopo inscribat: in cujus eximias laudes digreditur, addita consilij sui ratione, quòd videlicet Maffei vestigiis insistat, quòd ar-

ctissimæ

Etiſſima inter illos fuerit conſuetudo, qvòd Maffeo mortuo partes ornandi literas jam ad ipſum perlatæ, ſimulqve jam Antiqvitates Rom. ſe pertexturum pollicetur.

Cùm alia multa, qvæ vigebant olim rerum laudandarum ſtudia periiſſe, atqve exſtincta prorſus eſſe, dolendum eſt, Æli, vir optime, ac doctiſſime: tum hanc, in qva ſitam omnes vel maximam utilitatem intelligunt, interpretandi rationem ita amiſimus, ut ex eorum, qvibus noſtrâ patrumqve memoriâ ſuam hoc in genere induſtriam locare ſtudium fuit, magno ac infinito propè numero, non tamen ita multos, qvi tolerabiles videantur; qvi verò excellant, qvàm pauciſſimos, aut fortaſſe neminem liceat invenire. Atqve, hujus qvidem incommodi culpa unde manaverit, exponam. Primùm illud in controverſiam non cadit: Qvò qvidqve præſtantius, eò laborioſius, ac difficilius eſſe. Alioqvi nihil jam excelleret. Qvod enim conſeqverentur multi, in eo dignitas non eſſet, & ex copia vilitas exiſteret. Eſt igitur in magnis rebus item magna, qvæ nos ab earum qvaſi poſſeſſione arcet, conſtituta difficultas. Hæc porrò ſimplex non eſt, ſed in duo genera dividitur. Qvædam enim, ſicuti exiſtimantur, ita difficilia ſunt; qvædam, cùm non exiſtimentur, tamen ſunt. Ubi difficultas & eſt, & apparet, inde multitudo voluntatem, & ſtudium libenter abducit. Rem qvidem ipſam, qvanti eſt, opinione æſtimamus, & vehementer expetimus; magnis verò laboribus, & vigiliis ut ematur, non facilè qvisqvam à ſe ipſo impetrat. Amat enim homi-

nis

minis natura moderatam qvietem, eaqve alitur, & crescit; nimias contentiones, qvibus frangitur, ac minuitur, recusat. Ubi verò facilè in speciem aliqvid ostenditur, difficultas inclusa latet: cujusmodi non esse pauca, inanis multorum docuit experientia: eò freqventes, bona spe invitati, accurrunt, facilèqve ad eas res aggrediuntur, in qvibus vel mediocrem operam si ponant, futurum, ut ex animi sententia succedat, arbitrantur. Qvos deinde, gravi temeritatis infamiâ, refellit eventus. Hujus generis hæc est, de qva orationem instituimus, ratio interpretandi. Qvis enim est, qvi se non existimet Livium posse, Sallustium, Virgilium, ipsum meherculè Ciceronem ita commodè explicare, ut desiderari ab eruditis, beneqve intelligentibus viris nihil qveat? Atqve hi, cum in C. Marii, aut in L. Syllæ nomen inciderint; si Marii, aut Syllæ vitam à Plutarcho sumptam, in sua scripta totam transtulerint; tum se suas præclarè partes absolvisse existimant: cùm interim, in qvo doctrinæ, qvæ paulò sit occultior, appareant notæ, in qvo ingenii lumen eluceat, in qvo prudentiæ vis, aut judicii signa cernantur, nihil afferunt. Exire videmus qvotidiè, à postremi ordinis hominibus factos, speciosis magnaqve pollicentibus titulis insignes, mnimi pretii commentarior: qvos non modò qvi scribunt, falsâ de seipsis opinione decepti, verùm etiam qvi typis impressos edunt, iis, qvi hoc de genere judicare possunt, inconsultis, qvodammodo deformant præclara studia literarum, & de posteritate ipsâ pessimè merentur. Sed cetera, qvæ ferenda

non sunt, feramus tamen, ac dissimulemus, sanè multa; commentarios verò illos, qvi passim leguntur, in Ciceronis orationes, (qvem librum? Latinorum omnium facilè principem) gravem, inqvam, illam immensi voluminis molem qvis est qvi ferre ullo modo possit? Loca sunt in Ciceronis orationibus malè mendis affecta qvàm plurima: sanari nullum videas. Sunt ob antiqvitatis obscuram notitiam difficilia: qvis est, de tot interpretum numero, qvi lumine explanationis illustret? Deniqve communia tantùm, qvæqve omnibus penè patent, ea sumunt ad explicandum; ex abditis, qvò sine labore & ingenio accessus non est, doctrinæ fontibus, nihil hauriunt. Contraqve multa corrumpunt magis, dum emendare conantur: multa explanando pervertunt, & pulcherrimas sæpè sententias turpissimis inscientiæ maculis inqvinant. Qvæ me ita commovit indignitas, itaq; meum animum, ut verè dicam, miseratio qvædam affecit, qvasi ob illatam viro optimo, egregièqve de literis merito, Ciceroni, qvi Romanæ terminos eloqventiæ longissimè protulit, ignominiam; ut statuerim, si cum vita valetudo, & cum valetudine otium suppetat, triennium, aut qvod omninò res exiget spatii, in hoc omnium pulcherrimo libro interpretando, studiosorum gratia consumere. Non qvòd ego is sim, qvi mihi tantum arrogem, ut aliis detractam scientiæ laudem ad me transferam; abest hoc à consuetudine mea, abest à natura plurimùm: sed neqve rursus is sum, qvi cum ceteros probè noverim, ipse me prorsus ignorem; & qvi, cùm alios accusem propte-

propterea, qvia non præstant ea, qvæ ab eorum studio postulantur, ego me, si qvid præstare posse mihi videor, velim contemnere; non ita laudem fugio; etsi nec nimis appeto. Alterum stupidæ cujusdam sapientiæ, alterum insanæ ambitionis esse vitium semper duxi. Neqve verò, si qvid mihi elegantioribus in literis assumsero, longè admodum ab iis finibus, qvos modestiæ ratio præscribit, discedere mihi videbor. Scis tu, Æli, pro nostra vetere amicitia, & familiaritate, per qvot annos, qvibus laboribus hæc, qvæ ab humanitate nomen acceperunt, studia coluerim. Sciebat optimè omnium, & mihi, cùm viveret, hoc nomine tribuebat plurimum, Bernardinus Maffeus Cardinalis, meus ille in omni mihi vita deflendus Maffeus, Urbis delitiæ, lepor, humanitas, exemplum antiqvi officii, flos omnium virtutum. Is amabat hæc studia mirificè, eaqve, qvibus poterat rebus, (poterat autem plurimis) tuebatur, & fovebat. Benè autem de hac, qvæcunqve in nobis est, vel potiùs qvantulacunqve est, Latinæ orationis facultate existimabat: meqve qvotidiè, qvantum possem, ut Latinè scriberem, urgebat: & scribebat ipse, ùt scis luculenter, & egregiè. Probabat omninò meum consilium, & efferebat, maximè, de commentariis in Ciceronis orationes; sed exerceri malebat priùs industriam meam in Antiqvitatibus Romanis, ipso potissimùm auctore institutis. Interim, ut qvasi ex unius partis forma de toto liceret edificio conjicere, unam aliqvam, qvæ speciem ingenii mei præberet, orationem subsecivis horis ut exponendam su-

sciperem, hortatus est. Ego sumpsi pro Sextio: nec multis post eum sermonem mensibus, hunc, qvi nunc in tuo nomine, Antoni Æli, apparebit, commentarium absolvi. Et, qvod, ille si viveret, feciſſem, ut hoc ei, qvidqvid est, muneris deferrem, studio meo commotus, illius virtute impulsus; idem nunc, iisdem adductus causis, tecum facio libentissimè. Nam cùm amicitia inter nos est, qvanta inter duos, qvorum & voluntates, & judicia consentiant, esse potest maxima: tum habes virtutem, non eam, qvæ petitur à libris, qvæ uno scientiæ nomine definitur, sed eam, qvæ oritur ex animi præstantia, & multas in se laudes continet, studium in suscipiendis Ecclesiæ causa laboribus, constantiam in perferendis; humanitatem in excipiendis hominibus, benignitatem in sublevandis; comitatem in consuetudine familiarium; gravitatem in congressu & sermone clarorum tuiqve similium virorum; deniqve voluntatis propensionem ad optima qvæqve singularem. Itaqva te summus ille artium honestarum patronus, decus Italiæ, Alexander Farnesius Cardinalis in oculis fert: tibi arcana communicat; tuis in consiliis, si qvid deliberandum est, multum, si qvid perficiendum, in vigilantia plurimum ponit. Tu, qvô apud illum Maffeus olim loco fuit, eodem ipse nunc es: rectissimamqve laudandarum actionum viam, observatis Maffei vestigiis ingressus, pergis eò faventibus hominibus, approbante Deo, ubi debitum iis, qvi benè ac laudabiliter vixerint, præmium, summa dignitas persolvitur. Movit etiam me vehementer

illa

illa ratio; qvod erat inter vos conjunctio animorum arctissima, conveniebant sensus, congruebat voluntas: præterea simplices animi, & puri, nulla simulationis arte obducti, nulla invidiæ aut malevolentiæ labe suffusi. Qvare, qvoniam illa Maffei suavitas, illud ingenium, illa virtus erepta morte, nimium iniqvo fato, nobis est: (tametsi memoriam illius viri neqve mihi mors, neqve omnino dies ulla unqvam eripiet) & qvando, qvæ illius erant partes in ornandis liberalibus disciplinis, eæ translatæ ad te videntur, præclariqve muneris qvasi vicarius relictus es: ego qvoqve, qvod in illum studii, qvod habui voluntatis, ac benevolentiæ, (id erat tantum, ut accedere nihil posset) totum illud in te unum, illi qvàm simillimum, contuli; & qvi te antea, multis erga me meritis, multis ingenii tui suavitatibus adductus, unicè dilexissem, tamen id, qvod in amore summum videbatur, auctum, cùm hoc accessit, etiam atqve etiam, plenissimèqve cumulatum intelligo. Tibi igitur offero fructum ingenii mei, in orationem pro Sextio commentarium, operis universi, qvod majores à me vigilias postulat, imaginem: qvod ipsum Maffeo promissum, idem tibi, qvi ejus in locum successisti, jam nunc animo dicamus. Verùm hoc seriùs fortasse præstabitur. De re enim, qvod ad me attinet, constitutum est, & ùt vides, aggressus jam sum: de tempore, is, à qvo nostrorum consiliorum pendet eventus, rerum omnium moderator viderit DEUS. Habeo nunc in manibus Antiqvitates; eas nisi pertexuero, nihil instituere in animo est. Pertexere autem ut possim,

sim, duo sunt optanda: valetudo, & otium: qvod utrumqve, assiduis annorum superiorum studiis infirmatus, & rei familiaris curâ impeditus, nunc qvidem magna ex parte desidero. Accipe interim hoc, qvod adest, argumentum observantiæ in te meæ; & illud, qvod aliqvando, ùt speramus, futurum est, suo tempore exspecta.

AD JOANNEM MORVILLERIUM, REGIS GALLORUM APUD VENETAM REMP. ORAT. IN IV. DEMOSTHENSIS PHILIPPICAS LATINITATE DONATAS.

XIII.

ARGUMENTUM.

Qveritur de difficultate vertendi de Græco: & qvi Latina ex Græcis faciunt, in duo ait vitia contraria incurrere. Nam vel Græca verba totidem reddunt Latinis, qvod ineptum: vel ornamenta qværentes à sententia longiùs aberrant: Paucissimos medium tenere, qvi tamen se perfecte interpretis munus impleviſſe putant. Qvo loco autem ipse habendus sit, permittit judicio Morvillerii, Regis Gallorum ad Remp. Venetam legati, à qvo cùm sua scripta probari velit, magni referre ait ad ingenii sui commodationem, qvid ipse de vigiliis suis sentiat.

QVàm difficili in loco versetur eorum industria, qvi de Græco vertunt, neqve tu, ùt arbitror, ignoras, Joannes Morvilleri, vir clarissime, cui vel exercitatio literarum, vel ipsâ natura, vel potiùs utraqve simul hoc dedit, ut in judicando excelleres; & e-

& ego experiens ita sensi, ut, qvi aliis antea in hoc genere peccantibus acerbior fuissem, ac durior, idem postea re tentatâ, eò libentius ignoverim, qvò magis eandem ipse culpam extimescerem. Occurrunt iis, qvi de Græcis Latina faciunt, duo inter se maximè contraria vitia: qvorum utrumqve cùm evitandum æqvè sit, ita periculosa tamen cautio est, ut ferè, declinare ab altero dum vis, in alterum incurras. Nam & in qvo eo laborant, ut Græca verba totidem penè Latinis reddant, qvòd fideles interpretes haberi volunt, ineptè faciunt, atqve in illa ipsa nimis attenuata diligentia graviter peccant: qvoniam qvidem res ipsa primùm fit obscurior; qvod cum interpretis officio pugnat: deinde Latinæ orationis dignitate cultuqve destituta sordescit. Et qvi horum in verbis referendis religionem improbant, putidamqve appellant, libertatem ipsi qvandam & licentiam magis amant, his plerumqve contingit, ut, dum ad ornamenta toto animo intendunt, ab ipsa sententia longiùs aberrent. Summum artificium, summamqve possidet prudentiam, si qvis, inter has difficultates constitutus, qvasi medius inter duas Syrtes ita navigat, ut naufragium non faciat. Qvòd ætate nostrâ cùm ex transalpinis hominibus multi, ex nostris etiam non pauci tentaverint; tamen, cùm omnes excussi, vix unum aut alterum ex universa multitudine reperio, qvi perfecti munus interpretis expleverit. Atqve ego videbam fore, ut in illam ipsam peccantium interpretum turbam conjiceret: & communem esse causam confiteor: sed mea tamen hôc probabilior

est, qvòd alii ad id, qvod in hac genere perfectum est, perveniſſe ſunt arbitrati; ego, qvàm à perfecto longè diſtem, ipſemet intelligo: ut mihi ſaltem incorrupta fuerit idea; aliis non ſolùm perficiendi ratio defuerit, verùm etiam judicandi. Sed, qvia fieri poteſt, ut qvemadmodum alii falluntur in eo, qvia ſua ſcripta nimis indulgenter probant; ego contrà fortaſſe fallar in eo, qvia mea ſeverè nimis improbem: exſpecto, qvid tu ſentias, Morvilleri ſapientiſſime; ut, ſive inter me & alios interpretes aliqvid intereſſe duxeris; ſive me qvoqve in eodem, qvod ajunt, hærere, luto judicaveris; ego, qvidqvd, ſtatueris, ad tuam ſententiam meum de me ipſo judicium in utramqve partem accommodem. Eqvidem probari à te, atqve etiam laudari mea ſcripta velim: &, qvi minimè ſoleo eſſe ambitioſus, tamen igniculis qvibusdam cupiditatis incendor, ut meum nomen in ore tuo verſetur. Non enim, à qvovis homine laudari, optabile eſt; turpe etiam, à qvibusdam. Me qvidem non tam ipſa laus, qvàm laudantis auctoritas afficit. Qvare, cùm tuis ſis, de qvo duo Reges, at qvales Reges? omnium, qvi in Gallia regnaverint, maximi, pater, & filius, optimè ſenſerint, qvorum alter legationem tibi ad Venetam Rempubl. detulit, alter eundem honorem poſtea confirmavit; cumqve in ipſa legatione publicam perſonam omni re, loco & tempore ita ſuſtineas, ac tuearis, ut ſummam in te gravitatem omnes laudent, nec tamen humanitatem qvisqvam deſideret; magni refert ad ingenii mei commendationem, qvid tu, vir primarius, & omni laude cir-

de circumfluens, de hac mea tenui vigilia sentias. Potest obscuram per se lucubrationem, tuum testimonium illustrare. Quod ego si assequar, ad illa præstantiora, quæ majorum vigiliarum sunt, quæ scis à me jam esse instituta, fiam alacrior, quæ ipsa posteri cùm legent, (non enim dicam, si legent); quia, quod summè cupio, summè etiam sperare jucundum est) de tua, non unâ, aut altera virtute, sed sapientia, quæ omnes virtutes continet, me narrante cognoscent; &, cum cognoverint, ipsi quoque prædicabunt. Venetiis. M. D. LI.

AD HIPPOLYTUM, ESTENSEM CARDINALEM, IN LICRUM DE ROMANIS LEGIBUS.

XIV.

ARGUMENTUM.

Cùm omnes res humanas esse mutationi obnoxias scribit, tum etiam artes liberales, quas nulla ætas magis afflixerit, quàm cùm imperii sede Constantinopolin translatâ Imperatores Romani Italiam barbaris gentibus vastandam reliquerint. Leonem X. Pontif. Max. cœpisse jacentes literas erigere: sed morte præventum, summam tam præclari operis non potuisse absolvere. Postilla bella incidisse. Nunc Hippolyto Estensi Cardin. voluntatem juvandi generis humani à Deo datam esse. Ac proinde illum monet, ut desertum literarum patrocinium suscipiat, & eruditos beneficentiâ sublevet. Sic futurum, ut ex illorum ingeniis quotidie aliquid efflorescere suo beneficio videat. Hâc spe quoq; se compulsum ad Antiquitates Romanas, quas, autoribus Bembo & Maffeo olim illustrare cœperat, perpolien-

das: atqve ideo ipsi Librum de Legibus præ reliqvis electum dedicat, seq; totum ipsi addicit, rogans, ut suis laboribus, tanqvam propitium numen, adesse velit, qvò relictos Antiqvitatum Rom. libros possit absolvere.

OMnes artes, atqve omnes res, Hippolyte Princeps, & Cardinalis, modò augeri, modò minui, nec easdem perpetuò esse, satis inter omnes constat. Patet hoc qvidem oculis primùm, deinde etiam mentibus. Oculis notamus eventa: mente, cur qvidqve eveniat, qvòve referenda sit cujusqve rei mutatio, intelligimus: itaqve lapides, & metalla, qvæ omnium durissima sunt, qvæ vis hominum frangere vix potest, hæc tamen conficit, & consumit vetustas. Qvidqvid enim ex partibus aliqvando coiit, & concretum est, id easdem in partes aliqvando dilabatur, ac dissipetur, necesse est. Habet hoc materia illa, unde res omnes constant, ut formæ mutationem qværat: idqve qvod seqvitur, assecuta, migrat in alias naturas, qvasi, qvod appetit, eô nunqvam esse contenta videatur. Neqve verò naturales tantum ad res conditio pertinet, sed inventa qvoqve hominum, operaqve attingit. Mores, consuetudines, loqvendi ratio, qvam linguam vocamus, leges ipsæ, qvas, ne qvid unqvam ex hominum memoria deleat, in æs incidimus: omnia demum, qvæ ab arte naturam imitante fluxerunt, qvotidiè mutantur, ac tolluntur, non modò ab externis causis, contra voluntatem nostram, verùm etiam à nobis ipsis, qvia tempus ita postulet. Sed artes liberales, optimaqve studia, qvæ nusqvam magis,

magis, qvàm in Italia, honor aluerat atqve auxerat, ætas nulla magis afflixit, qvàm cum Romani Imperatores, Imperii ſede in Thraciam translata, Italiam barbaris nationibus diripiendam, ac devaſtandam reliqverunt. Qvod niſi ſuperioribus annis Principes, ac Pontifices aliqvot, maximè verò Leonis X. egregia, propeqve divina liberalitas huic malo ſubveniſſet: qvem Laurentii Medices, patris ſuis clariſſimis viri, exemplô commotum, etiam veræ laudis cupiditas impulit, ut jacentes ingenuas artes, magnis propoſitis præmiis, excitaret: barbara credo, qvod ad literas attinet, magna ex parte nunc eſſet Italia: dignitas omnis philoſophiæ, ſplendor omnis obſoleviſſet eloqventiæ. Sed neqve ille hujus præclari operis ſummam potuit abſolvere, ereptus morte diſciplinis liberalibus nimis immaturâ: & interitum illius tempora ſunt ejusmodi conſecuta, ut, qvæ paululum jam luxerant honeſtarum ſcientiarum ſtudia, ea perpetuis multorum annorum tenebris, qvaſi nox qvædam, obſcuraverit prorſus, atqve exſtinxerit. Fatalis enim bellorum tempeſtas non exercitationem modo literarum ſuſtulit, verùm etiam, qvæ ſunt in excolenda virtute poſitæ laudes, eas labefactavit omnes, atqve pervertit. Ac nunc qvoqve, cùm pacis aliqva ſpes, longo ſanè intervallo affulſiſſet, miſera rurſus eodem malo tentatur Italia, veteresqve calamitates adverſus bonis artibus neſcio qvis Genius invehit. Nunc te, Hippolyte Cardinalis, cui ſummam juvandi generis humani voluntatem Deus tribuit, eximiam ad laudem vocat occaſio. Suſcipe deſertum penè

ab

ab omnibus literarum patrocinium : collige tu, qvæ alii dissipant, omnium laudandarum doctrinarum studia, & restitue nobis illa, qvæ vel hominum improbitas, vel, ut aliò culpa derivetur, fortunæ vis eripuit. Hæc est actio digna Cardinali, digna Principe, Hippolyto verò & Cardinali & Principe dignissima. Vidimus tuam præteritam vitam: ab ea nihil humile, nihil obscurum, nihil vulgare, ampla omnia, præclara, inusitati exempli, novi generis exspectantur. Qvæ tu, ne à te ipso dissentias, nunc qvidem magna ex parte præstabis, atqve adeò jam præstas, bonis viris, & eruditis beneficentiâ sublevandis. Qvorum ex ingeniis non dubito qvin qvotidiè aliqvid efflorescere tuo beneficio videas. Qvod, qvia præclarum est, exemplum alii seqventur. Scribent omnes, qvod qvisqve poterit, illecti gloria, & commodorum spe compulsi. Nam, ut conjecturam de me ipso faciam, qvem esse nihil in literis fateor; ut aliqvid tamen essem, laboravi: ego olim (decennium, opinor, abiit, eoqve amplius) auctoribus duobus eximiis viris, Petrô Bembo Cardinali, & Bernardino Maffeo, qvi postea dignitatem eandem magnis in Ecclesiam Christi meritis est consecutus, dederam me ad res Romanas, illas veteres, observandas, & ex omnibus antiqvorum monumentis omni studio colligendas: ut, cùm illam Rempubl. qvâ nulla fuit, nec erit unqvam illustrior, universam animo, ac scientiâ comprehendissem, Latinis eam literis explicarem, egregiumqve benè ac laudabiliter institutæ civitatis exemplum meis, qvatenus qvidem ipse possem, scriptis expressum, poster-

posteris relinqverem. Res erat præclara; meqve delectabat vehementer, & afficiebat ipsa tractatio. Itaqve meam omnem industriam, omnem curam, omnes deniqve in hoc studio cogitationes fixeram, ac locâram. Sed accidit iniqvo meo fato, ut horum utrumqve, Bembum primô jam senem, cujus in benevolentia ornamenti mihi erat plurimum, deinde Maffeum, non ætate minùs, qvàm virtute florentem, in qvo mei spes otii sita omnis erat, à qvo pendebam totus, importunâ morte ereptum amiserim. Destitutus eo præsidio, qvo meæ fortunæ nitebantur uno, fractus animo, ac debilitatus, institutum Antiqvitatum Romanarum opus omiseram, & ad alia me converteram. Postea verò qvàm, honorificâ imprimis conditione delatâ, magno sum à te tuo beneficio in tuorum familiarium ordinem invitatus, qvod ego summæ felicitatis loco duxi, erectus mente, atqve animo rursus, qvod abjeceram, suscepi, unusqve tantum, qvantum privatis opibus perferri vix, aut ne vix qvidem potest, te uno fretus egregiè sustineo. Et, ut ex parte totum judicare posses, de decem, qvos exorsus sum, libris, hunc de Legibus potissimum, qvem ad te mitterem, delegi: non qvòd ita postularet ordo: (sextum enim Antiqvitatum volumine locum obtinet;) sed, qvòd, cùm omnium librorum materies non modò coacta jam in unum, à me esset universa, verùm etiam satis diligenter in partes distributa, casu accidit, ut hic minùs, qvàm ceteri, rudis, minùs esset impolitus. Præterea feci libenter, tuis actionibus admonitus. Leges enim hic liber complecti-

tur

tur. Porrò leges nihil aliud, qvam rationem, nihil præter ordinem, docent. Ratio autem, & ordo, si usqvam, in tuis moribus elucet. Qvippe nihil agis non moderatum, nihil non æqvabile, nihil, qvod non cum ea, qvam sustines personâ, id est, cum religione verè Christiana, ac Sedis Apostolicæ dignitate consentiat. Qvare cùm omnia mea tua sunt; qvandoqvidem ego me tibi, qvidqvid sum, & qvantus esse possum, totum addixi: tum verò hic de legibus Romanis liber verè tibi debetur, tibiqve est à me jure optimo scriptus. Qvo in libro bene positam à nobis operam si duxeris, de ceteris qvin idem sentias, haud eqvidem verebor. Pergo enim studio pari, voluntate etiam, ut mihi videor, acriore. Unum modo exoptandum est, ut, qvando nos ab hoc studio nulla utilitas, nulla voluptas, ne valetudinis qvidem satis imbecillæ ratio potest avellere, nostris laboribus tua benevolentia qvasi propitium numen adsit. Sic enim fiet, ne qvâ prorsus in difficultate, ne qvo unqvam in scopulo nostra hæreat industria: & in eum, qvò spectat animus, portum secundo cursu, tuæ benignitatis aurâ prosequente, facilè pervehemur. Venetiis. M. D. LVII.

IN EDITIONE KALENDARII ROMANI.

XV.

ARGUMENTUM.

Reddit rationem, cur Kalendarium Romanum cum Fastis Caroli Sigonii edat.

Factum

FActum est à me sanè libenter, ut cùm edendi essent Romani Fasti, è lapidibus Capitolinis descripti, adjungerem ad eos Kalendarium, ex qvo ratio dierum, pro ea, qvæ Romæ olim fuit, consuetudine, tota patet. Atqve in hanc me voluntatem, vel cupiditatem potiùs, primùm ea, qvam & meâ sponte, & patris exemplo semper spectavi, publica literarum utilitas, deinde etiam Caroli Sigonii, viri optimi, & ab omni prorsus iniqvi animi labe puri singularis doctrina deduxit. Putavi enim, id qvod res est, futurum, ut ad Kalendarium ex Fastorum societate commendationis tantum accederet, qvantum ad ipsos Fastos è Sigonii studio, ingenioqve esset adjunctum, qvi diligenter additamenta ipsius, & in ea commentarium, qvi propediem edetur, plenissimum legerit, facilè cognoscet. Non enim illa supplementa, qvæ in lapidibus illis, unde Fastos habemus, desiderantur, ex Livio, aut Dionysio, aut ex duobus tribusve præterea libris, qvos etiam leviter eruditi homines in manibus habent, colliguntur. Non est id, ut rudes antiqvitatis homines existimant, joculare qviddam. Opera hæc qvidem esset, non industria. Et operæ qvis laudem tribuit, cum in tempore duntaxat posita sit? Industria verò non ab ingenio, non ab intentione qvadam mentis abest: itaqve jure laudatur. Qvod si satis esset, historiam semel aut iterum legendo percurrere; nemo esset, cui Romanarum rerum notitiam assiduo biennii trienniive studio comprehendere universam non liceret: in qva tamen ego jam per decennium desudo: & qvò diligentiùs ea ipsa,

qvæ

qvæ legi sæpissimè, cogitatione retracto, eò certiùs, qvantum in hoc genere sit difficultatis, intelligo. Itaqve opto, ut, qvæ alii collegerunt, omnes edant statim, & mihi hanc laudem præripere conentur. Video enim fuisse nonnullos, qvi, meis scriptis ad hujus scientiæ studium aliqvot abhinc annis excitati, & in vicibus eorum librorum, de qvibus edendis cogitare me, jam diu polliceor, animadversis, qvasi qvodam lumine ad ineundam studiorum viam prolato, ambitione præcipites, dum anteire nobis volunt, in maximos, maximeqve pudendos errores inciderunt. Qvorum alios alii peritiores, nullâ facta morâ, alios fortasse nos, non illos qvidem nominatim, significatione tamen satis apertâ, ne omnino debitâ laude fraudentur, aliqvando refellemus. Redeo ad Sigonium. Ille verò, cùm inspectis antiqvis libris, lapidibus, nummis, nomina magistratuum vetustate vel amissa prorsus invenit, vel mutila perfecit; cum fastorum partem alienum in locum translatam, in suam sedem retulit, cùm censuras, tùm triumphos addidit & trunco qvasi corpori sua membra restituit; nihil potuit difficilius, nihil, in qvo majorem à bonis bonorumqve literarum studiosis hominibus inire gratiam posset: hoc enim libro, hoc inqvam, qvem nos edimus, (nam inchoata qvis perfectis anteponat?) qvi res Romanas curant, horis ferè singulis utantur necesse est. Itaqve, eum qvi literis à me poscebant superioribus mensibus, amici homines aliqvot ex Hispania, plures ex Gallia, & Germania; hoc adscribebant omnes: Cum Caroli Sigonii supplementis. Qvorum

rum à me voluntati satisfactum esse, vehementer gaudeo, eoqve magis, qvòd adjunxi, qvod fortasse non exspectabant, non poscebant certè, Kalendarium Romanum, utile illud qvidem dierum causâ, qvorum in eo genera distinguntur, sed utilius ob id aliqvantò, qvòd ad comitia, judicia, senatum, Romana deniqve omnia, qvi conjecturâ, ingenioq; valebunt, multam inde scientiam derivabunt.

AD HIERONYMUM FALETUM, HERCULIS FERRARIENSIUM PRINC. APUD VENETAM REMPUBL. ORATOREM IN IPSIUS POEMATA.

XVI.

ARGUMENTUM.

Faleti Poëmata suis typis excusa edens, orditur à Poëseos dignate & suavitate: Poëtasq; definit, non qvicunq; versus scribunt, sed qvorum in vita non minus qvàm in scriptu ordo elucet. Cujusmodi cùm sit Faletus, principiò illum à poëseos & morum elegantiâ laudat. Deinde ipse gratias agit, qvòd illorum Poëmatum typis suis edendorum potestatem sibi fecerit. Tertiò causas exponit, cur librum Faleto inscribat, videlicet, qvòd sit Principis magni orator, qvòd bene de se meritus, qvod singularis amicus: qvæ tria in inscriptione librorum præcipuè spectari soleant: Qvartò ipsum monet, ut opus de Fisco absolvat. Denig; ipsum rogat, ut sibi in amore respondeat.

MAgna laus est eorum, Hieronyme Falete, qvi non ad vulgarem humilemqve artem, sed ad

nobilem aliqvam liberalemqve doctrinam sua studia contulerunt: maxima verò, si qvis eam philosophiæ partem, qvæ Poëtis appellatur, ita est complexus, itaqve hæret in ea cognoscenda, ut avelli nullâ prorsus ratione possit. Itaqve veteres illos, qvibus optimi ac summi Dei vocem audire, ejusqve sermone frui sæpè licuit, homines sapientissimos atqve sanctissimos, Poëticæ facultatis admodum studiosos fuisse constat, suasqve cogitationes non eô, qvô qvilibet uteretur, sermone, sed versibus exponere voluisse. Qvorum extant nonnulla, sanè præclara: qvæ cùm legimus, afficimur, & qvasi divinâ qvadam vi abrepti, extollimur haud paulò altiùs, qvàm qvi rerum humanarum in studio versantur. Habet igitur ars poëtica dignitarem: qvandoqvidem in ea latent arcana philosophiæ, qvæ profanis oculis non patent: ea rudes animos excolit: ea nos ab rerum humilium studio deducit ad egregios mores, ad verum religionem, ad excellentem magnarum rerum cupiditatem vocat. Habet eadem suavitatem: qvia vocibus aptè constructa oratio miram infundit auribus animisqve jucunditatem. Et, ut uno verbo comprehendam, poësis numerus est: numerus porrò nihil aliud qvam ordo: ordinis autem principium à Deo fluxit. Divini sunt igitur homines poëtæ, nec ullo non honorum genere decorandi. Poëtas autem definio, non qvicunqve versus faciunt, qvi molesta & odiosa garrulitate sæpè nobis obstrepunt; sed eos, qvorum invita non minùs, qvàm in scriptis, elucet ordo; à qvibus colitur humanitas, & beneficentia non modò lau-

dò laudatur, verùm etiam pro facultatibus exercetur. Hæc enim sunt sacra illa mysteria, qvæ Poësis fabularum specie ita velat, ut ea tamen vatum excellentium, hoc est, bonorum virorum, mentes intelligant. Qvæ verò his virtutibus adversantur vitia, hæc sunt illa monstra, inimica naturæ, qvæ poëticis figmentis ostenduntur, sus Erymanthius, leo Nemeæus, hydra Lernæa, gigantes, & harpyiæ, qvæqve alia traduntur, perdendis hominibus, aut frugibus nata. Neqve verò tu, Falete doctissime, tantam animi præstantiam possideres, non esses tàm ad omnem virtutem, ad omnem laudem propensus, non tàm in moribus elegans, in consuetudine comis, atqve etiam pro tuarum copiarum ratione, beneficus ac liberalis, nisi magistram ab ineunte ætate habuisses Poëticam artem, qvæ te suis præceptis erudiit, atqve informavit; nihil ut ageres, qvod ab honesto dissideret, nihil ut in omni vita, præter decus, & antiqva majorum tuorum, hominum clarissimorum, instituta, cogitares. Cujus tanti beneficii non est apud immemorem gratia collocata. Habes enim poësin in delitiis: eam amas: eam ornas, cumqve Herculis, Ferrarienſium Principis post hominum memoriam maximi, personam sustineas, idqve tanto splendore, ac tantâ, qvantâ nemo unqvam antea dignitate; summis tamen magnarum rerum occupationibus districtus scribis sæpè versus Calliope dictante, & à gravissimis curis tanqvam in amœnissimos Musarum hortos animi causâ divertis. Superioribus qvidem diebus, cùm gregium illum Athenagoræ veteris philosophi, li-

brum de altera hominum vita Græcè scriptum, Italicum in sermonem convertisses, atqve ego te, qvod viatores, difficili confectò itinere, consueverunt, aliqvot dierum qvietem velle capere existimarem: inveni te poëma tuum de bello Sicambrico, nonnullis abhinc annis compositum, ita tractantem accuratè, ut adderes non pauca, qvædam detraheres, multa corrigeres. Qvæ cum legerem, admiratus elegantiam verborum, splendoremqve sententiarum, hortatus sum ut ederes, & eò magis, qvòd reliqva tua poëmata, non modò jam typis impressa, verùm etiam scripta, per manus, perqve ora doctorum virorum eximiâ tua cum laude volitarent. Qva in re non modò meo, verùm etiam studiosorum omnium nomine gratias tibi habeo, habeoqve, dum vivam immortales, qvòd meis hortatibus, ac precibus tribuisti tantum, ut te mihi totum remitteres, tuorumqve poëmatum jus omne tuum, omnemqve planè potestatem ad me liberalissimè transferres. Qvod cùm impetrassem, exceptus sum illico eâ curâ, Principine alicui viro, qvod ferè solet, an amico homini, ac familiari, an verò tibi ipsi potiùs ingenii tui fœtus essent dicandi. Tibi qvidem tua deberi videbantur: sed ab hujusmodi consilio tua mihi multis in rebus perspecta modestia deterrebat. Rursùs, cùm intelligerem, omnes ferè libros, qvi typis divulgantur, vel iis dicari solere, qvorum auctoritas, aut qvorum opes utilitatem aliqvando aliqvam ei, qvi mitteret, parere posset; vel iis, qvos pro magnis eorum beneficiis aliqvo munere remunerari æqvum esset; vel iis deniqve, cum qvibus

minimè vulgaris intercederet amicitia: hæc, Falete humaniſſime, cùm omnia concurrerent, victus ſum, tuaqve ad te ipſum ſcripta mittere conſtitui. Nam, etſi Princeps tu qvidem fortunâ non es, ſummis tamen Principibus tua te virtus ita commendavit, clarumqve reddidit, ut eorum opibus æqvè, ac tuis, eos qvos diligis, beare poſſis. Sed omitto reliqvos. Herculesverò, Ferrarienſium Princeps, immortalitate digniſſimus, cui te totum uni addixiſti, cujus eſſe vis, qvidqvid in omni vita præſtare potes, is qvo te numero habeat, facilè declaravit, cùm, poſt multas legationes ad Sarmatarum Regem, ad Imperatorem, ad Pontificem, oratoris apud Venetam Rempubl. munus honorificentiſſimum tibi commiſit. Qvapropter, qvod ad hanc partem attinet, parvi refert, utrum Principis nomine liber aliqvis inſcribatur, an verò ejus, cujus apud Principes auctoritas ea ſit, ut prodeſſe, qvibus velit, non mediocriter poſſit. De tuis autem erga me officiis qvid agam pluribus? Qvæ cùm & multa ſint, & maxima, tum verò illud excellit, qvod in hac mea ſatis diuturna oculorum valetudine venire domum meam qvàm ſæpiſſimè, animumqve meum, triſtibus curis affectum, tuo adſpectu, ac ſermone recreare ſolitus es. Amicitia verò ſi ſpectanda fuit, neminem tibi debui anteferre. Conjunxit enim nos non caſus, ùt multos, non vulgare aliqvod ſtudium, non ambitio, non utilitas; ſed ipſa, qvæ omnes res nobilitate vincit, virtus & artium liberalium ſocietas, qvarum uterqve noſtrûm incredibili ſtudio tenetur. Mitto igitur ad te, qvando ita ratio poſtulat, tua

poëmate, non ut tibi, de me optimè meritò, qvasi gratiam referam de tuo; sed ut habeat à me nostra ætas, atqve adeò posteritas ipsa primùm testimonium benevolentiæ, atqve observantiæ in te meæ; deinde beneficium, qvòd, tua scripta cùm leget, fatebitur esse maximum. Interea peto à te, ut in illo majorum vigiliarum opere de Fisco, cui nondum extremam manum imposuisti, exorari te sinas, id est, ut absolvas, atqve perpolias. Magnum enim inde fructum capient omnes Jurisconsulti: cum te difficiles admodum reconditæ materiæ nodos ingeniô solventem, & qvæstiones illas implicatas atqve involutas explicantem intuebuntur. Neqve verò tua mihi est occupatio minùs nota; cùm & negotia tractes Principis eximii; & ob tuam virtutem nobiles viri non modò qvotidiè, verum omnibus penè horis officii honorisqve causâ ad te adeant. Rursus eum te esse novi, qvi, qvod tibi occupationes eripiunt, id ingenii præstantiâ conseqvaris. Consule igitur gloriæ tuæ: consule studiosis omnibus antiqvarum novarumqve legum: effice, ut, qvantum in poëtica facultate, qvantum eloqventiâ polles, tantum in jure civili, maximeqve in ea parte, qvæ obscuritatis habet plurimum, valere te tua scripta significent. Meam verò hanc, qvam profectò in hac epistola vides elucere, voluntatem, animiqve singularem ad te amandum propensionem amplectere, atqve ita statue, si tu mihi, qvod ùt video, præclarè facis, in amore respondebis, par amicorum neqve nostrâ, neqve veterum memoriâ conjunctius ullum fuisse. Idqve qvanti à me fiat,

dabo

dabo operam, qvantum in me erit, qvotidiè certiùs ut intelligas.

AD ISABELLAM VILLAMARINAM, SALERNITANI PRINCIPIS CONJUGEM, IN SCIPIONIS CAPICII POEMATA.

XVII.

ARGUMENTUM.

Cùm literatô & virtute ornatô Principe, nihil sit laudabilius, talis verò sit Isabella Salernitani Principis uxor, meritò ait, cùm omnes Poëtas ad illam celebrandam propensos esse, tùm verò imprimis Capicium: cujus poëmata cum typis suis descriptos jam emittat, rogat, ut id munus avidè accipiat, & se de eo amet.

EX omnibus rebus humanis cùm nihil sit literis doctrinâqve præstantius; seqvitur, ut literato Principe laudabilius nihil esse videatur. Non enim, si qvis humili fortunâ scientiis animum excoluerit, qvamvis omnium virtutum intelligentiâ sit ornatus, æqvè tamen eas virtutes exercere poterit, ùt summo loco natus. Omnium est scire, non omnium tamen agere. Non cadit in qvemvis administratio justitiæ, non liberalitatis. Esse oportet, qvibus imperes, ut justitiam colere possis; esse, qvod des, ut liberalitatem. Et, qvoniam ad hæc primùm à natura formamur, & fingimur, ut, qvæ laudabilia sunt, nostrâ sponte diligamus; deinde præceptis instituimur, ut voluntatem ratio confirmet: utrum-

qve si qvis habet, verissimis laudibus ornatur; eò magis, si is est, cui tertium etiam illud contigerit, ut fortunæ commodis abundet. Nam, qvi virtutem non ùt primum bonum, sed ùt alterius boni causam qværit, ùt divitiarum, ùt bonorum: ei virtus, qvæ perfecta non est, qvia qværitur ad aliud, perfectam laudem afferre non potest. Perfecta verò virtus est, qvæ seipsâ contenta nihil appetit, qvod extrà sit. Hanc si qvis est, qvi seqvatur, qvi unam diligat, qvi ipsam propter ipsam, non propter aliud, expetendam ducat; hic est, qvem dii præter cæteros diligere putantur, cui qvidem eam mentem dederint, ut præter ceteros saperet. Tua hæc est, Isabella præstantissima, tua inqvam hæc maximè laus est. Cùm enim tibi aut ad opes, aut ad dignitatem nihil ferè posset accedere: qvarum rerum cupiditate adducti, magnarum artium in studiis pleriqve vigilarunt; ipsa, nihil hujusmodi spectans, virtutis amore capta, cujus pulchritudinem animo cerneres, effecisti, studio tu qvidem, sed ingenio magis, ut, cùm esses omnium nobilissima, omniumqve pulcherrima qvorum alterum majorum tuorum, maximeqve viri tui, Principis omni laude cumulati, magnis rebus testata virtus, alterum benignissima tibi Natura dedit, eadem & sis, & habearis omnium doctissima. Hinc illa ad te colendam singularis omnium propensio; hinc multorum poëtarum, qvibus gravissima Regum bella magni operis argumentum suppeditare poterant, ad te canendam traducta ingenia: hinc Capicius ille tuus, tuarum laudum laudatissimus præco: qvi te admiratur unam,

nam, qvi obſervat: qvi cùm de te multa & vera prædicavit, ita concludit, unam habere, qvæ optabilia ſint, omnia. Itaqve me qvidem eodem ſtudio inflammavit, nihil unqvam ut ardentiùs optarim, qvàm ex tuis unus eſſe. Qvod qvò faciliùs impetrarem, feci, ipſo permittente, atqve etiam libente Capicio, ut ejus libros de Principiis rerum duos, de Vate maximo tres, meæ in te ſummæ obſervantiæ teſtes emitterem. Divinum carmen eſt, multis luminibus ingenii, multâ arte diſtinctum. Eqvidem nihil legi in hoc genere perfectius: ut ne Lucretius qvidem pluris apud me ſit: qvo cùm antea propter ſermonis elegantiam delectaret utererq; multùm, cœpit mihi jam minùs eſſe familiaris, poſtea qvàm Capicium legi. Hoc opus, & qvia ſcriptum eſt à tui ſtudioſiſſimo, & qvia verſibus te dignis, id eſt, luculentiſſimis, non dubito, qvin à me miſſum avidè accipias, ſic inqvam, ut de iſto me munere ames plurimùm.

AD TORQVATUM BEMBUM, PETRI FILIUM, IN VIRGILIUM.

XVIII.

ARGUMENTUM.

Torqvato Bembo Virgilium inſcripturus, orditur à defenſione Poëticæ facultatis contrà ejus obtrectatores, qvi eam fabulas continere ajunt, qvibus nihil ſit inanius. Sed reſpondet primò, ſub fabularum involucris ipſa Philoſophiæ myſteria contineri. Deinde adducit cùm alios ſummos

viros, in Italia, qui in Poëticæ facultate floruerunt, tùm verò Petrum Bembum Torquati patrem : cui cum Pater suus Aldus Virgilium inscripserit, rectè quoque se eundem Poëtam Bembæ familiæ debitum Torquato dicare : qui cùm paternis vestigiis strenuè insistat, non dubitat, quin futurum sit, ut ad ipsum aliquando summi in Ecclesia honores deferantur. Ut verò munus hoc à se animo benevolo accipiat, & majora exspectet, rogat.

QVod ego de Poëtica facultate sentio, idem tibi, Torquate Bembe, qui res præclaras ingenio studioque consecutus es, benè jam esse cognitum ac persuasum facilè puto, non esse eam inter ea, quæ minimi ducuntur; non vulgarem, non levem; summum esse quiddam, ac planè divinum; quique suas ad eam cogitationes conferant, etiam si, quod volunt, non assequantur, probandos tamen esse, quia scilicet ad maxima contendant; qui vero in ea ita versentur, ut excellant, colendos nobis esse vehementer, omniqve omnium laudum genere cohonestandos. Ac miror equidem fuisse, hodieque esse nonnullos, qui rem hanc pulcherrimam, ac deorum nobis munere concessam, parvipendant, atque etiam, si diis placet, in sermonibus vituperent. Quid, inquiunt, est Poëtica? Fabulas continet: fabulis autem quid inanis? Ridiculè: qui ex ipsorum ingeniis ceterorum ingenia metiantur; quæque ipsis obscura, ea reliquos videre non putent. Ego contrà ita soleo disputare; utinam, Torquate, te præsente, ac tui similibus: nihil enim tam optandum, quam habere judicem in controversiis, qui can-

causam, qva de agitur, qvæqve propter aliqvam difficultatem in dubium vocatur, optimè calleat. Sed ego contrà, cùm in hos incidi, ita soleo disputare: Estne aliqvid hominum generi utilius, aut omninò Philosophia præstantius? negare coguntur. Si negent, eos ratio refellet, & veritas ipsa: qvæ cum pugnat, facilè vincit. Una enim est Philosophia, qvæ vitia nostris ex animis evellat; una, qvæ inserat virtutes: humana omnia, multis obstructa difficultatibus, aperit; divina non illa qvidem prorsus, sed magnâ tamen ex parte patefacit. Atqve hanc, qvæ tantas res præstat, sive artem, sive scientiam, ne communis esset omnibus, vulgiqve tractatione, impurisqve mentibus contaminata sordesceret, obscuris fabularum involucris, qvasi aliqvid sacrosanctum, velavit, & custodivit antiqvitas. Fabulas porrò ipsas non eô, qvo vulgus utebatur communi, & soluto, sed exqvisito, & numeris adstricto orationis genere prisci illi, summâ homines sapientiâ præditi, prodiderunt. Placebat hoc illis, primùm ut rei dignitatem, si posset, qvatenus posset, verborum augeret elegantia: lectis enim, admodumqve puris è vocibus efficitur versus: nihil hauritur de fæce; deinde, qvia cùm philosophiam tractaret, majore nescio qva suavitate ex illo concentu, qvem numerosa vocum in versibus compositio gignit aures, animosqve perfundi pulchrum putabant. Qvæ cùm ita sint; neqve fabulas, qvæ philosophiam continent, neqve versus, qvibus facilè ipsæ continentur, jure qvisqvam reprehenderit. His ego ad coarguendam istorum insciti am, aliisqve

præter-

præterea utor argumentis. Addo exempla, eaqve Italorum, & eorum hominum, qvi noſtrâ, patrumqve memoriâ floruerunt, Pontanos, Sannazarios, Fracaſtorios (omitto alios: ſunt enim multi) nonne Muſarum inprimis conſuetudo delectavit? Propiùs accedo: Pater tuus, Torqvate, Petrus Bembus, qvem orbis terrarum cantat, nec injuriâ: vixit enim, qvantus ei vitæ curſus fuit, in virtute totus: is cùm alias coluit philoſophiæ partes, tum verò Poëticam artem amavit amore qvodam ardentiſſimo; ejusqve ſtudium à prima pueritiâ complexus, nunqvam, ne in extrema qvidem ſenectute, dimiſit. Scripſit autem verſus in omni ætate multos, & ſcripſit omnium elegantiſſimè, ſic, ut ei Apollo dictaſſe videatur. Itaqve rectè fecit, optimoqve ſanè conſilio pater meus, qvi Latinorum poëtarum principem Virgilium ejus nomini, qvem optimum poëtam noverat, inſcriptum emiſerit. Rectè item ego, qvi patris mei exemplum ſecutus, tibi, & tanti viri filio multis virtutibus ornato, & facultatis poëticæ ſtudioſiſſimo, ac peritiſſimo, eundem poëtam, qvaſi munus Bembæ familiæ debitum, dicaverim. Nam, qvemadmodum parentes noſtri alter alterum tum ſermonibus, tum ſcriptis ornabat, ut, qvantum inter ſe amarent, æqvi, & iniqvi cognoſcerent; idem ego cupio, & conabor, qvantum in me erit, (an præſtare poſſim, neſcio; ſed conabor certè) ut ex meis ſcriptis noſtram amicitiam, meamqve in te ſummam obſervantiam etiam ipſa poſteritas intelligat. Non enim, cum hanc meam multis abhinc annis ad te amandum & colendum voluntatem con-

contuli, id solùm spectavi, ut qvasi hæreditatem adirem amicitiæ paternæ: tametsi hoc ipsum qvoqve me movit, sicuti movere debuit, sanè plurimum: sed tua qvædam propria secutus sum: tuos, inqvam mores, tua studia, tuas virtutes vidi primùm: deinde ex judicio fluxit amor: & qvò meâ sponte propendebam, ratio impulit. Novite adolescentem, novi juvenem & Batavii, & Venetiis, sanctissimè viventem, & præclara illa cum doctissimis viris philosophiæ studia tractantem. In qvibus cùm jam, tuo qvidem aliqvid, aliorum autem judicio multum profeciſſes; Romam te, in eam urbem, contulisti, qvam pater tuus theatrum per annos multos habuit suarum virtutum celeberrimum. Ibi nunc tu qvoqve spectaris, & probaris: ibi plausum fers à benè intelligentibus, benèqve sentientibus viris: ibi deniqve vera illa Petri Bembi cernitur, & agnoscitur in te filio non minùs animi, qvàm corporis, effigies: &, ut principia se dant, futurum omnes existimant, ut summi tibi in Ecclesia Petri honores, ac præfecturæ deferantur: deberi qvidem jam, nemo est, qvi non intelligat. Qvare lætor eqvidem, ac fruor jam nunc, pro meo erga te studio, qvasi præsentibus honoribus tuis; & præcipio gaudia, qvanta potest animus meus capere maxima, tuæ futuræ dignitatis. Perge modò, ut cœpisti, in tuis perennibus studiis, & animum tuum pulcherrimis, teqve dignis cogitationibus exerce. Vides eam viam, qvâ pater tuus ivit. Exstant vestigia. Ifthac euntibus rectissimus est ad gloriam cursus, offensio nulla, nullus error. Qvod feciſti, laudamus: sunt

enim

enim magni, verèqve laudandi processus in virtute tui. Qvod reliqvum est, qvia te summum illud ad decus, qvod excellentibus ingeniis propositum est, tanqvam ad metam pervenire cupimus, &, qvod cupimus, id in te ipso positum videmus: favemus animis, proseqvimur studiis, vocibus cohortamur. Atqve ego qvidem, hujusce animi mei non obscurum, ùt opinor, argumentum, hunc librum, qvi me tacente apud omnes gentes loqvetur, tibi inscriptum ad te mitto. Volo æternum exstare monumentum, unde homines, qvid de te senserim, qvid judicaverim, intelligant. Volo, habeas ipse munus à me, unde, qvid tuâ causâ velim, conjicias; & majora, cùm ornandi tui major aliqva facultas exiftet, officia, studiaqve exspectes. Venetiis M. D.LV.

AD PAULUM RHAMNUSIUM, JOANNIS BAPTISTÆ FILIUM, IN CÆSARIS COMMENTARIOS.

XIX.

ARGUMENTUM.

Rhamnusio Cæsaris Commentarios inscripturos, de Historiæ fructu, dignitate, & utilitate disserit, præsertim Romanæ, in qua principem dignitatis gradum obtinere scribit Cæsarem, qvem Rhamnusio, Venetæ historiæ partem ex decreto senatus scripturo, diligenter legendum dicit, monens, ut se ad illius imitationem totum affingat. Deinde digreditur in laudes gentis Rhamnusiæ, & ipsius avum, patruum, patrem commendat.

QVi magistram vitæ dixit esse Historiam: næ ille, Pau-

le, Paule Rhamnusi, & dixisse verè, & præclarè sensisse mihi videri solet. Facilè enim unus homo, qvid multis hominibus evenerit, cùm intelligit, eruditur, atqve ipse sibi normam componit actionum suarum, vitæqve totius inter omnes errores, omniaqve pericula ad veritatem, ac salutem dirigendæ. Nec aliud est nostra prudentia, qvàm eventorum observatio, rerumqve præsentium, ac futurarum ex præteritis, tanqvam ex fonte, scientia derivata. Qvod ex universo literarum genere, vel sola, vel certè maximè præstat Historia, præsertim si qvis eam ita tractet, ut eventa dum notat, animum referat ad causas, in easqve attentè inspiciat, & rationem qværat, cur hoc factum, illud omissum? Cur, ex illo calamitates, ex hoc optata contigerint. Atqve hoc primum est de Historiæ fructu. Seqvitur dignitas. Res gestæ narrantur inter summos Reges, potentissimas civitates, bellicosissimas nationes. Causæ porrò bellorum sunt, qvæ sunt humanarum rerum maximæ, Imperium, salus, gloria: qvæ ponuntur in armis omnia, & à consilio ducum, & virtute militum, ab ipsa fortuna pendent. Neqve verò dignitatem qvidem habet, ac fructum, voluptatem autem historia desiderat. Nam, si voluptas est, qvam magnarum variarumq; rerum aspectus animis nostris infundit: nulla pulchrior species, nulla gratior, nulla prorsus Historiâ jucundior. Vides, ùt in tabula picta, adversa ducum excellentium stratagemata, artes, insidias; spem potiundi, metum amittendi; cæsos exercitus, urbes captas, imperia deleta: agè, fortuna commutatâ, cadere insul-

insultantem, victum exsurgere; eodem penè momento lætitiam pelli mœrore succedente, mœroremqve lætitiâ. Hæc dum legimus, haurit animus voluptatem incredibilem; aliturqve pabulo suavissimo, nec satiatur, donec ad exitum pervenerit. Cyrus ille, Persarum Rex, qvi orientem subegit, Pyrrhus Epirota, castrametandi laude præter ceteros insignis, & duo illi, barbarorum omnium clarissimi, Alexander Macedo, & Hannibal, præterea de Græcis Themistocles, Agesilaus, Epaminondas, qvo modo, cùm eorum facta commemorantur, animos nostros afficiunt, exspectatione suspendunt, pascunt gaudio, metu macerant. Verùm hæc maximè Romanâ patent in historia: qvæ vel diuturnitate, ac magnitudine bellorum, vel varietate fortunæ uberrimam exemplorum in omni genere copiam suppeditat. Romana porrò, viri præstantes multi cùm literarum monumentis tradiderint; qvorum ingeniis, qvæ cuiqve merces gloriæ pro cujusq; facultate debebatur, ea posteritatis judiciò persoluta; eminet inter omnes, meâ sententiâ, (nec verò secus antiqvitas sensit) primumqve sibi dignitatis gradum C. Cæsaa jure vindicat. Nam & vixit, qvâ plurimùm ætate Romæ floruit eloqventia: & coluit ipse eloqventiam præter ceteros: rebus verò gerendis non interfuit modò, verùm etiam præfuit: qvô factum, ut usum qvoqve, qvi valet in scribenda historia multum, cum doctrina conjunxerit. Exstant, bono qvodam literarum fatô, præclari illius de bellis, ipso duce gestis, commentarii; qvi se non solùm omnibus omnium historiis æqvare, verùm

rùm ùt omnes fatentur, anteferre etiam videntur. Brevitatem scis in oratione magnam esse laudem, cum eo tamen, si vitetur obscuritas. Facilè, enim, dum illam seqvimur, in hanc incidimus. Qvod in Thucydide vitium Cicero notavit, cùm esset alioqvi scriptor egregius. At verò C. Cæsar, cùm brevitatem maximè omnium adamaverit, ita tamen pressus est, ut eodem nihil fieri possit illustrius. Propriè loqvitur, & significanter: ornamentorum tantum habet, qvantum in exponenda re decet. Nam elaboratam studiosius orationem, nimiâqve exultam elegantiâ prudentium aures non modò in commentariis, verùm in historia qvoqve respuunt. Hic tibi est, Rhamnusi optime, mihiqve multis nominibus carissime, in manibus habendus, tractandus assiduè, observandus, ediscendus: ut eum penitus, si fieri potest, aut certè qvantum potest, imitatione exprimas. Nam, cùm tibi Veneta Respubl. bellum illud memorabile, omniumqve difficillimum, qvod Henrico Dandulo Duce adversus Byzantios gestum est, Latina oratione tradiderit explicandum; magnisqve etiam tuam industriam præmiis honestandam decreto publico censuerit: debes eniti vehementer, ac omnes ingenii tui nervos contendere, ne qvis te tanto imparem oneri fuisse unqvam putet. Atqve ego qvidem, qvi te fero in oculis, qvi tuæ gloriæ faveo, cùm in ipsam intueor, gravem sanè, admodumqve difficilem, paululùm commoveor: rursus cùm ad ingenium tuum, ad industriam, ad illos animi tui præclaros ad laudem impetus mentem & cogitationem refero, facilè

confirmor, & hujusce tibi commissi muneris eum, qvem cupio, id est, planè glorioſum exitum exſpecto. Verùm, ne ſint in te ipſo, qvæ ſunt; & ſit hæc, qvæ tibi ineunda via eſt, qvantumvis lubrica, incerta, impedita: an tu potes labi, potes errare, potes usqvam offendere, ducem ſecutus patrem tuũ, Joannem Baptiſtam Rhamnuſium, ſpectatæ ſapientiæ virum, conſiliorum omniũm ſumi Xvirum Collegii participem; cujus elucent in urbe noſtra virtutes eximiæ, nomen autem, æternis conſignatum atqve impreſſum ingenii monumentis, per orbem terrarum fama diſſipavit? Is te ſuâ doctrinâ inſtruet, conſiliô monebit, prudentiâ reget. At qvo ſtudio? qvo ſcilicet pater filium, & qvo talis pater talem filium debet. Nec ſanè video, qvem deceret magis, aut in qvem hæc aptiùs; qvàm in te, provincia conveniret. Nam, cùm eas res, qvæ tibi ſunt Latinis literis tractandæ, magna ex parte liber, ùt audio, contineat Gallicâ ſcriptus vetere lingua, tum ipsâ perobſcurâ, tum multis præterea diverſarum linguarum vocabulis permiſtâ, atqve confusâ; eum porrò librum pater tuus & unicum habeat, & unus ipſe (de noſtris qvidem hominibus) optimè omnium intelligat: ſapientiſſimè, ùt in omni re ſemper, ita proximis menſibus decretum à Xviris eſt, ut hæc tibi potiſſimùm Venetæ pars hiſtoriæ mandaretur, cujus haurire ſcientiam non aliunde, qvàm ex tuis ædibus, licebat. Ego qvidem, etſi intelligo, qvi ſis, qvàm te delectet verus honor, qvàm tuâ ſponte incumbas ad decus; tamen hortor te, ſenſus huc omnes tuos, cogitationesqve convertas; excites

tes ipsę te; consideres etiam atqve etiam, qvid susceperis, à qvibus commissum, qvâ tuâ ætate, qvâ omnium exspectatione. Venetam scribis historiam, nec universam: sed qvod in ea maximè putatur excellere: scribis Principum Reipubl. decretô: scribis adolescens: qvâ ætate magnas res aggressos vel insignis admodum manet gloria, vel temeritatis nota sempiternæ. Qvibus ex rebus, & qvòd ante studiorum tuorum præstantes fructus edidisti; & qvòd patris tui virtus, tua virtus putatur, nec tibi sunt petenda extrinsecus, qvæ domi tuæ nascuntur, orta est inter homines opinio, historiam te nobis daturum egregiam; in qva Venetæ urbis ita narres præclara facinora, ut alienâ cum laude tui nominis immortalitatem conjungas. Qvod ita futurum, mihi persuasum est, si te ad legendos assiduè Cæsaris commentarios contuleris, eorumq; ad imitationem, & qvasi imaginem totum affinxeris. Hoc enim in genere nihil habent perfectius Latinæ literæ: & eos, qvò tibi essent, tui juris qvodammodo facti, cariores aliqvantò, cùm hoc tempore nostris ex ædibus haud paulò, qvàm antea, emendatiores exirent, volui in tuo nomine apparere, multis in hanc mentem causis, iisqve minimè vulgaribus adductus. Nam, ut omittam, qvòd historiam scribenti nihil aptius, nihil omnino his commentariis utilius qvisqvam dixerit: valde me commovit multorum annorum, ac penè seculorum in fovendis optimarum artium studiis præclara tuæ gentis consuetudo. At volo mihi, qvod attinet ad illa vetustiora, silentium imponere: venio ad ea, qvæ

propiùs ad ætatem noſtram accedunt. Avo tuo, cujus tu nomen, & unà cum nomine virtutem refers, qvis in omni vita virrutem amavit ardentiùs? Qvi cum in literis usqveqvaqve excelluerit, tum verò juris civilis cognitionem egregiè conſecutus eſt: ejusqve rei teſtes habuit ampliſſimas Veneti Imperii civitates, in qvibus tum civilium, tum capitalium qvæſtionum judiciis, magnâ pariter & integritatis, & doctrinæ laude, præfuit. Mitto Hieronymum, patruum, medicinæ, ac philoſophiæ ſtudiis præſtantem: qvi cum in Syriam eô conſilio eſſet profectus, ut Arabicis literis imbueretur; paucis annis tantum profecit, ut plerosqve Avicennæ libros in Latinam linguam egregiè converterit. Alios qvoqve poſſum de tuis majoribus, hac laude præſtantes, minimè paucos invenire: ſed parente tuo contentus uno eſſe poſſum, qvo ſemper in hac civitate non ſolùm amico, verùm etiam patrono eruditi homines uſi ſunt: neqve ſibi ornamenti, aut præſidii plus in ejus amicitiâ, atqve auctoritate, qvam commodi repoſitum in benignitate ſenſerunt. Accedit illud, qvòd idem pater tuus, cùm in Gallia, Reipubl. causâ, diu vixerit, eamqve provinciam Rege Ludovico XII. univerſam ferè peragraverit, magnam eorum locorum partem, de qvibus mentionem in his commentariis fieri vides, præſens ipſe novit, eaqve tibi in ſermone, non ſecus ac in tabula picta, diligenter, veriſſimeqve oſtendere ſolitus eſt. Itaqve cùm hunc librum ad te ſtatui mittere, illud intellexi, magiſtrum te habere excellentem in hôc rerum ac locorum Gallicæ provinciæ

ſtudio

ſtudiô, parentem tuum: qvo ſum aliqvantò magis in ſuſceptn conſilio confirmatus. Tibi verò diſplicere meum erga te officium, non exiſtimo. Mihi qvidem ipſi ob eam cauſam graviſſimum fuit, ut ex tenui munere benevolentiam in te meam perſpiceres: qvæ cùm à parentum noſtrorum conjunctione, qvâ nulla major eſſe potuit, originem duxerit, qvotidie tamen augetur ſtudiis erga me tuis, maximè verò cauſis iis, unde facilè manat amor, virtute ac probitate; qvarum altera tuis in ſcriptis, altera in moribus elucet.

AD ANTONIUM TRIULTIUM CARDINALEM, IN HISTORIAM SALLUSTII.

XX.

ARGUMENTUM.

Triultio Salluſtium dedicaturus, orditur ab hiſtoriæ jucunditate & utilitate, qvam qvidem ait eſſe communem omnibus, qvi veterum annales evolvunt; ſed aliam eſſe Triultii conditionem, qvi domi habeat exempla magnarum virtutum in ſuis majoribus: qvorum cùm aliqvot recenſuiſſet, digreditur in laudes Cardin. Triultii: cui cùm alii de dignitate hac gratulentur, ipſe verò morbo impeditus id facere neqveat, primùm ſe de neglecto hoc officio excuſat, deinde ut voluntatis ſuæ ſigna edat, Salluſtii hiſtoriam illi inſcribit, cui ut inter libros ſuos locum dare velit, ipſum rogat.

Cùm omnes me literæ, omnisqve liberô homine digna cognitio vehementer delectat, Antoni

Triulti, Cardinalis amplissime: tum verò pascor incredibili voluptate, & afficior majorem qvendam in modum sensibus intimis, dum historiam tracto. Qvid enim potest esse jucundius? Rerum interitus oblivio est. At ex reviviscunt historiâ, cùm in nostram memoriam revocantur: qvæqve multorum annorum spatio, multis abhinc seculis gesta sunt, ea nos, exiguo volumine comprehensa, & tanqvam in conspectu nostro posita, cognoscimus. Si sermonibus delectamur: resonat in scriptis hominum vox eloqventissimorum, nihil temerè, nihil incompositè narrantium, omnia graviter, suo qvidqve ordine, & loco. Si consuetudine clarorum virorum: versamur, vetera legentes, cum Regibus, cum Principibus viris, magnis in bello ducibus, sapientissimis rerumpubl. rectoribus. Ora ipsa meherculè, lineamenta, & formam non tam corporis, qvàm animi, eorum, qvos nunqvam vidimus, videmur tamen qvasi præsentes intueri. Qvod si rectè instituendæ vitæ rationem ac doctrinam seqvimur: usu maximè rerum qværitur prudentia. Usus est, vel cùm experimur ipsi, vel cùm, experientibus aliis, qvid evenerit, observamus. Nobis ipsis, experiri multa si velimus, facilè non licet: labore opus est, ac tempore: & fortuna tentanda; nec tentatur interdum sine periculo. Commodiùs ergo, ac tutiùs, eventis aliorum examinandis, prudentia comparatur. Id autem, profecto vides, Antoni doctissime, ac sapientissime, proprium esse historiæ bonum: in qva patent fortunæ vicissitudines, regnorum mutationes, hominum sive vitia, sive virtutes:

ex

ex qvibus, qvæ vitanda nobis sint, qvæ expetenda, nullo nostro periculô, nullô labore, sedentes in otio docemur. Atqve hoc in genere Polybius inter Græcos, de nostris maximè is, cujus nunc libros tibi inscriptos emitto, Sallustius excellit: eventa enim ita narrat, ut causas simul aperiat. Ex qvo oritur illa omnium pulcherrima scientia, ut malorum, & calamitatum origine perspectâ, nihil agamus, nisi qvod ratio præscribit; omniaqve nostra consilia, omnes actiones veterum exemplorum regulâ metiamur. Qvæ cùm sit omnium, qvi annales antiqvorum evolvunt, communis utilitas; alia qvædam tua conditio est. Habes enim historiam in familia tua: neqve tibi, si qvid invenire vis egregium, & imitatione dignum, confugere ad libros necesse est, neqve longiùs evagari, & qvasi peregrinari animo, ac mente, more multorum. Domô petas, licet, omnium virtutum exempla. Perseqvere majores tuos cogitando. Qvæ fuerit eorum in pace justitia, in bello virtus, in omni fortuna moderatio, si attendes, nihil ad gloriam domesticam reqvires. Justus Aristides, prudens Themistocles, fortis Epaminondas: de Romanis multi, multis eximiiq; virtutibus insignes. Horum alii facta tum legunt, bonas artes ex eorum vita discunt, & ad easdem res eaqve studia laudis cupiditate rapiuntur. At tu refer animum ad tuos majores. Eminere videbis, instructum egregiis artibus, Joannem illum Jacobum Triultium, magni animi, summi consilii virum, scientiâ rei militaris ætate sua facilè principem: præterea, justum, liberalem, abstinentem planè, præter

decus, & gloriam nihil in vita cogitantem. Nam de laudibus Hieronymi, parentis tui, qvia tecum qvasi loqvor, ne servire tuis auribus videar, nolo multus esse; tantùm dicam, qvàm diu vixerit, Gallicam rem in bello floruisse; postea qvàm, hostium multitudine oppressus, fortiter pugnans in acie perierit, concidisse. Tantum in uno viro momenti fuit, ac roboris. Age, sint hæc, ut ita dicam, in campestri qvadam luce posita: qvid? in urbe Roma, i. e. in omnium gentium celeberrimo theatro, non spectata, probataqve vehementer est trium tuæ gentis Cardinalium doctrina, religio, sapientia? Ut, Triultiorum nomine, multorum vocibus in multas partes dissipatô, non ipsa tantum Roma, sed omnis planè Italia, omnis, ubi colitur humanitas, Europa personaret. Omitto alios: sunt enim multi: nec tu qvemqvam ignoras; non enim sunt ex imaginibus, aut ex illa colorum inani specie majores tui cognoscendi. Qværenda tibi facies tuorum non est. Clari sunt ex rectè factis: virtute distingvuntur: cùm alius in aliâ, in omnibus simul omnes enituerint. Qvæ tu qvoniam à primis annis ad hanc ætatem non modò cogitasti, verum etiam vitâ, ac moribus expressisti; propterea te, Episcopatu Tolonensi jam antea insignitum, legationibus honestatum, primùm Perusinâ, & Avenionensi, in qvibus miram justitiæ laudem tulisti; deinde ad Regem Galliæ, & ad Venetam Remp. ubi prudentiam, ubi gravitatem incredibilem præstitisti; proximis diebus Cardinalem creavit Paulus IV. Pontif. omnium optimus, omniúmq; maximus, judi-

judicio præditus acerrimo in æstimandis hominum ingeniis ac moribus, itaqve animatus, ut qvæ cujusqve meritis præmia debentur, ea libentissimè, ac liberalissimè persolvat. In qvo, nemo est, qvi tuam animi singularem æqvitatem ac moderationem vehementer non admiretur ac laudet, qvi summæ nuncium dignitatis, cùm est ad te multis præsentibus allatus, ita acceperis, ut nemo, te commotum, nemo, ne leviter qvidem affectum ex vultu, aut oratione, aut ullo corporis gestu, potuerit intelligere. Ita patuit, qvod ab insipientibus ambigi, ac disputari qvandoqve solet à bonis viris virtutem magis ipsam diligi, qvàm virtutis insignia; honorem esse præmium rectè agendi, finem non esse; Magnos illos, ac præstantes esse homines, qvi laudabiliter ita vivant, qvasi laudem percupiant; ita laudem, aut dignitatem excipiant, qvasi nihil minùs antea cogitaverint. Qvod in te & animadversum est maximè, & observatur qvotidiè magis. Colere enim te qvidem studiosiùs, qvàm antea, omnes videntur; ipse autem, qvi antea fueras, idem omnibus es: nemo excluditur sermone tuo, nemo congressu: tui omnibus copiam facis, eandem omnibus humanitatem ostendis. Seqvitur insolentia fortunam: comes est rerum secundarum arrogantia; tu mansuetudinem amas, tu continentiam, tu benignitatem perpetuò retines. Jure ergò, hôc etiam nomine, Cardinalis es. Jure habes hanc, qvò tui te pro Petri Ecclesia suscepti labores extulerunt, maximi sacerdotii dignitatem. Et nunc tu qvidem comitatu stipatus honestissimo, familiarium tuo-

rum, multò tamen insignior, atq; ornatior cohorte tuarum virtutum, qvæ tibi comites ubiqve sunt, Romam redibis exspectatus, expetitusq; columen futurus Christianæ Reipl. splendor sacri Collegii, ornamentum familiæ tuæ. I, decus Italiæ, amor ac deliciæ bonorum omnium, diis benè juvantibus, ad eam urbem, qvæ sola pere grinam virtutem excipit, sola ornat honoribus, sola dominam facit rerum omnium humanarum. Nos autem, qvibus tuam justitiam, tuam benignitatem ostenderas, læti tua dignitate, mœsti discessu, te prosequimur abeuntem optimis ominibus; favemus animis, precamur linguis; vota prorsus eadem, qvæ pro parentibus, ac liberis nostris, pro tua salute suscipimus. Atqve ego, in hac omnium eximia lætitia pariter & molestia, præcipuo qvodam dolore divellor; qvia fato nescio qvo meo contigerit, ut, qvam diu Venetiis fuisti, ego semper afflictus importuno morbo jacuerim: qvo etiam nunc langueo: & ad morbum accedit ægritudo: qvoniam qvidem, aliis ad te adeuntibus, deqve ista dignitate gratulantibus, ipse excludor unus, nec possum meæ summæ erga te observantiæ præsenti officiô satisfacere. Hac tamen spe sustentor, qvòd humanitas ac sapientia tua facilè fortunam à crimine sejunget. Consiliô aliqvid peccatur, accuses: jure feceris. Culpam autem in iis rebus, qvæ non à voluntate nostra pendent, sapiens nemo unqvam dixit esse. Qvare nec tu mihi, qvia non valeo, vitio dandum putabis: & hoc ipsum, qvia, me non valere, non tam corporis, qvàm officii causâ doleo, laudi etiam fortasse tribues.

bues. Eqvidem habeo non voluntatis modò testem, verùm etiam studii ac benevolentiæ in te meæ auctorem, hominem honoratum, & cùm omni virtute excellentem, tùm verò omnium, qvos ego in vita viderim, humanissimum, qvi te amat egregiè, facitqve plurimi, tuasqve laudes utraqve manu ad astra sæpe tollit. Verùm ego non id solùm specto, mea ut uni tibi pateat observantia; illustrabo eam, si potero, meis aliqvando scriptis, & patefaciam omnibus gentibus. Interim, ut hæc tibi nostra ex aliqvo signo voluntas illucescat, præclaram edo tuo cum nomine Sallustii historiam: cui tu si locum dabis inter eos libros, qvi ab oculis tuis abesse non solent; vigebit apud te nostri memoria: qvoties eam videbis, toties animô tibi occurram; adero tibi sæpè absens; tacitus sæpè tecum loqvar; meqve esse de tuis familiaribus unum, de iis maximè, qvi operam tibi assiduam præbent, qvi tuo potissimùm honori serviunt, existimabis: qvod ut ita sit, vehementer opto: &, si assequor, feram in cœlum istam humanitatem, colam animô, tuebor officiis, & imitabor qvantum potero: studio certè, si minùs re licebit, tibi ut satisfaciam, elaborabo. Venetiis. M.D. LVII.

)(

AD

AD ALOYSIUM GARZONIUM, IN LIBROS XXIII. DE LINGVA LATINA, QVI CALEPINI NONINE CIRCUMFERUNTUR.

XXI.

ARGUMENTUM.

Omnes artes à tenui initio ad summum pervenire, probat exemplo Dictionarii, qvod Calepinus primùm edidit, & postea ab aliis viris doctis auctum est. Id Garzonio inscripturus significat, qvid in hac nova editione à se præstitum sit, ipsumq; rogat, ut id munus tanqvam grati animi monumentum accipiat; addita brevi admonitione, ut per expeditam literarum viam ad gloriam contendat.

COnstare tibi puto, Aloysi Garzoni, cùm ad res præclaras natus homo sit, qvippe qvi solus ex omnibus animantibus munere rationis ac mentis excellat, nullam tamen artem eodem tempore & inventam simul esse, & absolutam. Omnes humili tenuiqve ab initio profectæ, paulatim qvasi per gradus adscendentes, ad id, qvod summum videtur esse, pervenerunt. Hoc & in literis accidit, maximeqve qvibusdam in libris, qvi ejusmodi sunt, ut, semel atqve iterum aucti, locupletari tamen, atqve ornari deinde possint. Qvo ex genere bonum fatum Calepinus sortitus est, cui qvotidiè ferè omnes homines de suo largiuntur. Certè enim illius Dictionarium, qvod nunc emittemus, non tam ipsius industriâ, qvàm aliorum labore studioq; in tantam altitu-

altitudinem excrevit. Unum tamen desidero, qvòd ii, qvibus illud propositum fuit, ut in hunc librum qvamplurima congererent, id ipsum, qvod fecerunt, ut adderent, facere consideratiùs diligentiusqve potuerunt. Qvorsum enim in herbarum montiumqve nominibus colligendis diligentes sumus; verba autem Latinæ linguæ illustria, maximè, ac significantia, qvæ nescire nemo vult, in augendo Calepino negligimus? Ergo ipsi hoc potissimum spectavimus: & opinor, tantum præstitimus, qvantum qvi, hoc dictionario cum aliis dictionariis conferendo cognoscet, non dubito qvin de hac opera nobis & faveat, & bene precetur. Non enim libet hic commemorare, qvæ qvibus in verbis sint à nobis addita: nam sexcenta sunt, neqve sumpta ex apertis aliorum librorum indicibus, sed ex iis Latinæ linguæ fontibus, ad qvos pervenire cuivis non licet. Utrum autem ipsi pervenerimus, res ipsa indicet. In eo etiam ab aliorum instituto discrepavimus, qvod alii tantùm, ut addant, qvæ utilia putant, elaborant; nos etiam, qvæ non utilia sunt, & discendi cupidis contraria. Qvæ scilicet Calepinus ipse non rectè percepit, hæc inqvam, dedimus operam, ut de libro, tanqvam de tritico lolium, eximeremus. Addidimus, mutavimus, sustulimus, prout res postulavit. Dictiones certè Græcas, ex multiplici lectione depravatas, ut est ferè, nisi diligenter caveas, corruptrix librorum Typographia, tam multas correximus, ut, qvod fabulosum est, nos dicere ἱστορικῶς possumus, Augiæ stabulum à nobis esse repurgatum. Nostrum etiam in hoc

hoc opere proprium illud putamus, qvod, cùm alii in addendo supra modum curiosi fuerint, ut liber excresceret, nos contra, ne qvid præter rem adderemus, superstitiosi fuimus, nec minùs in exsecando diligentes, ut in dictionibus Græcis Latinarum ordini insertis, vel potiùs intrusis, multas, qvasi de alieno loco, migrare coëgimus. Exempli gratia, inter Latinas dictiones, qvem locum habere potuit Catabathynus, aut Hodœdocus, aut Pseudonymus, & hujusmodi, qvæ à Latinis scriptoribus Latinè pro exemplo adducta minimè reperias: qvæ propemodum innumerabilia sustulimus, eodem jure, qvo Latina vocabula de Græco dictionario tolleremus. Et, qvoniam hoc volumen, ob variam infinitamqve doctrinam, multorum per manus circumfertur: facilè futurum putavi, ut, si tibi à me inscriptum exiret, significationem multis daret amoris erga te mei. Nam, ut òmittam merita in me tua, qvæ nulla unqvam delebit oblivio; tui me suavitates ingenii, tua incredibilis humanitas, singularis probitas, eximia ad colendam virtutem animi propensio ad amandum alliciunt. Non enim ideo mihi carus es, qvia sis Venetæ Reipubl. omnium ampliſſimæ, à secretis, aut qvia nunc unà cum viro clariſſimo omnibusqve virtutibus ornatiſſimo, Michaële Suriano Legato, particeps & minister consiliorum omnium ad Philippum Hispaniæ regem, sis profectus: sed qvia talem te præstas, ut & hæc tibi, admodum ampla, atqve honorifica munera jure deferantur, & egregiis animi tui bonis majora qvoqve debeantur. Sit igitur hic liber & tibi, & reliqvis argu-

argumentum benevolentiæ meæ, testimonium judicii; grati vero animi non omnino qvale velim, sed qvale possum hoc tempore, monumentum. Tu autem istam præclaram in nos voluntatem conserva: &, qvo instituisti cursu, per directam, maximeqve expeditam, ac certam literarum viam ad gloriam contende. Qvod ego qvidem, qvi tuos sensus, tuos ad laudem impetus optimè teneo, ita opto, ut sperem; ita spero, ut futurum mihi persuadeam: idq; etiam reliqvis prædicare non desino. Venetiis. M. D. LVIII.

AD MICHAELEM CHISLERIUM CARDINALEM, IN LIBRUM DE LOCUTIONE DEI, ACADEMIÆ VENETÆ NONINE.

XXII.

ARGUMENTUM.

Academiæ Venetæ nomine librum, de DEI locutione, à viro docto conscriptum editurus, affert causas, cur Chislerio Cardinali eum inscribat, videlicet 1. qvòd is sit Academiæ Venetæ patronus, 2. qvòd divinarum literarum studio deditus: ubi in laudes Chisleri digreditur, eumqve rogat, ut Academium illam, & doctos in illa viros tueri, & fovere pergat.

RErum humanarum exitus, qvàm varia sint hominum consilia, declarant. Qvod si qvis benè cogitat; seqvitur, ut idem laudabiliter agat. Rectè autem agentem, nihil unqvam frustrabitur, nihil fallet. Decet igitur nos optima spe niti, admodumqve

qve firmâ, qvibus, in condenda atqve instituenda Academia nostra, nihil præter DEI gloriam, & communem hominum utilitatem, propositum fuit. Neqve vero actiones nostræ, ut speramus, ejusmodi erunt, ut hanc ad optimas res animorum nostrorum incredibilem propensionem ambiguè aliqvis interpretari, aut in dubium revocare possit. Apparantur qvotidie summa curâ, & edentur à nobis divinâ doctrinâ referti, qvi pietatem, ac religionem complectuntur, illustres libri. Et interim, qvasi specimen qvoddam, aut pignus nostræ voluntatis, egregia qvædam de locutione DEI, ab excellenti viro conscripta, piis mentibus ac sacrarum literarum, id est, veræ gloriæ studiosis communicanda censuimus. Qvæ duabus maximè de causis, præstantissime vir, tuo nomine decuit esse inscripta: primùm, qvòd suscepto Academiæ nostræ patrocinio nihil prætermittis, qvod ad eam ornandam, augendamqve pertineat; & nos, qvæ à te officia proficiscuntur, qvibus animis, qvàm libentibus, qvàm gratis excipiamus, aliqvo item officio tum ipsi tibi, tum ceteris omnibus indicatum, maximeqve perspicuum esse cupimus: deinde, qvæ de DEO loqvuntur, ad qvem potiùs mitti æqvum fuit, qvàm ad eum, qvi divina studia, in omni suæ vitæ cursu, cunctis & opibus, & honoribus antepositit? Qvi cùm universam de Deo divinisq; rebus doctrinam accuratissimè qvæsivit: tum verò cum ipsa doctrina vitæ rationem conjunxit, &, ut omnes rectam, salutaremqve viam tenerent, aut, qvi diverterant, in eam revocarentur, studiô, consiliô, monitis, auctorita-

ctoritate contendit. Nihil obscurè fama loqvitur de tuis virtutibus. Nihil de te aut exiguum, aut dubium affertur. Patent multis, ac certissimis argumentis eximia tua in Christi Ecclesiam merita. Colunt te omnes ob doctrinam: imitantur multi ob integritatem: amant ob humanitatem, maximeqve ob rectam, ac simplicem naturam ab omni fuco, omniqve fastu longissimè remotam. Præconem verò ruarum laudum omnibus horis audimus eum, qvi summâ ipse laude dignus est, Federicum Baduarium, auctorem, & conditorem, Deo duce, Academiæ nostræ: cui qvidem viro tum vitæ proprobitas, tum ex assiduo studio doctrina, & ex diuturno rerum usu prudentia fidem, atqve auctoritatem in omni sermone conciliat. Ipso igitur non non modò approbante, verùm etiam hortante, præclarum de Deo libellum, gravem sententiis, illustrem verbis, ad te mittit, tuoqve dicatum nomini cum omnibus gentibus Academia nostra communicat. Qvæ cum se tibi, suo primùm judicio commota, tuis deinde meritis impulsa penitus addixerit, eandem observantiam in omni vitâ præstabit, &, ut eam futuræ qvoqve gentes intelligant, ipso, ad qvem omnia referimus, summo Deo opem ferente, aliqvo merito conseqvemur. Tu interim, qvando jam hoc tribuisti humanitati tuæ, ut nos susciperes; tribue idem constantiæ, ut susceptos tueaaris, ac foveas, ita tamen, si nos, tuo præsidio, ac studio dignos, id est nostra ingenia in optimis artibus exercentes, nostrasqve voluntates ad unam virtu-

tem dirigentes, & audies, & re ipsâ cognoſces, Venetiis. M. D. LVIII.

AD ANTONIUM CARLONEM. ALLIFARUM PRINCIPEM, IN SANNAZARII POEMATA.

XXIII.

ARGUMENTUM.

Allifaro Principi Poemata Sannazarii dedicaturus, orditur à Poëſeos excellentia & poëtæ abſoluti partes non in eo poſitas eſſe, dicit, ut metiendi carminis rationem ſciat, ut elegantibus phraſibus utatur, ut ordine materiam diſponat: ſed oportere ipſum eſſe inſtructum ſcientia Ethices, Aſtrologiæ, Geographiæ. Cauſam verò, cur noſtra ætate pauciores poëtæ excellentes exiſtant, qvàm olim, dicit, eſſe præmiorum denegationem. Inter illos vero, qvi noſtro tempore floruerunt, facilè principem locum obtinere Sannazarium, cujus Poëmata, cùm Allifarus princeps ſuis jam typis divulganda curet, meritò ſe illi ea inſcribere: recenſens catalogum omnium poëmatum, qvæ toto opere continentur.

UT eſt præclarum, ornatiſſime Princeps, in arte poëtica excellere: ſic ea cognoſcere, qvibus ad illam laudem perveniatur, maximum qviddam ac difficillimum eſt. Fallitur enim, ſi qvis abſoluti poëtæ partes in ea poſitas arbitratur, ut, cùm metiendi carminis rationem optimè perceperit, cùm elegantiſſimarum vocum ſupellectilem qvaſi qvandam ſibi compararit, addo etiam, cùm materiam animo comprehenſam ordine qvodam atqve artifi-

cio

cio distinxerit, hisce rebus tanqvam egregiè munitus ad scribendum se conferat. Graviora sunt, qvæ reqviruntur, & ex abditis plurimarum artium ac doctrinarum fontibus haurienda. Nam, cùm ejus consilium, qvi hoc in genere elaborat, vel in primis id spectare debeat, ut voluptati veruum utilitate sententiarum admiscendâ, nihilominùs lectorem moneat, qvàm oblectet; monita vero illa plerumq; necessaria sint, ut in vitiis summam turpitudinem inesse, in virtutibus summam gloriam, ostendatur: qvo modo hoc sine philosophiæ cognitione prudenter ac peritè poterit efficere? Jam, si res exigat, ut aut de cœlesti stellarumqve ratione, aut de regionum terrestrium ac maritimarum situ dicendum sit: certè hos locos non potuerit, nisi qvi Astrologiam & Geographiam attigerit, commodè tractare. Itaqve si qvis hujus facultatis studium eô complexus animo est, ut aliqvando, qvæ literis mandare studuerit, ea se speret, veluti pictorem egregium, omnibus artis coloribus illustraturum, is omnium ferè disciplinarum scientiam, qvæ ad benè beateq; vivendum pertinent, ne prorsus ignoret, necesse. Qvod si ad assequendum poëtæ nomen ubertatem illam ingenii à natura datam satis esse putat; atqve hâc unâ instructus facilè audet canoros illos qvidem, rerum tamen inanes versus vel domi pangere, vel in triviis ad populi aures effundere; statim ab intelligentibus explodetur, neq; solùm imprudens aut parùm verecundus, sed etiam plane stultus, ac temerarius habebitur. Qvò minùs est mirandum, si, ut hac arte præstarent, qvàm paucissimis

mis contigit; cùm in omni præterea liberalium doctrinarum genere plurimi semper floruerint. Sed egregiorum poëtarum multò etiam majorem hâc nostra tempestate, qvàm priscis temporibus penuriam esse constat: sive qvòd seculi felicitas illa fuit: sive, qvòd eqvidem magis existimo, qvia non iisdem, qvibus olim, præmiia ad virtutem nunc homines excitantur. Eorum autem, qvos in hoc genere præstantes cognovimus, sine controversia primum locum obtinuit vir eximius, & omni laude cumulatus, Jacobus Sannazarius: cujus ingenii monumenta non vetustas, non oblivio delebit ulla: ut ex tot Regum triumphis haud paulò clarior, qvàm ex unius hominis doctrina, atqve ingenio, Parthenope sit futura. Hoc autem, Princeps egregie, tui muneris ferè totum est: qvi, cùm ad summam generis nobilitatem etiam optimarum disciplinarum scientiam adjunxeris, tamen hæc per se, nisi accederet studium de posteris benè merendi, qvasi minima judicans, qvæcunqve à doctis viris mandata literis, digna, qvæ inter manus versentur, existimas, in apertum ut referantur, maximopere contendis. Qvo nomine ipsi profectò Sannazarii manes tibi non vulgares gratias habent, cùm eos libros, qvos ille moriens, tuæ fidei commendarat, pervulgandos diligentissimè curas. Qvi verò ingenuarum artium studiis dediti sunt, ii se tibi tantum debere profitentur, qvantum persolvi nullo modô possit. Itaqve à me, qvi eodem in ære sum, petere videntur, universorum causàm ut susciPiam, tibiqve propter hoc officium, qvid omnes de te & sentiant,

tiant, & loqvantur, aliqva ratione significem. Ego, licet ipsa te rectè factorum conscientiâ contentum esse, nihil præterea reqvirere, exploratum habeam, tamen, ut eorum honestissimo desiderio ne desim, do me libenter in eam partem, in qvam etiam meâ sponte propendebam, & ad ostendendum non eorũ modò animum, sed etiam obsèrvantiam & pietatem in te meam, hæc ipsa Sannazarii poëmata, qvæ nostris typis edenda curasti, nomini tuo dicata ad te mitto. Leges hîc omnia, qvæcunqve ab eo Latinè scripta nunc exstant. Primum autem erit divinum illud, qvod ipse de partu Virginis inscripsit, opusculum: deinde Christi lamentatio: mox Eclogæ qvinqve, qvas tamen decem scripserat; sed, è Gallia reversus has tantùm, qvas emisimus, & fragmentum illud, qvod post Salices collocavimus, invenit, reliqvis aut furto surreptis, & per incuriam suorum, qvibus eas discedens crediderat, amissis. Seqvuntur Elegiarum libri tres, Epigrammatum totidem. Qvæ omnia tuo inscripta nomini apparebunt, ut ejus benevolentiæ, qvam Sannazario & vivo, & mortuo præstitisti, hunc saltem fructum percipias. Venetiis. 1535.

AD PIUM IV. MEDICEM PONT. MAX. IN LIB. REGINALDI POLI CARD. DE CONCILIO.

XXIV.

ARGUMENTUM.

Reginaldi Poli librum de Concilio editurus, primo gratulatur Ecclesiæ de Pio IV. Pontifice, qui id agat, ut malis Ecclesiæ medeatur, ac propterea se Venetiis Romam evocarit ad libros sacros, anteà corruptos, quàm emendatissimè divulgandos: qua in re se Ecclesiæ operam suam fideliter præstiturum pollicetur. Et cùm in eum finem quoque Concilium Tridentinum indictum sit, se initium facturum scribit à libro Reginaldi Poli de Concilio: in cujus laudes digreditur, narrans ipsum, ne Henrici actiones probaret, ex Anglia discessisse, Patavii aliquamdiu privatum vixisse, deinde à Paulo III. Pontif. Max. Romam evocatum & Cardinalem creatum esse: denique in Anglica Legationem, regnante Maria, obiisse, relictis quibusdam libris: ex quibus cùm Pius IV. P. M. nunc ejus de Concilio librum edendum curet, ipsius in Ecclesiæ dignitate restituenda studium commendat, longam ipsi vitam precatur, & rogat, ut artes liberales favore pergat.

OPtime consuluit Ecclesiæ suæ Deus, atq; humano generi universo, cùm in tanta rerum omnium perturbatione, & extremi jam periculi metu, Vicarium te suum, Pie IV. inter homines constituit, ut

ut omnibus malis prudentia tua mederetur, nosq; à summis difficultatibus, vel impendenti potiùs exitio ereptos ad summam tranqvillitatem, & optatam antea magis qvàm speratam felicitatem traduceret. Itaqve nunc, tuis adducti præstantissimis & consiliis, & factis, maximè verò tua freti justitia, qvæ tibi prima, & antiqvissima virtus est, fuitqve in omni vita, boni viri ex transalpinis gentibus multi ad urbem confluunt; &, qvi tuas omnes curas eò spectare vident, non ut angustis paucorum annorum terminis tuæ fructus beneficentiæ definiatur, sed ut ad posteros qvoqve perveniat; hic sibi certam omnium rerum, ac fortunarum suarum sedem domicilium qve constituunt. Me qvidem Venetiis, domestico patris mei restituendæ antiqvitatis instituto, & honestè satis, & commodè viventem, nihilqve minùs, qvàm de migratione, cogitantem; qvippe cùm ab egregiis sæpe civitatibus, atq; adeo à superioribus Pontificibus semel & iterum optima invitatus conditione, nihil tamen unqvam novi consilii cepissem; Tui Pontificatus fama Romam facilè perduxit. Nam, cùm ab summo viro, Hieronymo Seripanda, cui tua sapientia, debitum jampridem ejus integritati atqve doctrinæ, in Cardinalium Colegio locum tribuit, literas accepissem, in qvibus erat scriptum, cupere de sacros omnes libros, vel hominum incuriâ, vel improbitate corruptos, qvàm emendatissimos pervulgari, velleqve in eo operâ uti, & industriâ meâ; spatii ad deliberandum nihil sumpsi: statim rescripsi, cum tua voluntas maximæ legis vim pro summa tua non modò

potestate, verùm etiam sapientiâ obtinere apud omnes debeat, ita me animatum, ita paratum esse, tibi ut in omnibus rebus libenter obsequerer, susciperem, qvæcunqve velles, agerem, & præstarem, qvidqvid possem. Qvo qvidem tempore non mihi aut ulla novorum commodorum, qvibus tamen ducuntur multi, est injecta cupiditas, aut honorum splendor mentis oculos præstrinxit: qvanqvam hæc ipsa cumulatè & expectari à tua liberalitate posse, & omnibus præclarè agentibus deferri à te solere intelligebam; sed, cùm audirem, eas artes, qvorum fructus immortalitas est, longo intervallo te Pontifice coli cœptas esse, suam religioni, ac veræ pietati dignitatem restitui: cedere virtutibus vitia, rationi amentiam, libidinem pudori, vim æqvitati: hæc ego sum secutus, hæc omnibus & commodis, & honoribus anteposui. Erat præterea mihi non modo laudabile, & honestum: sed Illustre etiam, & gloriosum, vocari à Pio IV. Pontifice ad eam curam, ut sanctissimorum virorum scriptis, qvibus humano generi salutaris doctrina continetur, emendandis, edendisqve præessem. Qvo in munere si mihi, non dico magnos labores excipere, (qvis enim bono viro labor est pro tuenda Ecclesiæ dignitate, id est, pro communi salute recusandus?) sed si vitam ipsam profundere opus esset, egregiè mecum actum putarem. Atqve ego illam sanè incredibilem capio voluptatem, qvòd, cùm præclarum esse nihil constet, qvin idem operosum, & perdifficile sit, hac tamen in re omnium pulcherrima, ac præstantissima planè omnes difficultates tua cùm excellens liberalitas,

litas, tum singularis sapientia sustulit. Qvis enim unqvam tam libenter pecunias collegit, qvàm tu libenter effundis, ut exeant optimi libri, alii nondum editi, qvorum notitia rectissimam ad fontem veritatis viam ostendit, alii sic emendati, ne qvæ supersit labes, qvæ imperitorum animos, objecta falsa doctrinæ specie, possit inficere? Qvo qvidem antea malo nimiùm graviter laboravimus: utinam iis remediis, qvæ parantur, omnino liceat convalescere. Qvod ita facilè consequemur, si modo is, qvi optimarum & maximarum auctor, perfectorqve rerum est, adfuerit Deus. Nam nos qvidem, ùt opibus valeamus, ut acumine mentis excellamus, qvàm tamen infirmi simus ad omnia, nisi propotentis Dei ope fulciamur, qvàm planè cœci, nisi ejusdem luce regamur, multorum turpissimus & miserrimus exitus ostendit. Qvis porro affuturum esse DEUM dubitet, si sanctissimam illius doctrinam, qvam præceptis declaratam plurimis suo demum ipse sanguine, suæqve mortis exemplo comprobavit, non verbo tantum profitebimur, sed vitâ etiam, & moribus exprimemus? Hoc tu scilicet, Pie Pontifex, illo primùm vidisti die, qvo te in excelsa ista Sede, favente & approbante divinô Spiritu, omnium Cardinalium sententia collocavit: neqve verò vidisti solùm, qvod tibi fortasse cum multis commune esse potuit, sed etiam, in qvo proptia tibi debetur laus, accuratè præstitisti. Tu enim ipse tuâ temperantiâ, justitiâ, gravitate, constantiâ, qvales esse alios oporteret, exemplum dedisti. Inde manavit statim ad propinqvos & affines tuos benè vivendi di-

ſciplina: qvorum omnium incredibilis abſtinentia, humanitas, pudor civitatem brevi correxit, & conformavit univerſam. Nunc in illam curam totus incumbis, ut reliqvæ partes Eccleſiæ, diſcordiâ laborantes, omni à te ratione ſanentur. Serpit enim qvotidiè longiùs transalpinum illud malum, à qvibusdam primò ignoratum, ab aliis poſteà neglectum, poſtremo à nonnullis etiam vehementer auctum. Sed, ut hoc placuit Deo, qvo volente, aut ſaltem permittente, geruntur ea, qvæ cur ita fiant, cauſas indagare noſtrum non eſt: ſic eidem placebit, ut imminutam Chriſtianæ Reipubl. dignitatem tua virtus, & ſapientia in veterem integritatem, ſplendoremqve reſtituat. Inſtat à te indictum & inſtitutum jam generale Concilium, cujus ea ratio, ea vis, & conſuetudo ſemper fuit, ut ſanctiſſimi Spiritus interventu, diſſidentes animos non concordiâ ſolùm, & pace, verùm etiam benevolentiâ, ſtudioq; conjungeret. Hôc tu nos, Pie IV. remedio ſervabis; errantemqve gregem, disjectum variâ culpâ, tanqvam paſtor optimus, ad obedientiam revocabis, continebisqve in officio, & obſervantia erga divinas leges tum perpetua ſanctitate tua, unde hauriunt omnes exemplum omnium virtutum, tum verò iis etiam edendis in hac urbe libris, qvorum lectio malas & exitioſas evellit ex animis hominum opiniones: inſerit eas, qvæ ſi coluntur pietate & beneficentia, uberrimos, & præſtantiſſimos, & planè ſalutares fructus ferant. Atqve hujus qvidem tanti, ac tam præclari muneris initium unde ſumi aptiùs potuit, qvàm ab eo libro, cujus argumentum

& cum tatione temporum, & cum tuis consiliis ac studiis optimè congruit? Qvid enim tempora, qvid status Ecclesiæ poscit, qvid tu optas curasve magis, qvam Concilium, qvod unicum, & certissimum in tam gravi discrimine, tàm propinqvâ communi peste, supereſſe remedium videtur? At in hoc libro, qvem tuo jussu primùm emittimus, proxima ostenditur ad salutem via, spes omnis in confessione culpæ, in vitæ ac morum emendatione, in summa demum Pontificis auctoritate collocatur. Qvæ cùm per se maxima sunt, & curandis Christianæ Reipubl. vulneribus utilissima: tum verò ponderis accedit plurimum ab eximia scriptoris innocentia, doctrina, dignitate. Qvis enim, qvibus animi bonis, qvibus industriæ, ingenii ornamentis abundaverit, qvi deniqve vir, qvantusqve fuerit Reginaldus Polus, aut ignorat, aut, si qvam modò tantarum laudum partem habet cognitam, non earum memoriâ, & desideriò vehementer commovetur? Potestne qvisqvam tàm inops à judicio, tam aversus ab humanitate, tam planè ferus esse, ac ferreus, qvi non intimis eum sensibus dilexerit, cujus non modò in studiis, in moribus, in sermonibus, sed in ipso planè adspectu omnis probitas, omnis luceret humanitas? De religione verò, deqve Christiani hominis officio qvid senserit, & judicarit, non aut in uno, alteróve libro ita ostendit, ut in aliis unqvam dissenserit: aut ita scripsit, ut aliter viveret: sed omnia, literis ab illo prodita, sine ulla exceptione semper laudarunt, hodieqve laudant boni, & sapientes viri; qvorum directa ad veritatem ipsam, id est ad

unam

unam Dei gloriam sententia nec obtrectandi studiô, aut invidiâ flectitur, nec malevolentia aut ambitione mutatur. Vitæ verò totius institutæ, & excellentem in omni actione, omniqve fortuna pietatem, utinam, qvàm facile noverunt, tàm libenter imitarentur multi. Opes, honores, clientelas, Regum maximorum gratiam, & benevolentiam, qvi assequuntur, proximè ad felicitatem putantur accedere. At ille hæc omnia apud Henricum, Britanniæ Regem, & jure propinqvitatis, & multò etiam magis sua virtute cùm posset, ultrò contempsit, ne turpissimas Regis actiones, & adversantem Christi Vicario sententiam probare, aut etiam adjuvare cogeretur. Patavii di vixit, qvanqvam erat habitu naturæ prope divino, liberalibus tamen disciplinis vehementer deditus, &, cùm eloqventiæ, atqve philosophiæ pari studiô flagraverit, in utra tamen magis enituerit, non facilè est existimare. Illud certè constat, qvi vel meliora, vel ornatiora scriberet, hac homnium memoriâ extitisse neminem. Qvanqvam id ei propositum fuit, eò direxit cogniciones omnes, atqve curas, ut Philosophiæ scientiam non tam scriptis, qvàm vitâ ostenderet. Itaqve major, atqve excelsior Patavii in tenui, & humili fortuna fuit, qvàm cùm in Regno omnibus copiis & ipsius maximè Regis gratiâ floreret. Hic, hic nimirum verus est, ac præstantissimus optimorum studiorum fructus, si qvis à se ipso pendeat, si temporum vicissitudines non extimescat, si adversus hominum iniqvitates, fortnæqve injurias ratione & virtute pugnet. Qvam in Polo constantiam, &

sapien-

sapientiam fuisse, qvis ignorat? Metuendæ erant à Rege potentissimo insidiæ, metuenda vis, propterea qvòd, suscepta Ecclesiæ causa, luculento illo de Pontificis auctoritate libro, susceptum simul à se gravissimum ejus odium intelligebat, deserabatur etiam qvotidiè magis à re domestica, fortunis exclusus ampliſſimis. Nemo tamen eum dejecto, aut demisso sensit esse animo, nemo vidit unqvam tristiore vultu. In sermonibus, in consuetudine, in convictu, in tota deniqve vitæ ratione tranqvillitatem mentis, qvam habuerat antea, perpetuò retinuit. Nec defuere, qvæ nunqvam speraverat ac ne cogitaverat qvidem, tantis debita virtutibus præmia. Nam, cùm ita viveret, ut in uno Deo omnia poneret, cetera, qvæ mortales admirantur, infirma, caduca, inania duceret; cumqve in illa Patavini gymnasii celebritate domesticis otii sui finibus contentus, paucorum admodum consuetudine uteretur: brevi tamen, ut sibi viam facilè virtus aperit, ita manavit fama de amirabili ejus prudentia, temperantia, doctrina, ut ad aures Pauli III. Pontif. Max. pervenerit. Qvi cum esset ea mente præditus, ut nemo unqvam magis de ornanda egregiis Cardinalibus Ecclesia cogitaverit; eo judicio, ut nemo in delectu erraverit minùs: commotus multorum indubio sermone, Reginaldum Polum, disciplinæ Christianæ renovandæ causa, cum præstantibus aliqvot viris ad urbem accivit: eumqve paulò pòst non petentem, non optantem, propè etiam recusantem, Cardinalem creavit. In hac dignitate, cùm alios antea, tum se ipsum vicit omni

omni genere laudis. Omitto singularem illam, cui par oratio reperiri nulla potest, in cæde matris acerbissima fortitudinem, atqve constantiam. Unicum illi contra omnes injurias, omnesqve calamitates conscientia præsidium fuit: & in adversis rebus jam antea didicerat esse fortis. Gravitatem eximiam, pari comitate conditam, mansuetudinem, prudentiam, benignitatem in sublevanda miserorum inopia non attingo. Communia sint hæc, in qvibus tamen præcipua qvadam laude Polus excelluit. Venio ad id, qvod à Cardinalis persona proprie postulatur. Nam, ubi primùm sacerdotio est ornatus amplissimo, non ille mentem, ùt multi, cum fortuna mutavit, non sericam vestem, non argenteam supellectilem, non denique illustrem aliqvam, aut opimam provinciæ præfecturam appetivit, sed contempta prorsus rerum humanarum specie, divina studia, qvæ antea non leviter attigerat, toto pectore complexus, de tuenda Pontif. juris majestate, de augenda inter homines Dei gloria, de illustranda veritate dies noctesqve cogitare cœpit. Qvantum enim in ea philosophia, qvæ à sensibus ducitur, erroris insit, atqve obscuritatis, cùm antea non ignoraset, tum verò, totus ad eam philosophiam traductus, qvæ cœlestium bonorum cognitionem patit, clarissimè perspexit. Jam, illam, qvæ colligitur ex Rhetorum præceptis, eloqventiam, in qva præter ceteros antea floruerat, neglexit penitus, inanemqve duxit, cùm sacrorum librorum voces, non aurium voluptati servientes, sed ad intimas animorum partes incredibili qvadam suavitate penetra-

netrantes, exaudivit attentiùs. Nec verò qvidqvam habuit antiqvius, qvàm ut à sanctissimis Ecclesiæ legibus discedentes, qvoqvo modo ad sanitatem redirent: cùm ipse multos cohortatione sua, consiliò, doctrinâ, nonnullos etiam lenitate qvadam ad meliora consilia converteret. Incidit tempus, cùm de sufficiendo post obitum Pauli III. Pontif. habenda Cardinalibus deliberatio esset. Affuit Polus ita sedato animo, ita cupiditatis, & ambitionis expers, ut majore Collegii parte Pontificatum ad eum deferente, non statim assenserit, differendamqve rem tantam in posterum diem censuerit: fore enim, si probaret Deus, eundem post aliqvot horas Cardinalium consensum: sin minùs, omnino sibi qvod Deo displiceret, placeie nihil posse. Scripsit etiam in eo conclavi præclara qvædam de officio Pontificis, qvæ cum aliis ejus libris, qvos Joannes Moronus, Cardinalis ob summa erga sedem Apostolicam merita, perpetuamqve vitæ innocentiam clarissimus, accuratè servavit, propediem in lucem proferentur. Qvibus in libris cum spirare adhuc mens illa divini hominis, & vigere videatur; afficimur non tam præceptis, atqve doctrinâ, qvàm recordatione tantarum virtutum, qvas in illo vidimus. Vitæ clausula fuit, in qva ostendit lumen animi ingeniiq; sui, Britannica Legatio. Nam cùm in illa Insula per annos multos, duorum Regum imperio, Henrici primum, deinde Odoardi, ejus filii, legitimus Dei cultus, intermissis optimis ritibus, obsoleviſſet? cumqve interitus Odoardi, succedente ejus sorore Mariâ, spem aliqvam revocandæ pieta-

pietatis, & religionis attuliſſet, viſa eſt unius maximè Poli ſapientia rectam errantibus viam monſtrare poſſe, adjunctâ præſertim auctoritate tantâ, qvantam nec ſine virtute dignitas ulla pareret, nec ſine dignitate virtus. In ea legatione optimos Reginæ ſenſus confirmavit; principibus viris & multitudini perſuaſit, ut novam hæreſin, Henrici nefaria libidine inductam, abjicerent, veterem ſacrorum diſciplinam, rationemqve ſuſciperent; cum Eccleſiâ, ſi ſalvi eſſe vellent, in gratiam redirent: unum eſſe Romæ poteſtate ſumma, Chriſti Vicarium, in qvo creando commotæ Spiritu ſancto Cardinalium mentes, ex vetere multorum ſeculorum inſtituto, tradita per manus conſuetudine, conſentirent; qvæcunqve ille ſanciret in terris, ea firma & rata in cœlo eſſe, cetera communi ſaluti vehementer adverſari, hominum ſeditioſorum, vel Satanæ potiùs ipſius inventa, ut genus humanum, ſi poſſit, univerſum perdat, ſuæqve ſocios habeat plurimos infelicitatis & culpæ. Manſit in officio, & fide, qvàm diu Polus, & Regina vixerunt, Britannica natio, utriusqve innocentiâ, & ſanctitate, alterius etiam ſermonibus & præceptis commota. Poſteà cùm utrumqve Deus, cujus abdita conſilia non aſſeqvitur humana meus, ad cœleſtus vitæ præmia vocaſſet; lapſa eſt iterum, & concidit illa gens, deſtituta conſiliis, qvibus antea nitebatur. Jamqve ad finitimas nationes pervaſit hæc peſtis, & dira contagio; nec videretur poſſe conſiſtere, niſi tua, Pie IV. Pontif. Max. ſapientia ſingularis occurreret, Tridenti indicto Concilio, Romæ omnibus rebus ad ratio-

rationem, æqvitatemqve revocatis. Qvod verò etiam eorum scripta, qvos in beatorum numerum jure olim Ecclesia retulit, integra, deletis omnibus maculis, pervulgari jubes: qvòd excellentem nobis Reginaldi Poli, amissâ ejus voce, doctrinam restituis: mirum est, qvàm vehementer adjuves communem causam, qvantum se tibi pro ista mente, istaqve curâ omnes homines debere fateantur; qvantam ab ipsò Deo, qvi tibi nostram salutem commisit, gratiam, & benevolentiam ineas. Hæc sunt illa merita, qvibus hominum vita, brevissimis circumsctipta finibus, ad infinitam memoriam propagatur; hæc illa, nunqvam satis laudata, veterum Pontificum instituta, qvibus hanc nobis Ecclesiam tam præclarè fundatam, extructamq; reliqverunt. Qvæ utinam, sicuti propria tua sunt, ita perpetua esse possent. Nemo enim dubitat, qvin, optare tibi perpetuam vitam, idem sit optare nobis perpetuam felicitatem. Nec verò cuiqvam bono viro tanti est hujusce lucis usura, qvin de sua detractum aliqvid vitâ libenter, si possit, in tuam conferat. Sed, qvoniam hac lege hûc omnes ingredimur, ut aliqvando discedamus: nec licet nobis in teuno singularem conditionem, pro tua singulari beneficèntia postulare: saltem, ut qvàm diutissimè te præsente perfruamur, & petimus à Deo supplices, & futurum pro summa ejus erga nos clementiâ confidimus. Magna enim sunt, qvæ jam inchoasti: majora tamen, qvæ mente designas. Nihil vulgare cogitas, nihil humile, nihil angustum: metiris omnia tua dignitate potiùs, qvàm communibus ex-

emplis. Præclarè. Non enim Pontificiæ laudes in mediocritate versantur: nec decet, qvi potestate, & honore cunctis hominibus antecellat, eum ab ullo homine rectè agendi cupiditate, studioq; superari. In te igitur, Pont. Max. primùm tuendæ, atq; amplificandæ religionis, deinde ejus otii conservandi, cujus auctor, & custos antea fuisti, sita spes omnis est. A te honesta studia, à te liberales disciplinæ, à te ipsa virtus ornamenta sua repetit. Tu, qvod facis, & fecisti egregiè, perpetuò facies, ut omnes gentes diuturna pace, justitia, pietate foveas, urbem Romam operibus magnificentissimis, & cum ipsa antiqvitaqve comparandis, ornes; civitatem tui studiosissimam, superiorum temporum calamitatibus afflictam, perpetuà benignitate recrees; deniqve tollas aliqvando ex imperitorum animis dubitationem illam, qvæ laudabilia multorum studia remoratur, utrum res maximas fortuna possit sine virtute perficere, an virtus, qvò contendat, sine fortuna pervenire? De qvo qvid sentires ipse, ostendit jampridem tuæ vitæ ratio: nunc, ut omnes idem sentiant, facilè unus præstare potes, restitutâ iis artibus dignitate, qvæ te talem tantumqve fecerunt, ut, qvales ipsæ qvantæq; essent, ope tuâ, studioqve omnes mortales intelligerent.

IN LIBRUM FRANCISCI VARGAS DE JURISDICTIONE EPISCOPORUM, ET SUMMI PONTIFICIS AUCTORITATE.

XXV.

ARGUMENTUM.

Franciſci Vargas librum de Jurisdictione Epiſcoporum & Pontificis autoritate edituru, narrat, in Concilio Tridentino ortam eſſe inter Patres ibi congregatos controverſiam, de Autoritate Pontificis &c. ad qvam componendam, cùm Pontifex inter alios etiam Franciſcum Vargas Regis Hiſpan. oratorem in conſilium adhibuerit, isq; ſententiam ſuam pro autoritate Pontificia egregiè dixerit, ſcripſeritq;, laudat Pontificem, qvòd id ejus reſponſum typis excudendum curarit, & ad Patres Tridentinos miſerit.

IN Trident. Concilio, ſingulari atq; divina Pii IV. Pontif. Max. ſapientiâ conſtituto, cùm aliæ res, antea pàrùm exploratæ, vel aſtutis hominum conſiliis immutatæ, atqve corruptæ, in conſultationem controverſiamqve venerunt: tum verò gravis illa, & perdifficilis de jurisdictione Epiſcoporum, & ſummi Pontificis autoritate exorta qvæſtio eſt. Qva in deliberatione cum ita Patres illi vitæ innocentiâ, doctrinaqve inſignes, diſſiderent, vix ut aliqvando res convenire poſſe videretur: Paſtor optimus, ut eſt animo ſemper ac mente in humano genere ſervando, tuendaqve communi ſalute defixus, incubuit in eam curam, ut adhibitis in conſilium lectiſ-

simis Cardinalibus, hunc nodum expediret. Et, qvoniam Franciſci Vargas, Catholici Regis Oratoris, in maximis rebus antea ſæpe ſpectata virtus erat: expedire in primis rei publicæ viſum eſt, talem virum, cùm tanta res ageretur, intereſſe. Qvi cùm eſſet accerſitus à Pontifice, rogatusqve ut ea diceret, qvæ ad Apoſtolicæ Sedis dignitatem, id eſt, ad Chriſti gloriam, & ſalutem animorum noſtrorum pertinere vehementer duceret: ſententiam dixit graviſſimis ornatiſſimisqve verbis, eâ doctrinâ refertam, ut nihil aut è ſacris literis, aut ex antiqvarum Legum, Canonumvè fontibus derivari poſſit, qvod ille non & memoriâ, ſcientiaqve comprehendiſſe, & ſumarum rerum, in qvibus ætatem ferè totam contrivit, experientiâ comprobaſſe videretur. Excepta eſt perattentis animis ejus ratio: magnaqve eſt omnium Cardinalium, præcipuè verò ipſius Pontificis, cujus ùt poteſtas, ita judicium, ſapientiaq; eminet, aſſenſio conſecuta. Et qvoniam, qvæ tum qvisqve ſenſit, eadem ut mandata literis ad Tridentinos Patres mitterentur, Pontifex adjuvandæ cupidus publicæ cauſæ jam decreverat; de Franciſco Vargas hoc ampliùs placuit, ut ejus reſponſum (ſic enim inſcriptum eſt) impreſſum ederetur. Eſt hoc qvoqve Pii IV. divinæ liberalitatis, ac beneficentiæ, ut, unde aliqvid ad commune commodum emanare poſſit, id non latere in tenebris, aut pauciſſimis impertiri, qvod anguſti jejuniq; nimium animi eſt, ſed pervulgari ad omnium gentium utilitatem vehementer curet. Porrò, ſi nihil eſt Religione utilius, qvæ beatam, æternamqve vitam una largitur,

qvan-

qvantam iis debemus gratiam, qvi suam industriam eò totam conferunt, ut, novis qvorundam opinionibus, qvas insciitia dicam, an improbitas peperit? confutatis, veritatem ipsam suæ doctrinæ lumine ita patefaciant, atqve illustrent, ut à nemine jam, nisi planè impio, vocari in controversiam possit? Qvod in hac maximi ponderis qvæstione, qvæ per aliqvot menses plurimorum hominum ingenia mentesqve torsit, Francisci Vargas præstanti beneficio consecuti sumus. Vir enim egregius laboranti publicæ causæ multis nominibus opem tulit, doctrinâ primùm, tot annorum studio collectâ; deinde prudèntiâ, qvàm à natura acceptam diuturnus rerum maximarum usus vehementer auxit; tum integritate vitæ, sine qva inanis prudentia, pernicioſa etiam doctrina omnis est; postremò auctoritate tantâ, qvantam capere videtur ea persona posse, qvæ pro summo omnium, qvos meminimus, aut legimus, Imperatore Carolo Qvinto, ejusqve dignissimo filio Philippo Catholico Rege gravissimis in muneribus, ac legationibus primarus, temporibus difficillimis, diutissimè tractata sit. Hæc igitur, ubi conjunguntur, omnia, qvæ per se singula in paucis excellere videmus: præclarum qviddam atqve excellens fieri necesse est. Nec nos veremur, cùm simul universa tali viro tribuimus, ne nos aliqvando res ipsa redarguat, ejusqve scripta, cùm legentur, ita exspectationi non respondeant, ut ei falsam affinxisse laudem vel gratiæ causa, vel judicii errore videamur. Perfecta virtus laudem qvasi fructum non qværit; cognita, testimonio non indiget. Id

ipsum, lector optime, tum ex hoc responso, quod nunc, à multis jam expetitum, exit; tùm ex reliquis ejusdem libris, qui propediem, ut spero, consequentur, facilè judicabis. Id modò unum exopta, ne propensam ad bene merendum voluntatem casus aliquis impediat, aut valetudinis moretur infirmitas. Romæ M. D. LXIII. Kal. Octobr.

AD CAROLUM BORROMÆUM, CARDINALEM, IN D. CÆCILII CYPRIANI OPERA.

XXVI.

ARGUMENTUM.

Cyprianum editurus, queritur de misero Ecclesiæ statu per Germaniam, bello ardentem, Galliam, & alias provincias. Cujus remedium, cùm non nisi ab emendatione vitæ peti possit, & ejus cura potissimum Episcopis & Cardinalibus incumbat, priscorum Ecclesiæ antistitum mores, & vitam imitandam esse asserit. Inter quos cùm nou postremus sit Cyprianus, laudatis ejus scriptis, quæ jam beneficio Borromæi correctiora eduntur, digreditur in Borromæi laudes, & causas indicat, cur Cyprianum nomini ipsius inscribat.

MAgna in molestia versor, Carole Borromæe præstantissime Cardinalis, qvòd avunculô tuo Pio IV. Pontifice, cujus & benignitas, & sapientia veterem dignitatem restituere bonis artibus facilè poterat, vereri sæpè cogor, ne publica incommoda, & adversi communium temporum casus, cursum optimæ voluntatis impediant; maximiqve inter homi-

homines operis, atqve pulcherrimi perfectionem desideremus. Nec verò, ubi resideat tanti mali culpa, reperire difficillimum est. Optimis rebus difficultatem afferunt vitia nostra, ita Deo permittente, ut aliqvando resipiscamus. Nam, si homines intelligerent, qvod tu optimè intelligis, Borromæje prudentissime, qvanti sit, ac semper fuerit, ab uno Deo exspectare omnia; inania ducere, qvæ à nostris consiliis proficiscuntur: primùm illud consequerentur, ut jucundè viverent, soluti molestissimis curis, qvibus in omnium rerum affluentia ne magni qvidem principes vacant: deinde, qvæ metuere solemus adversa, ea vel nulla unqvam acciderent, vel nullo statim negotio depellerentur. Nunc aliter evenit. Dum enim à nostris ingeniis, opibusqve secundas res petimus; dum & magnificas ædes, & ingentem agri modum, & auri, argentiqve vim, qvæ ne bona qvidem sunt, sola esse bona credimus; eaqve consecuti, qvasi nobis dati sint obsides perpetuæ felicitatis, ita nihil timemus incommodi; destituti sæpe divino præsidio, jure plectimur, è maxima lætitia in maximos luctus, miseriasqve conjecti. Uterer privatis exemplis, nisi publica nimiùm etiam multa suppeterent. Vidimus, gravi Christianæ Reip. damnô, ardentem diu civili bello Germaniam: cùm exitiosa discordiarum semina, mentibus injecta multitudinis imperitæ, principes ignari qvid existere malorum posset, auctoritate, opibus, armis deniqve foviissent. Inde sibi plebs infima, ùt est cupida semper novarum rerum, licentiam arbitratu suo vivendi, simulatio-

ne ac specie religionis, arripuit. Ex eo neqvitia primùm, & incestus, deinde vis, rapinæ, cædes, qvæqve propositâ impunitate nascuntur mala, passim consecuta sunt. Pendent enim à divinis humana jura. Illa si contemnamus, hæc non facilè tuebimur: illa si labefactentur, hæc statim corruent. Sublatô igitur, qvi per tot secula vigûerat, summi Dei cultu, perturbatâ sacrorum rituum vetere disciplinâ, locum suum retinere diutius nec honestas, nec pietas potuit: periit fides, & omnis inopiæ sublevandæ consuetudo: illa verò, minimi pendentis humana omnia, uni Deo servientis animi demissio, qva nulla magis hominem Christianum virtus decet, qvæ, tanqvam hesperus, ac lucifer inter sidera, si, ipsa inter virtutes reliqvas præcipuè fulget, exstincta penitus est. Tum & domestica bella populis variè dissidentibus, exorta; & externis hostibus, Christiano semper nomini crudeliter infestis, ad universorum perniciem patefactus aditus est: qvosqve antea tot civitatum, ac principum, integræ vires, atq; conjunctæ facilè sustinere irruentes, ac repellere potuissent, nunc ut eorum impetum, imminutæ, atqve distractæ, ferre possint, sperandum vix est. Qvid reliqvæ provinciæ? satisne valent, & alieno malo doctæ sibi cavent? imò, qvasi sit in eandem flammam pleræqve conjiciunt, in dolore voluptas, in exitio salus, ita se libenter. Vincere jam cœpit humanam medicinam morbus: proxima qvæqve corrumpuntur: nec jam ullæ possunt aut artes hominum, aut vires tantam pestem à finibus avertere. Gallia qvidem, opibus antea floren-

florentissima, semper hostium religionis expultrix, semper invadentibus Ecclesiam monstris inimica, nunc, alienatis multorum animis, deformata domesticis cladibus adspectu miserabili, penè proclivis ad perniciem labitur. Nec periculô vacant finitimæ gentes: qvæ si fortè, qvod avertat divina clementia, insanire cœperint, verendum est, ne malum erumpat, qvod ferri non possit. Nec verò nos, nisi præsidiô nitamur innocentiæ, qvo uno servari possumus, & vincere, vel excelsa asperrimarum alpium juga, vel amnes rapidi, aut munitæ arces, lectæve militum copiæ defendent. Communibus remediis communes depelluntur moubi: nunc, in extremum adductâ discrimen salute publicâ, exqvisitam qvandam, & planè singularem curationem rei magnitudo postulat. Corrupta jampridem vitæ ratio Deum offendit; eadem placabit emendata. Huc igitur studia conferenda: huc intendendæ sunt curæ. Qvod qvanqvam ad omnes pertinet, cùm in communi periculo commune officium reqviratur: præcipuæ tamen eorum partes videntur esse, qvi summo in gradu dignitatis, atqve honoris, tanqvam in specula, constituti, oculis patent omnium mortalium, ut nullum prorsus eorum neqve dictum, neqve factum obscurum esse possit. Qværamus, qvarum rerum amore flagraverint, aut qvibus artibus aditum sibi in cœlum aperuerint primi illi nostræ religionis antistites, qvos Ecclesiis moderandis præfecerat Deus: reperiemus eos, tanqvam in hac vita peregrinarentur, ita semper, obvia qvæqve contemnen-

tes, ad cœlestem patriam, optimiqve parentis Dei, qvi nos ad se vocare nunqvam desinit, adspectum, amplexumqve properasse. Qvàm multos è sacrarum literarum monumentis, & ex memoria vetustatis licet eruere, qvorum omnes vitæ partes ea, qvæ nos in malis ponenda censemus, paupertas, exilium, carcer, mors deniqve illustraverit: cùm sæpe in maximis incommodis, atqve adeo inter exqvisitissima tormenta, corporis dolorem animi lætitiâ superante, qvàm hoc suave est! dicerent, & immortali Deo pro tam insigni munere gratias agerent. Non longè abeamus. Estnè qvisqvam, aut esse potest beato Cæcilio Cypriano, cujus nunc emendatissima scripta emittimus, aut vitæ sanctitate, aut mortis constantiâ major, & clarior? Qvàm ille se gessit in omnia vita abstinenter, & piè? In Episcopi autem officio, ac munere qvam non attigit, immo qvàm non absolvit magno dignam præsidem virtutem? Exstant de eo prodita literis æternæqve consignata memoriæ præclara sanctorum hominum testimonia: sed in re nota, atqve ante oculos posita, testibus non egemus. Vitæ illius propè animatam imaginem in libris, qvos reliqvit, verissimis expressam lineamentis intuemur. Qvantus est in tuenda Ecclesiæ Catholicæ dignitate? Qvàm severus in retinenda vetere disciplina? Qvàm acer in condemnandis novarum opinionum auctoribus, in contumacia insectanda, libidine comprimenda? Qvæ sententiarum gravitas, verborum vis, doctrinæ præstantia? Nemo ita languet, aut ita friget in cupiditate summi boni, qvi non excitetur,

& qva-

& qvasi facibus ad motis incendatur, cùm ejus epistolas legit, Jam reliqva ejus doctrina qvos fructus affert, qvàm uberes, qvàm salutares? Docemur, exoriri calamitates, omisso veri Dei cultu; hæreses gigni Pontificis auctoritate contemptâ; qvi virginitatem, & pudicitiam colat, ei proposita esse maxima in cœlo præmia; qvi Ecclesiæ præsit, aperto animo ac simplici esse oportere, prudentiâ tamen ita tectum, ut insidiis minimè pateat communis inimici. Planè omnes veterum philosophorum libri, præceptis referti comparandæ virtutis, si cum Cypriani sermonibus conferantur, inanes & penè pueriles videbuntur. Sumantur in manus. qvæ de eleemosyna, ac benignitate literis mandavit; statim omnes, si qyæ residunt in mentibus nostris avaritiæ sordes exhauriri, & infundi eximium erga pauperes amorem sentiemus. Gravis est, & latè patet invidiæ morbus; at hic rationibus egregiè curatur, ex intima Theologia depromtis. Vexamur calamitatibus, & ærumnis, qvibus proposita est hominum vita; præclaram audiamus Cypriani vocem ad patientiam cohortantis, exemplo multorum allato, qvi nihil acerbum, aut malum præter culpam unqvam duxerunt, & cum illo immenso sempiternæ vitæ lucro libenter omnes hujus exiguæ vitæ fructus commutaverunt. Exstat etiam ad Martyres, primùm, ut cum dolore pugnent, acerbissimisqve cruciatibus forti animo resistant, prudens & pia cohortatio; deinde', qvòd morte vitam qvæsierint, & ex hostibus DEI victoriam reportaverint, amoris & gaudii plena gratulatio.

Neqve

Neqve verò aliter sensit, aut sui dissimilem se præbuit in extremo vitæ die: sed, cùm ita semper vixisset, ut obscurè inglorieqve decedere non posset, ita decessit, ut hoc uno vel obscurissimam vitam illustrare posset. Multa prætereo; nec sanè persequi conor omnia; ne suscepisse hoc videar, ut Cyprianum debitis ornem laudibus: qvod, ùt ego sentio, vel pro ejus dignitate nemo, vel solus ipse præstare posset. Verùm hæc me commemoratio cùm ipsa per se delectavit, tum qvòd in ea beneficii tui magnitudinem & præstantem, ad bene merendum naturæ propensionem agnoscebam, qvi totus in eam curam incubueris, ut omnia Cypriani scripta, mendis autea deformata, nunc in veterem illam integritatem, ac speciem, accersito etiam Veronâ mirâ vetustatis exemplari, accuratâ doctorum virorum industriâ restituerentur. Qvo sanè nomine, incredibile dictu est, qvantum se tibi omnes boni deberé fateantur. Qvanqvam neqve nunc primùm, neqve hoc uno tuos ad laudem impetus argumento cognoscimus. Omitto illa superiora, qvalem te præstiteris in patria, qvalem in Ticinensi gymnasio, cùm, nihil præter verum decus, veramqve gloriam cogitans, Francisco Alciato, singularis doctrinæ viro, jurisprudentiam publicè profitenti operam dares. Sint hæc in tuis laudibus minima: non qvia, si spectentur, sola maxima videri non debeant; sed minora majoribus obscurantur: & angustior ille fuit privatæ vitæ campus, qvàm ut in eo tua virtus commodè posset excurrere. Itaqve, Romam traductus ad publica negotia, parem facultati

mate-

materiam nactus, dum te fingis qvotidie ad exemplum sapientissimi Pontificis, avunculi tui, qvotidie te ipsum vincis bene agendo, adjuvante naturam imitatione, qvemadmodum sine præstanti naturâ parum proficeret imitatio. Ab hac disciplina fluxerunt illa, qvæ qvàm paucis contingant omnia, ignorat nemo: in consilio gravitas, in laboribus patientia, nihil in potestate insolens, nihil in opum abundantia dissolutum, severissimis omnia continentiæ legibus adstricta: ut ab ejus personæ, qvàm sustines, dignitate nunqvam oculos deflectere, sed illud perfectum absolutumqve decorum, cujus & studium, & splendor magna ex parte jam obsolevit,, assiduè spectare videaris. Jure igitur qvotidiè tibi summæ res à summo Pontifice committuntur: jure se in tuam clientelam, qvasi portum qvendam in tantis horum temporum tempestatibus tutissimum, ac salutarem sperantes, conferunt omnes boni. Tuum est, egentem patrocinio communem causam suscipere, & opinari, qvod avunculus tuus, immortalitate dignus, jampridem sibi persuasit, egregieqve præstitit: duas maximè res à Principe viro postulari: unam, ne qvid reprehensione dignum committat; in qvo tu excellis omnium consensu; alteram, ne qvid laude dignum prætermittat; qvod aliqvanto est optabilius, atqve præstantius. Nam, vacare culpâ, est illud qvidem, his præsertim moribus, egregium; ejusmodi tamen, ut in privati hominis conditione subsistat, ad principis ornamenta non perveniat. Vera virtus actione gaudet; vim suam longè lateqve diffundi, & propagari

pagari sua bona cupit; eoqve ipso alitur, & augetur. Ceteræ enim res, cùm communicantur, minuuntur; ex virtute, qvantum ad alios manat, tantundem ad ipsam accedit. Qvæ tibi profectò sæpe in mentem venerunt; neq; hæc melius cujusqvam oratio, qvàm tu vita exprimis. Me tamen cùm incredibilis qvædam erga te observantia, ut Cypriani libros tibi inscriptos emitterem, adduxisset; eadem impulit observantia, & perpetuus in ipsam virtutem amor, ut hæc scriberem. Tibi enim, qvanqvam neqve cohortationi tua bonitas, neqve admonitioni prudentia locum relinqvit; veruntamen, ut studio meo satisfacerem, liberales disciplinas commendare cupiebam: reliqvis autem, qvi hæc legent, qvid ab excellentibus animi tui bonis sperari posset, significandum arbitrabar.

IN EDITIONE CONCILII TRIDENTINI.

XXVII.

ARGUMENTUM.

Laudat Concilium Tridentinum, & indicatis causis, cur nunc nudos ejus Canones edat, integra ejus Concilii Acta propediem edenda, promittit.

QVi de Catholica fide rectè sentiunt, fatentur omnes utilissimum fuisse humano generi, atq adeo salutare Concilium Tridentinum, qvod exi-; miâ summi Dei erga nos clementiâ, Pii IV. Pontif. Max. sapientiâ singulari, mirificâ legatorum Cardinalium,

nalium, qvi præfuere, vigilantiâ, maximo etiam Imperatoris, Regum, Rerum publicarum, Principum & Patrum, qvi interfuere, consensu, ita confectum absolutumqve videmus, ut exitiosam illam animorum pestem, qvæ qvotidiè serpebat latiùs, nunc qvidem aliqva jam ex parte compressam esse, brevi autem, ope divina cunctis populis & nationibus ad communem salutem consentientibus, prorsus tolli posse omnes confidant. Qvo merito gratiæ sunt habendæ primùm immortali Deo maximo, unde bona manant omnia: deinde Pio IV. qvi hoc spectavit unum, & in hoc potissimùm ab illo primùm die, qvo summam inter omnes homines potestatem, delatam divinitus, accepit, fixit curas & cogitationes omnes, ut communibus malis generali Concilio mederetur: qvô sæpe remediô Christiana Resp. erumpentibus vitiis occurrit, & impendentes ex dissentione, atqve discordia calamitates evitavit. Hoc beneficium disseminari qvamprimùm, ac distribui per orbem terrarum ad propagandam veritatem, & divulgandam Ecclesiæ Catholicæ sententiam necesse est. Itaqve nunc eduntur puri Canones, & ipsa decreta, cum appendice nulla: tantùm ut ea cognoscantur, qvæ primùm sacrosancta Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, deinde Pontifex ipse confirmando servari pariter ab omnibus in perpetuum jussit. Nam reliqva Concilii acta, diligentissimè perscribas publicanda, in ipso Concilio excepta, & literis mandata, mox ita emittentur, ut, qvæcunqve res in controversiam venerit, qvæcunqve vel sententia dicta, vel oratio

ratio habita fit, omnia deniqve agitata, qvæsita, deliberata, suo qvidqve loco, distinctè, & abundanter exponantur. Interim accipe summam rei, lector optime, qvæ ad salutem vehementer pertinet: universam verò Tridentini Concilii, trium Pontificum distinctam temporibus historiam eodem, cujus ad gloriam hæc omnia diriguntur, juvante DEO, propediem exspecta. Nullam enim tanti negotii partem ignorare, non modò jucundum est, verùm ad multa etiam utile, & accommodatum: qvod aliorum Conciliorum lectio declarat. Romæ. M. D. LXIV.

CLEMENTINI MONILIANO CARDINALI.

XXVIII.

ARGUMENTUM.

Clementi Moniliano Cardin. gratias agit, qvòd denuò edendum secum communicarit volumen Disputationum Theologicarum emendatum, & duobus tractatibus de Celibatu & Peccatis auctum; qvo libro cùm nihil brevius, nihil apertius esse possit, hoc nomine Ecclesia gratulatur.

Cùm tibi, Clemens Moniliane, Cardinalis amplissime, multis nominibus debeam, nullum tamen habeo tuæ benignitas argumentum illustrius, qvàm qvod ingenii, doctrinæqve tuæ thesauros, cum qvibus nihil comparo, sæpe mecum vel scriptis, vel sermone communicas. Qvis enim est ita deditus rerum humanarum studiis, itaqve falsæ voluptatis delini-

delinitus illecebris, qvem tua vox ad cœlestium bonorum contemplationem, admirationemqve non facilè convertat? Qvem tua pietas non adumbrata leviter, sed expressa moribus, dictis, scriptisqve tuis, ad veræ virtutis amorem non traducat? Qvæ cùm ipse mecum cogito, qvò nihil ad meam utilitatem facio libentiùs; ita mihi gratulor, ut ad multos, atq; etiam, si fieri possit, ad omnes eundem fructum cupiam pervenire. Caput enim illud religionis nostræ primum est, prodesse qvàm plurimis. Ad hanc nos voluntatem, & consuetudinem informavit, hâc nos erudiit disciplina magister omnium sapientissimus, æternæ salutis auctor & largitor, Christus. Itaqve, cùm volumen illud tuum Theologicarum disputationum, saluberrimis sanctissimisq; refertum documentis, anno superiore multis efflagitantibus impressum, tuaqve mox industriâ ita locupletatum, ut aliud propè videri posset, accuratè legissem; admiratus rerum præstantium copiam, varietatem, ordinem; præsertim vero duos illos, nuper additos tractatus admodum egregios, unum de Cœlibatu, alterum de Peccatis, qvibus ne optare qvidem melius qvidqvam licet; contendere à te cœpi, ut eundem librum iterum ederes, & Catholicorum pias mentes aleres cibo jucundissimo; pestiferis autem hæreticorum opinionibus, latiùs qvotidie serpentibus, pro ea facultate, qvam tibi Deus optimus maximus tribuit, obsisteres. In qvam sententiam cùm tu jam antea tuâ sponte propenderes; (nihil enim tibi est, vel fuit unqvam Sedis Apostolicæ dignitate carius, nihil animarum

communi salute antiqvius; eò spectant studia tua, eò dirigis omnes curas:) factum est, non tàm meis qvàm conjunctis multorum precibus, ut exirent denuo lucubrationes tuæ, & frueretur non modò ætas nostra, sed etiam posteritas ipsa, minimô suo labore, maximis laboribus tuis. Cùm enim tibi propositum fuerit, ea, qvæ ad vitam piè sanctèq; traducendam Christiano homini necessaria planè sunt, qvæ innumerabilibus propè libris dispersa, nec interdum satis dilucidè traduntur, in unum ita colligere, ut confusis ordinem, obscuris lumen, dubiis certam notitiam redderes: id ita consecutus es, ut hoc tuo libro, qvod ad res attinet, nihil uberius, qvod ad verba, nihil brevius, addo etiam, qvod in brevitate difficillimum est, nihil planius, apertius, communius esse possit. Qvo qvidem nomine & tibi, & Christianæ Reip. universæ tantum gratulor, qvantum res ipsa postulat: postulat autem, qvantum cogitatione vix qvisqvam comprehendere, verbis qvidem assequi nemo potest. Romæ M. D. LXV. mense Septemb.

AD ILL. ATQVE EXCELL. JACOBUM CONCOMPAGNUM IN ORATIONIS CICERONIS PRO ARCHIA POETA COMMENTARIUM.

XXIX.

ARGUMEMTUM.

Primò gratulatur sibi de Concompagni benevolentiâ. Deinde

inde excusat se, quòd tribus mensibus ipsi non adfuerit, impeditus nimiis caloribus & imbecillitate. Interim tamen se non fuisse otiosum scribit, sed explanandis Ciceronis orationibus incubuisse, ex quibus unam ipsi, videlicet illam pro Archia, hoc tempore inscribit.

Cùm mihi tuæ primùm virtutis, ac dignitatis, deinde ejus, qva me es complexus, benevolentiæ in mentem venit: (venit autem sæpissime) tibi qvidem animo ac mente pro meo erga te singulari studio, vehementer gratulor: ego autem, ùt ejus felicitatis, qvæ in hominem cadere possit, haud minimam partem assecutus, lætitiâ fruor tantâ, qvantam animus meus capere maximam potest. Rursus cùm recordor, omnibus ad te qvotidie honoris causa confluentibus, qvorum ego in te colendo atq; observando nemini concedo, me unum tribus ferè mensibus ad te non venisse: qvanqvam intermissi causas officii, ut opinor, habeo satis justas, vel calores perpetuos, qvibus majores non meminimus; vel ætatem imbecillitatemq; meam; qvarum altera qvietem postulat; altera non modò postulat, verùm etiam flagitat; peccasse tamen mihi videor, &, qvasi excusationem accusatio vincat, ita sensibus angor intimis, & in gravissimo dolore versor. Atq; hæc qvidem aliqvanto etiam acerbior cogitatio esset, nisi perspecta mihi & cognita naturæ tuæ facilitas, & singularis humanitas certam planè spem afferret, nihil mihi obesse apud te, nihil detrahere prorsus aut de amore tuo, aut de judicio absentiam meam. Qvod qvidem abs te, artium

tium optimarum à pueritia ſtudioſiſſimô, eo facilius debeo impetrare, qvia non ego, ùt alii, feriatus æſtu maximo ſum, non me languori, non inertiæ, aut deſidiæ tradidi, nec rurſus qvibusdam voluptatibus, qvæ cum ab ætate mea, tum etiam à voluntate abhorrent, operam dedi; ſed ad explanandas Ciceronis orationes ex inſtituto meo totus incubui. Qvid autem his tribus menſibus, qvibus vacationem ſibi qvandam à negotiis plerique ſumunt, ego in hoc negotii genere, omnium, ùt arbitror, nobiliſſimo, præſtiterim, cùm cuperem te intelligere, ut qvaſi rationem otii mei redderem, feci ut ad te mitterem, non qvas, à qvo die ad te veni, orationes explicavi; ne moleſta fortaſſe in magnis occupationibus, aut parùm jucunda tibi copia eſſet; (decem enim illæ omnino ſunt) ſed unam tantùm, eamq; ſatis brevem, pro Archia poëta, ſanè luculentam: in qva ſtudia illa, qvæ ab humanitate nomen acceperunt, qvibus uterq; noſtrûm mirificè delectatur, in cœlum laudibus extolluntur. Eqvidem ſpero fore, ùt qvemadmodum ego, cùm interpretabar, voluptate me perfundi maximâ ſentiebam; ſic tu, cùm & ipſam orationem & meam ſimul interpretationem leges, (ſimul enim utramqv e mitto) non minorem animo voluptatem capias. Qvod ſi ita erit, uberrimum tuliſſe me fructum induſtriæ meæ putabo: &, qvod operis ſupereſt, ad id eò fiam alacrior, qvò tibi magis, multas virtutes cùm literarum gloria conjungenti, qvàm ceteris, hæc ſtudia colentibus, placere, & probari mea ſcripta velim. Opto ut valeas, meq;, ut facis, perpetuò

petuò diligas. Ex ædibus, pridie, Calend. Octob. M. D. LXXII.

AD EUNDEM ILL. ATQVE EXC. JACOBUM BONCOMPAGNUM, IN HIPPOLYTI CAPILUPI VERSUS.

XXX.

ARGUMENTUM.

Gratulatur sibi, qvòd Romæ vivat, qvòd in Boncompagni clientelâ sit. Et licet paria officia ipsi præstare non possit, præstare tamen se dicit, qvæ possit: animadvertendo, qvid homines de ipso loqvantur, & sentiant. Cùm verò omnes ipsum laudent, ac Hippolytus Capilupus Episcopus vitæ ejus rationem versibus explicarit, versus istos nunvam antehac editos ad ipsum evolare sinit, sperans, ipsum hoc suum officium probaturum.

SÆpe mihi, clarissime ac præstantissime Jacobe, venit in mentem gratulari, qvòd Romæ sim: non qvòd urbis ornamenta, & illa, qvibus multorum oculi pascuntur, antiqvitatis miranda vestigia me capiant, qvæ tamen nunqvam contemsi; sed qvòd in ea civitate vitam agere, qvæ otio, libertate, copia rerum omnium, omni denique virtute, virtutumqve principe justitia floreat, & in qva hæc ipsa vel eadem perpetuò, vel etiam præstantiora, GREGORIO XIII. Pontif. Max, fore videantur, ita jucundum est, ut ad summam felicitatem propè nihil deesse videatur. Hæc ego mecum sæpe libenter cogito, multò etiam libentiùs, cùm illud addo, frui me benevolentiâ tuâ, esse in clientela tam illustri præ-

stantis ingenio, honore, auctoritate juvenis, ea nobilitate ornati, qvæ vera demum nobilitas est, cùm ab una virtute, summisq; erga remp. studiis, ac meritis originem ducat. Nec verò, qvæ meæ sunt partes, ne me tanto bono prorsus indignum præbeam, eas ut qvisqvam jure desideret, committo. Qvanqvam enim, dispari fortunâ, paria esse officia non possunt; gratiæ tamen referendæ facultates multæ sunt. Qvarum illa fortasse non postrema; eqvidem ea vehementer delector: tueri memoriâ beneficium; commemorare, ubi locus est: cui debemus, ejus causâ velle omnia, præstare qvæ possumus: deniqve non amore, non studio, non observantiâ deesse. Qvid illud? non ad officium pertinet, atqve adeo insigne qvoddam officii genus est, eô de homine, à qvo beneficium accepimus, qvid alii sentiant, aut loqvantur, in primis animadvertere, & eos, qvi à certo sensu, veroqve judicant, benevolentiâ complecti: qvi obtrectant, & qvibus rectè judicandi facultatem adimit invidia, ab iis animum abducere, refellere falsa, vera prædicare? Sed hæc opinionum & voluntatum dissimilitudo, qvam pauci effugiunt, in tuo statu ne accidat omnium florentissimo, tu qvidem cum aliis virtutibus, tum verò probitate, modestiâ, lenitate conseqveris. Una omnium vox, unus de tua laude sensus est. Qvò tamen qvisqve sapientior, aut eruditior, eò te magis & diligit, & laudat. Qvi cum sint multi, ex eo tamen numero vidi in primis excellere magnâ sapientia, summâ religione, moribus integerrimis Episcopum, poëtica verò laude antiqvis

tiqvis illis vatibus qvam simillimum, Hippolytum Capilupum: cujus ego consvetudine, doctissimisqve sermonibus si mihi, qvantum per ejus humanitatem licet, tantum per mea studia liceret, fruerer horis omnibus incredibili voluptate. Interdum tamen unà sumus: & qvia certamus amore erga te; ideò fit, ut eò magis inter nos amemus, atqve ille, totus ad tuam amplitudinem, & gloriam incumbens, assidua tuorum studiorum, tuarumqve laudum præcatione non contentus, cùm tuæ vitæ rationem luculentis qvoqve versibus explicasset, eosq; mihi ostendisset; in qvo humanitatem ac benevolentiam ejus agnosco, judicium, qvo præstat, fortasse possum reqvirere: admiratus doctrinæ varietatem, singulari sermonis elegantiâ conjunctam, artemqve miram cum præstanti natura ita contendentem, ut neutra alteram vincat, utraq; pariter excellat; putavi me commodè facturum, si, dum animi causâ propinqva loca ita pervagaris, ut à tuo comitatu Musas, elegantioresqve literas non disjungas, eos ipsos versus, nondum editos, & adhuc qvasi parentis in sinu commorantes, evolare ad te sinerem mittente me. Postulat enim hoc anni tempus, ut otium jucunda aliqvâ re fallatur. Qvod si ad jucunditatem fructus additur: qvid magis expetendum? at in hoc opusculo utrumqve cognosces, optimeq; perspicies: meum autem, hoc officium, ut spero, vehementer probabis. Ego interim commentarios meos in Ciceronis Orationes, biennio antè inchoatos, hyeme proxima superiore, ad exitum adductos, perpolire conor, & ita corri-

gere, ut addam multa, nonnulla detraham, pauca qvædam mutem. Res est magni sanè laboris, mihi præsertim, nunqvam intermissâ tot mensium operâ jam defatigato, ac penè confecto: sed addit vires Maxim. Pontif. egregia benignitas, meqve etiam, in præclaro munere pergentem antiqvitatis, illustrandæ, & eam, qvam suscepi, Spartam pro viribus ornantem, posteri temporis haud exiguâ spe sustentat. Vale.

In Eustratii aliorumqve Peripateticorum commentaria in libros Aristotelis ad Nicomachum PRÆFATIO, qvæ huic editioni primùm accessit.

PAULUS MANUTIUS ALDI F. GEORGIO SELVÆ, EPISCOPO VAURENSI, ET CHRISTIANISSIMI GALLORUM REGIS APUD SENATUM VENETUM LEGATO S. P. D.

QVæ disciplinæ à doctissimis viris liberales appellatæ sunt, eæ sunt sanè omnes, qvemadmodum tibi non ignotum est, Georgi clarissime, & illustres & celebres: sed, meo qvidem judicio, nulla illustrior aut celebrior, qvàm qvæ apud Græcos, ab amore sapientiæ, Philosophiæ nomen invenit. Atqve in hâc qvidem ipsâ cùm omnes partes ejusmodi sunt, ut ad rectam vivendi rationem adjumenti pluri-

plurimum afferant: tùm verò ille locus, in qvo de hominum vitâ, ac moribus disputatur, multò mihi præstantissimus, multoq; uberrimus videtur. Qvid est enim virtute præstantius? aut qvid est magis cum virtute conjunctum, vel qvid potiùs aliud ipsa virtus est, nisi ita vitam instituere, ut & iis moribus, qvi plerumqve mentem ex suâ sede & statu dimovere solent, usqveqvaqve careamus, & præter culpam nullum omninò malum judicemus? Qvid autem hoc faciliùs, qvàm ea scientia, qvæ Moralis à veteribus est dicta, præstabit? Hæc enim una, ne ab optimis atqve pulcherrimis naturæ legibus desciscamus, admonet; hæc animos nostros vitiosissimarum rerum contagione depravatos emendat, rectæ viæ ignaros erudit, præceptisq; saluberrimis ita instruit, ut facilè, qvi verus splendor à fucatâ gloriâ differat, internoscant: eademqve, postqvam humana omnia partim negligenda, partim etiam fugienda jam ostendit, tùm demùm qvasi ex obscurissimis tenebris clarissimam in lucem eductos excitat nos, atqve adeo subditis igniculis accendit, ut in summi illius veriqve ac æterni boni contemplationem, nullis jam nubibus, nullâ caligine interjectâ, nostræ mentis aciem dirigamus. Qvò minùs admirandum est, si te, Georgi ornatissime, qvi non parum temporis in hoc doctrinæ genere posuisti, ita vivere videmus, ut non modò tuæ Galliæ, sed jam etiam nostris Venetiis exemplo sis cùm eruditionis, tùm prudentiæ propè singularis. Præclarum enim atqve eximium judicamus, cùm sis plurimarum rerum, earumq; minimè levium tra-

ctatione destrictus, nunqvam tamen optimarum artium studia intermittere: rursusq; cùm in studiis nondum juventutis annos egressus opera efficias tanta, qvanta in extremâ senectute pauciſſimi, nullum officii genus, qvod ab eâ, qvam sustines, personâ exspectari qveat, prætermittere. Hæc per se magna sunt, & magnâ laude digniſſima: sed accedunt alia, qvæ te magis magisq; illustrent, eximia gravitas eximiâ comitate temperata; magni & præstantis animi laus; pudoris & modestiæ commendatio; earum rerum, qvæ à plerisq; appetuntur, contemtio; earum item cupiditas, qvæ ab imperitâ multitudine propter ignorantiam negliguntur. Adde generis claritatem, adde convictum literatiſſimorum hominum, qvorum ego tuam domum refertiſſimam semper cognovi. Adde etiam (sed hoc in maximis tuis laudibus minimum est) commoditatem illam tuam tùm in accipiendis, tùm in dimittendis, qvi te honoris causâ visunt. Ac vereor, ne hæc videar tuis auribus dare, tuamq; gratiam blanditiis & assentationibus qvibusdam aucupari. Sed mihi crede, non est hic meus unius sensus. Hæc omnes de te judicant, hæc omnes loqvuntur, hæc denique; unâ voce omnes, qvi te norunt, qvorum est maxima pro rariſſimis ingenii tui suavitatibus multitudo, hæc inqvam omnes de te prædicant. Hinc igitur factum est, ut cùm tu, tanqvam bonus auctor, iis partibus, qvæ tibi impositæ fuerant, ornatiſſimè peractis, reditum ad nos compares, universa civitas nostra ægrè, ac vix mehercule tui absentis desiderium se laturam præ se ferat. Qvòd si hæc alii fa-

lii faciunt, qvi te tantummodò propter virtutem diligunt, ceteroqvi obligati nonsunt: qvô me esse animo, qvâ in te voluntate par est? Apud qvem tua præcipua sunt merita, qvi me semper in sermonibus tuis ad paternæ consuetudinis imitationem, id est, ad studium summæ laudis amantissimè cohortatus es; qvi etiam, qvò magis literarum studia juvarentur, omnem tuam vetustissimorum exemplarium supellectilem ultrò detulisti, meq; non solùm ipse amasti, sed aliorum etiam tui similium amicitiis auxisti. In meorum verò temporibus qvalem operam præstitisti? qvàm assiduam? qvàm officiosam? ut facilè appareret, & meum dolorem dolori tibi esse, & antiqvius te nihil habere, qvam ut illa consequere reris, qvorum desiderio flagrare me videbas. Qvæ mihi omnia ita penitus in animo insederunt, nullâ ut unqvam temporis evelli neqve diuturnitate, neqve permutatione possint. Atqve utinam, qvemadmodum ego me tibi memoriâ ac pietate, qvam debeo, præstanda satis esse facturum confido, ita re ipsâ aliqvam tuorum beneficiorum partem assecuturum sperarem. Qvanqvam de hoc magis est, qvod laborem meâ causâ, qvàm tuâ. Tu enim primùm eâ fortunâ es, ut benè mereri potiùs ipse de aliis posse videaris, qvàm ullius facultate aut opibus indigere: deinde ita & naturâ & præstantissimorum philosophorum præceptis institutus es, ut liberalitatis istius, & ad benè merendum propensionis nullum aliud præmium, nisi communem bonorum benevolentiam, expectes. Qvod cùm ita sit, mihi tamen, non qvid tu à me reqviras, sed

qvid

qvid ego tibi debeam, ſpectandum eſt. Itaqve nullum prætermittam tempus commentandi, qvâ maximè ratione tuis in me vulgaribus officiis aliqvâ ſaltem ex parte reſpondere poſſim. Interim, cùm majora non poſſem, volui hos εἰς τὰ Ἀριστοτέλους ἠθικὰ νικομαχεῖα commentarios tibi dedicatos, non veluti qvidpiam egregium, ſed tanqvam levidenſe munuſculum ad te mittere. Qvid ſi amplitudine tua dignum, qvid virtuti, qvid ingenio debeatur, optimè novi; ſed idem, qvid præſtari à me poſſit, facilè video. Qvare qvoniam hæc maxima ſunt eorum, qvæ ego hoc tempore efficere & navare poſſum: erit humanitatis & prudentiæ tuæ, hoc meum officium, qvalecunq; eſt, vel potiùs qvantulumcunqve eſt, ita accipere, ut ab animi tui ſtudioſiſſimo, tibiq; jampridem deditiſſimo profectum non dubitanter exiſtimes. Ego, ne qvid eorum, qvæ ad præſtantiſſimarum virtutum tuarum admirationem attinent, prætermittam, qvàm potero diligenter, operam dabo. Venetiis. M. D. XXXVI.

APPENDIX EPISTOLARUM, AD MANUTIUM.

Epiſtola I.

E. lib. III. Epiſt. Barth. Riccii p. 48. ad Bonon.

Anno 1566,

BARTH. RICCIUS PAULO MANUTIO S.D.

Gaudet, Manutium accepiſſe conditionem ab Hippolyto Cardinale ſibi oblatam; utq; propediem adveniat, hortatur.

Eqvidem.

EQvidem, Manuti, eâ olim sententiâ fui, ut magis homines suâ prudentiâ, qvàm ullius fortunæ arbitriô regerentur. Qvam etiam meam sententiam suis validissimis rationibus in meis libris de Gloriâ satis tueri videbar; nunc verò totus hæreo, ac parum abest, qvin ab eâ sententia discedens, à me ipso ad eos, qvi contrà sentiunt, palàm fiam transfuga. Nam cùm jam sæpius ante omnes amici tui, iiqve principes interdum viri in hanc curam studiosissimè incumberent, ut Ferrariæ commodè atqve cum aliqvâ dignitate agere posses: nihil tamen suo studio atq; auctoritate proficere unqvam potuere. Superiori verò æstate, cùm Bononienses ut te secum haberent, omnem honestam conditionem tibi proponerent, ego & Pigna intereà omnia tentavimus, ut te illis interciperemus. Planè enim scis, cùm hac Venetias rediens transires, te biduum nobiscum moratum, qvo tempore, ut perpetuò esse posset, omnia nostra consilia contulimus: qvæ ita tu probasti, ut si à Principe Hercule honesta aliqva conditio tibi afferretur, tùm rem facilè absolvi posse diceres: Is eam affert æqvissimam: tempus postulas ad deliberandum: datur: discedis: res posteà multos dies per literas ultrò citroq; missas tractatur, neq; tamen qvicqvam perficitur, utrum an in decernendo, utram acciperes, (ne qvid de Romanâ ac Papiensi dicam,) non satis constituebas? Ita sensim res tota posteà refrixit, atq; agi est desita. Ecce autem tibi, atqve etiam alia omnia agenti, qvi te tantùm nomine cognoverat, ad te adit, atqve ita tecum agit, ut non priùs discederet, qvàm te Hippolyto Atestio Cardi-

Cardinali ſuo ampliſſimo familiarem efficeret, at qvâ familiaritate? qvâ illi cum ceteris nobilioribus conviva eſſes: cui honori CCC. etiam ſunt addita. Qvâ unâ magnificâ conditione ſi non perpetuò Ferrariæ, ubi is nunc jam longum tempus agit, certè magnam temporis partem es commoraturus. Ecqvid ais Manutii? num ita eſt? Cedant, inqvit ille, arma togæ. Ego verò inqvam, Cedant conſilia fato. Ita enim ab initio erat in mente illâ conſtitutum, ut hâc ratione atqve hoc tempore Ferrariam cum familiâ commigrares, nos verò tui omnia fruſtrà experiremur. Cui iſti tuo tamen fato multum eqvidem debeo, qvòd fatalem meum diem anteceſſit, qvi in meâ ſenectute veterem conſvetudinem renovare potero, cujus etiam recordatione videor qvodammodò annos qvoqve renovaſſe. Sed Dii iſti peſtilentiæ omnia mala dent, qvæ te nobis tot menſes intercepit. Nunc verò, cùm ea ita ſe remiſit, ut omnes, qvi cum fide publica iſtinc diſcedunt, à ceteris civitatibus accipiantur: qvid ſtas? qvid te ampliùs remoratur? At oculi, inqvies, parum etiam lippiunt. At mihi crede, ut caliginoſum iſtud cœlum reliqveris, ac in Pado noſtro ſemel eos laveris, omnem in perpetuum tibi lippitudinem abſterſeris, neqve tibi unqvam poſteà dolebunt. Si igitur cetera parata ſunt, continuò navem conſcendas; ſi verò conſcenderis, vela fac; ſi ea feciſti, remis etiam incumbe, ut primo qvoqve tempore tuis familiaribus tui deſiderium expleas. Te Ceſanius vir optimus, qvi de te optimè & ſentit, & loqvitur, qvemqve tu omnium plurimi facis, cupidè expectat: & Locatellius, Philoſophiæ, Juris

Juris Civilis Catius, Cananius verò medendi artis haud imperiti viri, Familiæ item gubernator, qviq; à secretis est, horam illam non vident, qvâ te fraternè amplexentur. Extrà autem familiam vestram Pigna & Riccius pro tuo adventu etiam vota faciunt, qvibus tu, contrà item qvi te, postea peramicè perfruentur. Sylvius Antonianius nobis accedit, mirificus adolescens, qvi de unâqvaqve re, qvæ ei subitò proposita sit ad dicendum, Ethrusco versu, idq; ad lyram, optimè canit. Sed hoc ad vulgi aures. Tuis autem doctissimis in Latinis etiam non minus satisfaciet, qvi tui videndi summo exardet desiderio. Vale. Ferrariæ VI. Cal. Dec. M.D.LVI.

**Respondet Manutius lib. II. Epist. 5.* Vera narras.

Epist. II.

ex Epistolis Clarorum virorum p. 82. ed. Colon. A. 1582.

BENEDICTUS RHAMBERTUS PAULO MANUTIO S.

Respondet Manutio ad lib. II. Epist. 11. Suadebam, ut exires. *Promittit, se consilium ejus in sua invaletudine secuturum: cur tamen ad hilaritatem dare se non possit, causas exponit: de cetero meliora sperat.*

EGo verò & eò à vobis animo discessi, ut hîc non aliter viverem, qvàm in urbe consueveram, & qvoniam idem à te probari intelligo, seqvar consilium tuum, qvod non ab amore modò profectum est, qvô me mirificè proseqveris, sed etiam ab eo usu, qvi te qvondam istiusmodi penè morbo laborantem à corporis imbecillitate ad integram valetudinem

nem perduxit. Itaq; invitatu etiam tuo consuetudinem parcè moderateqve vivendi meam tenebo, qvotidieqve, ut præcipis, exercitatione modicâ utar: atq; in eo mihi satis, ùt in malis, lucri feciſſe videbor, qvòd ex istâ medicorum, qvasi lanionum, turbâ vivus effugerim. At inqvis, nihil agis, nisi jucundè vivas. O mi Manuti, qvàm tu mihi omnium hominum cantilenam recinis? & qvis est, oro te, qvi non idem præcipiat? Facilè cum valemus, omnes recta consilia ægrotis damus. Eqvidem cùm ex longa capitis imbecillitate perpetuò laborem, cumq; semper aliqvis in stomachum, qvia langvens ac putidus est, incurset dolor, qvî possum esse non tristis? Vel qvia est, qvod doleat, vel qvia earum rerum careo delectatione, qvibus abundant alii. Otio fruor inertissimo, sine libris, ab omnibus negotiis non voluntate liber, sed odiosa necessitate coactus: qvin etiam, qvo homini gravius accidere nihil potest, à mente ita deseror interdum, ut nec audire diutiùs loqventem qvempiam; nec ego alloqvi alios pro voluntate, nec planè ad ullas meas cogitationes aciem ingenii possim intendere. Qvod verum esse, si qvantum hæ literæ hallucinentur, advertes, facilè cognosces. Hic tamen tu me ad animi tranqvillitatem atq; etiam hilaritatem vocas. At vide, qvi sim. Ego, si perpetuam corporis invaletudinem moderate ferre, qvin etiam mortẽ ipsam, veluti Tantalo Saxum capiti meo semper impendentem sine ullâ trepidatione conspicere, non modò tranqvilli, sed etiam fortis animi est, tranqvillissime vivo. Sed istam hilaritatem, qvæ verbo magis, qvàm re per-

re percipi potest, nunqvam degustavi, neq; ulla mihi spes ostenditur fore, ut ad eam aliqvando perveniam. Non enim ego, ùt multi, voluptatem aliqvam possum à ludis & à lascivià petere, qvam statim pœnitentiæ dolor consequitur; nec in ambitione aut copiis jucunditatem animi reponere, qvas qvidam ut consequantur, insaniunt, & assecutas ne amittant, semper reformidant. Vellem ut Deus, cui visum est in tam viridi planeq; florenti ætate mihi corporis vires adimere, unum hoc mihi largiretur, ut animus meus ab omni aliâ cura solutus ac liber in illius unius amore conqviesceret: tunc ego qvidem non modo jucundè, sed planè etiam feliciter in perdita mea, propeq; desperata valetudine viverem, omniumq; fortunas facilè superarem. Qvod mihi ut aliqvando contingat, non despero: interim viam meditor, qvæ munitissima sit, & maximè certa. Ad qvam tu inveniendam, si qvod artificium tenes, doce me. Dedi satis Reip. dedi privatis occupationibus, & amicorum temporibus satis: corporis qvoq; curationibus tantum dedi, qvantum humanâ ratione provideri atq; consilio potuit, neq; qvò minus convaluerim, ulla mea culpa contractum est. Omnia sensi esse falsâ in spe atqve fallaci posita. Igitur à Deo petenda salus & qvies est. Ad qvem, ô mi Manuti, qvid est, cur nos non omni festinatione properemus? Vale.

III. Cal. Octob. M. D. XLIV. ex Rosario meo.

Epist. III.

Ex Epist. Claror. Viror. p. 230.

JULIUS POGIANUS PAULO MANUTIO S. D.

Occasionem Epistolæ hujus & argumentum paulò altiùs repetere libet. Cùm Anno 1559. post obitum Pauli IV. de novo Pontifice deliberaretur, Venetorum Legato Aloysio Mocenico itineris Romani comitem adjunxit se Octavianus quoq; Magius. Qui cùm Venetiis discedens valedicere amicissimo Manutio, quòd occupationes hoc vetarent, non potuisset, mox ubi Romam pervenit, illi se per literas excusat. Rescribit illi Manutius eâ Epistolâ, quæ libri II. legitur ultima: Profectò nihil, *& his verbis clauditur:* Vale & salutem dic meo nomine exqvisitæ eloqventiæ viro Julio Pogiano, cujus tibi amicitiam & consuetudinem valdè gratulor. *Sequentis anni mense, ut apparet, Majo exeunte, Româ discessit Legatus Venetus, atq; sic & Octavianus Magius Venetias est reversus. Illi reditum istum gratulatur Pogianus non tàm patriæ ac parentum causâ, quos reviserit; nec dignitatis, cujus in absentem à Decemvirali Venetorum consilio collatæ (de qvâ testari possunt Epistolæ gratulatoriæ, Jo. Bapt. Rosarii una, Petri Justiniani altera p. 234. & 239. Epist. Cl. Vir.) fructus se jam exerat; qvàm qvod frui denuò posset consuetudine Pauli Manutii. Qvem tàm exqvisito decorat encomio, ut dignum habuerimus, qvod agmen duceret elogiorum eloqventiæ Manutianæ. Ipsam totam Pogiani Epistolam ex-*

lam exhibent Epistolæ Clar. vir. p. 226. seq. cujus in fine ut pro Julio mense Junium rescribamus, responsoria facit Magii, quæ sequitur p. 240. Quâ ex responsione hoc amplius intelligas. continere se Magium non potuisse, quin ex Orationibus Pogiani, quas hic invitâ se descriptas ut premeret, ipsum rogaverat, illam, quam Rhodiorum Equitum nomine exaraverat, Manutio aliisq; ostenderet, quibus ea mirificè placuit.

Manutio verò, ubi & laudes, quibus eum affecisset Pogianus, cognovit, subnata causa est scribendi ad Pogianum eas literas, quæ lib. V. n. 9. incipiunt: Qvàm libenter & qvàm sæpè, *quibus ad illas Pogiani laudes modestè respondet, casq; in ipsum, facta & orationis pro Equitibm Rhodiis mentione, rejicit. Huic ergò Epistolæ jam respondet Pogianus, Manutioq; mutuam reddit modestiam ac civilitatem. Hoc addo, perperam in editione, qva utimur, Colonienſi inscriptas esse literas Octaviano Magio, cùm Paulo Manutio deberent. Res ipsa clarior est, qvàm ut verba sint multa profundenda.*

DEbebam tibi anteà plurimùm pro mentione, qvam de me in tuis ad ornatissimum adolescentem Octavianum Magium literis honorificentissimè feceras. Qvâ in re qvanqvam intelligebam, te non tàm judicii tui testimonium mihi dedisse, qvàm amoris in ipsum Magium, cujus opinione tibi tantopere fuissem commendatus: tamen qvia videbam fore, ut magis, qvam mihi tribuisses laudem, qvàm laudis causam multi spectarent, tanto tuo beneficio devinctus, maximas tibi habebam gratias, & agebam apud omnes; tibi verò ipsi hoc

literarum officium propterea minùs reddebam, qvòd verebar, ne hujusmodi significatione grati animi mei tuam de me sententiam condemnarem. Sed victa est illa ratio abundantiâ qvâdam tàm Magii humanitatis, tàm benignitatis tuæ. Nam ille ambitione lapsus in me prodidit infantiam meam, [*ostendendâ videlicet oratione Pogiani pro Equitibus Rhodiis ad Pontificem habitâ*) qvam tu non solùm gratiæ, sed constantiæ tuæ causâ disertissimis ad me literis eloqventiam mihi videri vis: qvæ si esset, næ ego illam in te remunerando, qvi in me ornando vel tuis laudibus es diligentissimus, libenter exprome-rem. Neqve v. latior aut gratior campus esse pos-set, in qvem meliùs vim orationis incitarem. Sed qlanè deprehensus sum, ut mihi jam non sit integrum, alterutrum crimen effugere, vel hoc ipsum infantiæ, vel inhumanitatis. Non rescribam tibi ad humanissimam & elegantissimam epistolam? Qvid hominis sim, si hanc officii vicissitudinem neglexero? Respondeam? qvis præstabit, me in vulgari hac meâ scribendi consuetudine à te, si minùs aperto crimine, at saltem tacitâ existimatione reprehensum non iri? præsertim cùm, si qvid adhuc à me scriptum legeris, id vel tempore vel insciente me factum esse, possit excusari; in hâc epistolâ fortasse nullus est excusationi locus. Sed officium sit antiqvissimum, & χάλκεα χρυσείων, qvæ qvoniam tu & liberaliter æstimas, & amicè verbis extollis, qvanti sint, idem tu videris: nam mihi majori curæ est, qvemadmodum, qva possum re, gratus erga te videar, qvàm qvemadmodum, qva esse debeam, judi-

judicer, cùm non possim. Vestra est ista paucorum, vel tua potiùs unius facultas, veterem in scribendo laudem hoc seculo referendi. Quod utrum naturæ dono consecutus sis, an studio & industriâ tua, an utroq; neutram in partem necesse habeo disputare. Illud qvidem certè neqveo silentio præterire, ingenium ac diligentiam, qvæ vix agnoscere videtur pudor tuus, mirandum in modum elucere in tuis literis; illis verò impedimentis & incommodis, qvæ commemoras, cumulari etiam tuam gloriam. Qvi si tot tantisqve affectus difficultatibus cò perveniſti, qvò nostrâ memoriâ nemo eorum, qvi omnibus studiorum adjumentis instructi fuerint, aspiravit: & qvò te altiùs summa discendi facultas provehere potuit? Illustrarunt igitur, mihi crede, te rerum asperitates, qvas cùm & fortiter tuleris, & luculenter enumeres, qvamvis modestiâ virtutem & eloqventiam tuam extenues, re tamen eminent & apparent. Ac meos qvidem ferit oculos decus istuc tuiqve lumen ingenii, sic ut admirari satis tua scripta non possim, tantum abest, ut assequar imitando. Nec verò sentio, qvî me, non omninò languentem otio, aut qvando etiam ita vis, non tardum ingenio, magnopere in studio unqvam adjuvet cœli aut loci hujus opportunitas; contrà potiùs, qvantum mihi Roma obfuerit, intelligo. Nam cuicunqve hîc operam dederim, ea adhuc officii conditione dedi, ut ejus, apud qvem essem, non meô arbitriô & studere & scribere cogerer. Qværis, qvæ sit hâc in urbe ratio scriptionis & lectionis meæ? Horrida, inculta, & planè dissimilis ejus artis, in-

qvâ ipſe ſingulari honore verſaris. Qvin etiam cœlum hoc, cujus affectio, te olim incolâ hujus urbis, eloqventiam nobis ingenerabat, neſcio qvomodo eſt immutatum, & vim illam ſuam dimiſit. Ne ſummorum qvidem virorum imagines conſuetudinem ſervant in admonendo ſuam; prorſus mutæ ſunt, ut aliis qvibusdam loqventibus modò imaginibus, ſilentio gratificari videantur. Reliqvi ſunt Guilielmus Sirletus, & Octavius Pantagathus, duo eruditiſſimi ac ſanctiſſimi viri, qvos ſi, qvod mihi eſſet optatiſſimum, qvanqvam mihi facultatem eorum concedit humanitas, freqvens poſſem convenire, non meæ me fortunæ pœniteret. Sed tanti, tamq; propinqvi boni fructum neceſſaria aſſiduitas operæ meæ capere non ſinit. Ita mecum actum eſt & agitur incommodiùs, qvi cùm præclara alia multa Romæ cum multis deſidero, tùm iſtam ornatè dicentem, non ſolùm purè loqventem, prudentiam, cujus cupiditate fui incenſus à puero, in his ejus ſedibus dolenter interdum reqviro cum paucis, ac luſtratis animo terris omnibus, in anis ferè tuis ædibus, id eſt, in ſcriptis, concluſam Romanæ orationis dignitatem & amo & admiror. Neq; verò aut ego te, ſi perinde, ut meritus es, laudare non qveo, verè laudare non debeo, aut tu de tuis ornamentis exiſtimare debes ex tuâ verecundiâ, non ex communi omnium propè ſententiâ. Qvod ſi durior es in tuâ laude, cur indulgentior es in meam? Qvi me alterum penè te fingis & pingis artis tuæ coloribus. Verùm iſta eſt ſapientia, ſummâ in te religione cum pari in me benignitate adæqvandâ, ferre palmam univer-

universæ virtutis. Qvò me magis à te impetraturum confido, ut si, qvod vereor, his literis multum de judicio tuo detractum est, de amore, qvo elatus tantùm mihi præconium tribuisti, nihil imminuas. Nam etsi judicium maximi, tamen qvia id amoris est, qvô, si ejus existimationis cupidus sim, aliorum de me sustineri possit opinio, pluris facio perpetuitatem propensi in me animi tui: cui si minùs ceteris rebus, voluntate certè respondebo. A Panthagatho & Sirleto, utroq; prædicatore laudum tuarum, tibi salutem plurimam refero. Vale Pridie Cal. Jul. M.D.LX.

Epist. IV.

E libro I. Epistolarum Sacrati p. 25. ed. Colon. A. 1583.

PAULUS SACRATUS PAULO MANUTIO ELOQVENTISSIMO VIRO, VENETIAS.

Prima hæc est Epistolarum Sacrati ad Manutium, qvâ ipse cum eo auspicatur amicitiam, honestis utriusqve de altero judiciis, Josephi q. Fasinardi & Jo. Bapt. Saracii de Manutio sermonibus fundatam.

QVantam ex Josephi Fasinardi nostri adventu, præstantissime Paule, voluptatem ceperim, præsertim qvòd is nuncium mihi jucundissimum optatissimumq; attulit, optimâ nunc te atqve integrâ valetudine esse, tute ipse existimare potes, qvem jam optimè sensus meos nosse, ac meum in

te singulare studium summamq; observantiam perspexisse non dubito. Qvæ autem fuerit nostra inter nos collocutio, tametsi tu qvoqve divino illo ingenio tuo longè providere potuisti, tamen videntur etiam aliqvæ meæ partes. Qvòd si novo tecum, ac mihi jam diu inusitato sermonis genere agere videbor, unum hoc cogita, Josephum, cui multum tribuo, scribendi alacritatem mihi addidisse. Ac, Paule doctissime, laudes tuas non attingam. Qvæ enim vis orationis in me est, qvi parum ingenio possum, ut ad dicendum de virtute tuâ aggredi audeam? Nam cùm tanta sit nominis tui celebritas, ac tàm illustris & conspicua tuæ singularis doctrinæ atq; eloqventiæ laus, totiusq; orbis terræ judicio jam comprobata, atq; eo maximè, qvòd Romanam eloqventiam tanqvam ab exilio revocaveris, ac pristino nitori suo tu unus restitueris, nonne ineptus meritò judicer, si hæc literis persequi velim, ac præclarissimæ luci tenebras offundere? Qvare ne in eos me laqveos induam, à qvibus vix tu unus eloqventiæ pater expedire te posses, mittam de te dicere. Qvæ verò meâ interesse puto, ea commemorabo: neqve enim causam, cur tanto Josephum exceperim gaudio, prætermittere fas est. Nam cùm unà essemus, atq; Jo. Baptistæ Saracii eximii viri, tuiq; studiosissimi ad curiam expectaremus adventum, ut mandata tua diligenter curaremus, multa ille primùm de negotiis tuis, & qvo etiam pvcto vitam factis traducas egregiis, eleganter narravit, qvæ me valdè oblectarunt. Deinde in eum sermonem incidit, ut diceret, te honorificam de me sæpè mentio-

mentionem facere. Qvæ ejus oratio tantâ (ut ingenuè fatear) me lætitiâ affecit, ut nimio gaudio mei penè oblitus essem. Ac qvidem, cùm in me nihil esse penitus agnoscam, qvod vvluntates alienas ergà me alicere possit; me tamen in ore tanti viri, qvem præ ceteris valdè suspicio, cuiq; neminem antepono, qvòd non mediocrem animi sinceritatem cum doctrinâ & eloqventiâ admirabili conjunxerit, versari, tantopere cùmaffirmet ipse Josephus, nonne est, cur mihi vehementer gaudeam? Sed tamen, qvòd mei memoriam teneas, Paule humanissime, totum hoc tuos esse ac tuæ incredibili humanitati ascribendum nemo dubitat. Qvòd verò te admodùm admirer, tua excellens virtus me jamdudum provocat. Deniq; qvòd me tibi perpetuò devinctum fore polliciar, tua in me innumerabilia maximaqve officia vehementer postulant. Qvare perge, qvæso, tuâ me benevolentiâ complecti, patereqve me in eorum numero esse apud te, qvi tuæ singulari virtuti plurimùm favent maximeqve addicti sunt. Me enim tibi deditissimum, atqve ad omnia, qvæ ad tuam dignitaten & commodum pertinere arbitrabor, alioqvi paratissimum, reddes etiam alacriorem. Interim non intermittam Deum optimum maximum precari, ut te nobis pro divinâ suâ benignitate incolumem diu servare velit, qvò clarissima ingenii tui monumenta non solùm amicis, sed omnibus etiam exteris nationibus degustare liceat. Vale ætatis nostræ decus, atq; Aldo verè imagini tuæ, nec non eruditissimo Morando nostro multam meo nomine salu-

tem

tem imperti. Ferrariæ IV. Cal. Maj. M.D.LXI
* *Respondet Manutii lib. V. Epist. 29.* Solet interdum.

Epistola V.

Ex eodem libro I. Epistolarum Sacrati p. 30.

PAULUS SACRATUS PAULO MANUTIO, VENETIAS.

Respondet Manutianæ modò dictæ, coaluisse amicitiam gaudet, laudes modestè recusat, in amore constantiam pollicetur.

OSvavissimam, ac mihi inexpectatam divinam Epistolam tuam! Qvanto exultaverim gaudio, cùm mihi reddita est, ex hoc conjecturam facere potes, qvòd amicos meos tui studiosissimos voluptatis meæ continuò feci participes. Qvi cùm eam legerent, mihi magnopere gratulabantur, qvòd me tàm facilè in amicitiam tuam insinuassem: incredibilem verò humanitatem & comitatem tuam admirabantur, qvòd tu me libenter recepisses. Ac mirum cui videri non debeat, summum illum virum Paulum Manutium, gravitatis interim oblitum suæ, ad tantam demissionem delabi potuisse, ut me vix dignum, qvem interdum nominet, sibi tanto studio fovendum susceperit, ut etiam immortalitati clarissimis scriptis suis tradere voluerit? Mihi verò novum hoc minimè accidit, qvippe qvi te eâ naturâ animiq; magnitudine præditum esse jam perspexerim, ut à qvibus te ex animo coli judices, eos ita ames, itaq; amplectare, ut non solùm benevolentiâ tuâ dignos, sed etiam lucubrationibus

tuis

tuis illustres reddas: deniq; te talem esse agnoverim, ut nemini, qvi paululum aliqvid de politioribus literis degustaverit, jucundissimam consvetudinem tuam claudas. Qvòd vero iis me laudibus ornas, Paule optime ac præstantissime, qvas in me nullas penitus agnosco, nec unqvam mihi arrogabo, ut ullæ mihi debeantur, cùm nullum ingenii atq; virtutis specimen dederim, qvod magnæ tuæ de me opinioni respondere possit: vide, ne, dum amori nimium tribuis, de gravissimo a cubtilissimo tuo judicio multum deroges. Nemo enim non videt, te pro tuo in me studio eò progressum esse, ut qvem me esse velles, admirabili tuâ eloqventiâ descripseris. Qvæ qvidem tuæ non mediocris erga me voluntatis significatio non planè effecit, ut ad summam meam in te observantiam aliqvid accedat, qvæ jam cumulata est, sed ut in hâc qvotidie cogitatione versèr, qvomodo celeberrimum nomen tuum gratissimo animo proseqvar. Qvod cum fecero, ne minimam qvidem tuorum in me officiorum partem assèqvi me posse confido. Qvod reliqvum est, cùm pro tuis singularibus in me studiis non referre qvidem gratiam tibi, sed cogitare vix possim, immortales tamen tibi gratias ago, polliceorq; me tui in me amoris, cujus signum elegantissimâ epistolâ tuâ non exiguum nunc dedisti, memoriam perpetuò conservaturum ita recentem, ut te tot in me beneficia contulisse qvotidie magis delectet, nedum ullo unqvam tempore pœniteat. Vale. Ferrariæ III. Non. Maji M. D. LXI.

Epistola

Epistola VI.

Ex Epistolis Clarorum virorum p. 255.

NICASIUS CASLETANUS PAULO MANUTIO S. D.

Respondet Manutio ad lib. VI. Epist. 12 Patavium te veniſſe. *Ac primum de valetudine ejus gaudet: deinde ſuis de ſtudiis ac doctoribus Patavinis narrat: tándem curaturum ſe diligenter, qvæ rogaverat Manutius, promittit.*

Cùm cetera in literis tuis mihi jucunda acciderunt, tùm velim credas, præcipuam me ex eâ parte voluptatem cepiſſe, qvâ te commodiore uti valetudine ſignificabant. Non enim erat ferendum, ad qvem morbus & omninò ulla incommodatio vel à naturâ vel à rebus externis accedere nunqvam debeat, eum qvotidianus languoribus confici, & divini illius ingenii curſum doctrinæq; viu corporis imbecillitate retardari. Itaqve Romanum cœlum repentè factum eſſc ſalubre, qvanqvam immortaliter gaudeo, non tamen ſanè miror. Amat enim te, tibiq; aſſentatur, ùt debet, & ſe ad ejus hoſpitis commodum voluntatemqve convertit, à qvo Romani ſermonis elegantiam, Latinumq; Atticiſimum longo intervallo reſtitutum, & in patriam velut ab exilio revocatum videt. In qvo refert tibi qvidem Roma gratias pro magnis ornamentis, qvæ recipit ab induſtriâ ſtudioqve tuo: Sed tacita hortatur tamen, ut ea pergas ex te promere, qvæ & juvent alios, & ſe atqve adeò ipſum te laudi-

bus

bus illustrent. Nos hic ut in philosophiâ oblitâ Arabibus & omni barbarie miserandum in modum deformatâ ita versamur, & ejus nativam illam speciem, cujus potiundæ desiderium me inde usque à Pannoniâ exciverat, tenuiter aspicere vix possumus, Cum Pinello, Sigonio, Sophiano, tui studiosissimis, multus sum: qvorum mihi familiaritas non modò propter summam hominum humanitatem jucunda est, sed etiam propter egregiam fructuosa. Publicis interpretationibus parùm adjuvor, & eâ re omnem discendi spem in talium virorum consuetudine colloqviisqve positam habeo. Qvibus si tu unus interesses (existimes licet, qvod lubet,) omnes omnium opes & honorum vocabula præ hâc conjunctione contemnerem. Qvòd scribis, te certiorem velle fieri, qvo utar in philosophiâ doctore, & simul qvid de qvoqve sentiam, alterum in promptu est, alterum mihi difficile adjudicandum. Genuæ hôc minùs sum deditus, qvod illi dentium paucitas explanatam vocum expressionem ademit. De reliqvis do operam Francisco Picolhomineo, docto homini & industrio, qvi tertium librum Aristotelis de animâ interpretatur. Sunt aliqvi permulti, qvi se philosophos esse volunt, neq; ii, ut arbitror, tibi ignoti. Sed omnium una ratio est. In Averroem, & id genus sordidis scriptoribus explanandis plus temporis ponunt & operæ, qvàm ipso Aristotele, cujus doctrinam in omni philosophiâ inprimis cognoscere cupiebam. Congruit enim meus sensus cum tuo: neq; verborum scientiam probo, qvæ à prudentiâ sejuncta sit; neqve rerum intelliger-

telligentiam sine orationis facultate in rebus magnopere expetendis numerandam puto. Nam si alterutram rationem sequaris, vel turpiter mutus, vel inaniter loquax existas necesse est: quorum utrumq; ab eruditione, quam quærimus, quæ verè proprieq; dicitur, plurimum distat. Quare Patavii, ut in negligentiâ Magistrorum, (non enim audeo dicere imperitiâ) in veris & incorruptis philosophiæ fontibus aperiendis sum non libenter; ut in copiâ eruditorum, quorum privatis sermonibus tùm ad philosophiam, tùm ad omnem liberalem disciplinam instituti possum, non invitus. De tempore, quamdiu hîc futurus sim, nihil habeo certi quod scribam: illud certum, nusquam pedem insciente te. Quàm sis occupatus, etiamsi tu nullus scribas, existimare ipse possum: itaque tarditatem tuarum literarum non modò tuis occupasionibus condono, sed habeo etiam gratiam, quòd de summis curis & laboribus tuis ad me scribendi tempus eripias: nam hoc profectò, tametsi in scribendo es divinus, & propè singularis, tamen nisi me valdè amares, nunquam faceres. Æmilium nostrum jam diu Patavium venisse, omnibus fortunæ & virtutis bonis ornatissimi viri Joannis Vincentii Pinelli literæ tibi declararunt: quanquam erat verius, de illius adventu te ex illo ipso cognoscere. De quo quæ ad me scribis, & curabo diligenter, & tibi non solùm illius, sed etiam meo nomine ago gratias, quòd omnia in Epistola tua humanissimè colligis, quæ ad minuendam ejus indiligentiæ reprehensionem pertinent. Pinellus & Sophianus, amatores & laudato-

datores tui, Stanislaus item Fogelvedrius tibi salutem dicunt. Vale. Patavi, Calend. April. M. D. LXII.

Epistola VII.

Ex libro I. Epistolarum Sacrati p. 34.

PAULUS SACRATUS PAULO MANUTIO. ROMAM.

Excusat raritatem literarum Suspitionem negligentiæ â se amolitur. De qvibusdam ad rem famliarem attinentibus edecet. Ut rescribat, petit.

RAras ad te jam pridem dedi literas, præstantissime Paule, nihil enim potissimùm habebam, qvod scriberem. Crebriores tamen ad te misissem, nisi essem veritus, ne tibi molestus essem, qvem multis ac gravissimis occupationibus districtum esse non dubitabam. Nunc verò his te literis salutare volui, ex qvibus etiam perspicias me vederi, ne in suspicionem tibi negligentiæ venerim. Nam in cogitationem tuam forte cadere potest, meâ eulpâ accidisse, qvòd à conductore solutio differatur, cum tu jamdudum mihi mandaveris, ut eum de suo officio admonerem. Qvæ te causa si adduceret, ut animum à me tuum abalienares, (qvod Deus opt. max. avertat! non enim summa tua humanitas hoc patitur,) citò Carpos accurrerem, ut cùm utrumqve nostrûm hâc curâ liberâssem, tecum in gratiam redirem. Sed pestilentiæ suspicio, qvæ in hisce locis tanta est, ut nemo nisi fide publicâ aut testimonio optimè munitus, in civitatem admit-

admittatur ullam, eum forte deterruit, ne se inviam daret, aut detinuit valetudo. Non enim dubito, qvin meæ ad illum literæ pervenerint, cùm certis hominibus eas commiserim. Qvare si falsam aliqvam de me opinionem imbibisti, ut eam deponere velis, magnopere te rogo: maximâ enim injuriâ amicitiam nostram tot jam officiis ab utroqve nostrûm cultam afficeres. Qvod ad venditionem agrorum attinet, nihil est qvod speras: populi enim ii, grandine sæpe de cœlo cadente jactati, vix ea, qvæ suppeditent ad victum & vestitum, parare possunt, nedum de emptione cogitent. Præterea fundus ille eo in loco situs est, qvò rarissimè mercatores commeant, ut nisi divina sors aliqvem nobis dederit, qvicum contrahamus, ex sententiâ nihil conficere valeamns. Hanc tamen curam nunqvam, mi Paule abjiciam, immò in eam assiduè incumbam, ut nullum à me officium hominis amicissimi tibiqve deditissimi desideres. Qvod reliqvum est, vehementer abs te peto, ut me svavissimis literis tuis recreare non graveris. Non enim conqviescet animus, donec de tuo in me amore nihil detractum esse cognovero. Vale mi præstantissime Paule, meq; amare non desine.

* *Respondet Manutius lib. VI. Epist, ult.* Malè sentis de utroqve.

Epistо-

Epistola VIII.

Ex Epistolis Clarorum Virorum p. 237:

CAMILLUS PALÆOTTUS PAULO MANUTIO S.

Respondet Manutio ad lib. VII. Epist. 2. Cardinalem habes fratrem: *quâ ipsi gratulatus erat de fratre Cardinali receos creato.*

QVas ad me nuper de recenti fratris mei dignita temisisti literas, ejusmodi sanè fuerunr, ut nec iis respondere, nec satis etiam eas laudare possim. Silendum ergo? Atqvi, cùm omnibus, qvi ad me de ea re scripserunt, responderim, Manutio nihil? Qvid si rusticus ei viderer, aut superbiæ crimen mihi objiceret? Qvid si nullas ad me ille posthac? Talisnè mihi sit facienda jactura? cùm præsertim tanti eas facere soleam, ut aliorum qvoqve thesauris facilè anteponam. Eqvidem de fraterno honore non mediocrem adhuc fructum percepisse mihi videor, cùm ad me jam has tàm luculentas, tàm graves, tàm elegantes dederis, qvæ testes cùm tui singularis ergâ nos amoris, tùm etiam judicii perpetuò exstabunt. Verùm illud unum est, qvod abs te nunc velim, ut ipsemet illis respondeas. Nemo omnium est, qvi te uno meliùs aut faciliùs hoc facere possit. Qvid enim tibi polliceàr, cui satis ne verbis qvidem facere possum? Tu de secundis nostris rebus tibi plurimum gratulari debes: nosti namqve illud; amicorum omnia esse communia. Tu si qva virtuti habenda est gratia, solus omnium

eam commendare, aut etiam qvòd præclarè cum ea agatur, lætari, qvi eam assiduè in oculis fers, atqve tantos ac tàm admirabiles in eâ progressus fecisti, ut sola ipsa immortalitas par sit tuæ futuræ laudi. Tu pro singulari tuâ prudentia ac rerum usu non secus de futuris divinare, ac de præsentibus rebus judicare; tu teniqve de hâc fratris mei honoris accessione, de me, de rebus meis omnibus æqvè tibi ac de tuis liberè potes polliceri. Qvæ cum ita sint, dabis spero veniam, si ad illa epistolæ tuæ capita nihil respondero, totumq; hoc onus in te ipsum libens rejecero: studio qvidem, officio, fide, ac mutuâ benevolentiâ prolixè tibi semper satisfacere conabor. Vale. Bononiæ. V. Id. April M. D. LXV.

Epistola IX.

Ex Epist. Claror. Vir. p. 283.

ZERBINUS RITIUS PAULO MANUTIO S.

Respondet Manutio ad lib. VII. Epist. 19. Qvantum mihi: *qva reditum in patriam ipsi gratulatus, eumq; adperagendum iter laudis cohortatus, obitum Perpiniani narraverat.*

Literæ, qvas proximè à te, doctissime Paule, accepi, magnâ me lætitiâ affecêre, cùm qvòd gratulatio hæc tua de expectatione, qvam apud cives meos tuâ causâ concitavi, mirabili cum benevolentiâ connexa esse videatur: tùm etiam, qvòd ea præcipis, qvæ non solùm ab optimo animo, verùm etiam à summa virtute summoqve ingenio expectanda

da sunt. Nitar igitur, mi Paule, si non omni ex parte, (nam hoc qvidem posse neminem intelligo,) aliqvâ tamen, me tuâ dignum præceptione & doctrinâ præstem. Magnum enim est, laudari, ût Hector volebat, à laudato viro: ac præclarum, in patriâ ab iis, qvi verâ laude digni sunt. Veniens lætus ad extremam tuæ elegantissimæ epistolæ partem, legi illud verbum, *luctu*: (legendum videtur, *lacrymis*. Nam sic est in Manutianâ: *nec sine gemitu & lacrymis*:) qvid adhuc mihi doloris esset allaturum, nesciebam; & cùm verba ipsa ingentem calamitatem præ se ferebant, tremor qvidam per ossa serpebat. Tandem ventum est ad Perpinianum nostrum, qvem nobis mors non sine gemitu lacrymisqve eripuit. Qvamobrem commoveor freqventer, tali amico orbatus, qvi doctrinâ pravos ad Christum piè colendum edocebat, eloqventiâ plerumqve gnavos inflammabat, sceluscve Christianæ religioni nefariè molientes reprimere adeò solitus erat, ut ab ultimis terris accirus esset. Sed est, cur de tanti viri obitu lætemur, cùm ita religiosè vixerit, ut virtutis suæ memoria mortalium medullis infixa inhæreat: qvod mihi contigit propter illius innumerabilia in me officia. Cujus viri apud me recordationem non dico tempus, qvod rusticis hominibus medetur, sed ne ipsa qvidem ratio delere unqvam poterit: qvanqvam hæc apud nos sempiternam memoriam fore, non solùm persvadet, sed etiam maximè postulat. Felix igitur in terris vixit: ac felicior obiit, qvod verâ vitâ in cœlis fruitur. Vale, mi Paule. & Zerbini

bini tui memor vive. Tochi, III. Cal. Jan. M. D. LXVII.

Epistola X.

Ex Epistolis Claror. viror. p. 275.

MUTIUS

Archiepiscopus Calinus, Episcopus Interamnas.

PAULO MANUTIO S. D.

Respondet Manutio ad lib. VII. Epist. 21. Archiepiscopum præstare: *quâ gratulatus ipsi dignitatem novam simul commendaverat Julium Jacobonium.*

OMnes tu qvidem, Manuti optime, causas accuratè collegisti, qvibus meam migrationem tibi, tuiqve similibus, hoc est, mei amantissimis hominibus, ita probari ostendis, ut hoc etiam mihi verè gratulandum existimes. Sed nulla mihi jucundior aut gratior videri ea potest, qvam extremam in tuis literis posuisti: credo qvòd illam ceteris præstare qvemadmodùm judicares, ita etiam ea in re animi tui sensum declarare hac maximè ratione voluëris. Opes, dignitatem amplitudinem, & reliqva hujus generis commoda eqvidem haud tanti facio, qvin illis facilè carere possim: sæpiusqve mihi venit in mentem, me ejusmodi personam à Domino impositam sustinere, ut penitus perspersum mihi esse debeat, si cui hæc desint, magno eum officii onere levatum esse, siqvidem laborandum sit, ut qvæ ipsa bona videantur, nobis etiam benè eveniant. Qvo ingenere qvoniam pauciſſimos reperias, qvi

qvi graviter non offendant, & qvæ ad beneficentiam ac sublevandos ornandosqve homines parata habent instrumenta, iis rectè utantur: qvi sibi polliceri audeat fore, ut, cùm harum rerum copiâ circumfluat, tam difficili & lubricâ viâ fine casu aut prolapsione cliqvâ ingrediatur, næ ille amens potius qvàm arrogans, si, qvod sentio, velim dicere, habendus sit. At verò amicitiam, qvam sapientissimi viri aut virtutèm esse, aut cum virtute maximè conjunctom docuerunt tàm diligenter in omni vitia colui, Manuti, qvantum etiam me virtutis studium & cupiditas semper tenuit. Posse autem cum amicis vivere, ex qvo virtus ipsa uberiores fructus afferre solet, maximi cujusdam boni loco in humanis rebus numerandum censeo. Qvamobrem prudenter tu qvidem & amanter scribis, qvi illud maximè gratularis, qvod mihi amicos invisere, cùm vix bidui intervallo ab Urbe absim; amicis suæ mihi jucunditatis plurimùm impertiri interdum licebit: neqve illud fortasse magno illorum incommodo, si cùm hac iter facere contigerit, ad hospitem maluerint qvàm ad cauponem divertere. Sed qvanti prætereà id à me fieri æqvum est, qvòd Dei benignitate in illa tandem loca venerim, ubi non solùm possim veterum amicorum aspectu & consvetudine frui, verùm etiam ii sæpè homines occurrant, qvos libenter velim ad amicitiam adjungere, & à qvibus diligi valdè cupiam? In iis est Julius Jacobonius, qvi mihi tuas literas reddidit. Qvem etsi amare debueram, vel qvia Interamnas est, vel qvia ejus frater, vir fidei &

officii plenus, qvotidianam & utilem mihi operam in publicis judiciis præbet, vel qvia ipsum in eo doctrinæ & literarum studio cum laude versari ex pluribus audieram, in qvibus tu inter summos excellis, e;oq; te potissimum monitore & adjutore aliqvando me exercui: tamen nihil eum mihi æqvè commendavit, ac tui testimonii gravis sanè & minimè ambitiosa autoritas. Accedit, qvod illi cum filio tuo domesticum usum & familiaritatem intercedere, non tuæ modò literæ amantissimè de eo scriptæ declarant, sed Aldus ipse cum magnâ amoris testificatione testatum apud omnes eo Commentario esse vòluit, qvo Orthographiæ obscurissimam rationem, in doctissimorum virorum scriptis diligenter observatam, atqve ex omni vetustate erutam illustravit. Qvæ duæ res satis per se faciunt, ut Jacobinum tùm probitatis tùm doctrinæ nomine mihi inprimis diligendum esse putem, meqve tibi debere plurimùm fatear, qvi singulari illâ tuâ benevolentiâ adductus, qvam mihi omnibus in rebus præstitisti, hominem ingenuis artibus & disciplinis deditum non privatum habere, sed mihi tecum communem amicum esse tuâ commendatione volueris. Hæc ad te latinè scribere non sum veritus, ut intelligeres, qvantum mihi, non dicam de rectâ dicendi ratione, in qvâ, te optimum ducem & magistrum secutus, nihil me unqvam assecutum cognovi, sed de nonnullâ fortasse diligentiâ, qvam in scribendo adhibere consveveram, transmarina illa atqve Illyrica commoratio detraxerit. Vale. Interamnæ, XIII. Calend. Januar. M. D. LXVI.

* Pote-

* *Poterant huic Appendici subjungi longè plures ex Epistolis Mureti ad Manutium; verùm, quia Mureti volumina passim teruntur manibus studiosorum, visum est hìc tantum indiculum aliquem exhibere Catenarum Epistolicarum, quibus horum virorum colloquia literaria inter se quondam fuere connexa. Voco autem Epistolicam Catenam epistolas duabus plures, ita inter se aptatas, ut posterior quævis respondeat præcedenti. Soli autem epistolarum numeri cum initialibus cujusque verbis hìc comparebunt.*

Catena Prima.

1. *Manutius III. 16.* Paululum nunc.
2. *Muretus Vol. I. lib. 1. Epist. 12.* Ego verò Herculi.
3. *Manutius III. 24.* Molino dixeram.
4. *Muretus I. 1, 13.* Si nihil est aliud.
5. *Manutius III. 10.* Remitto scholia.
6. *Muretus I. 1, 16.* Moriar, si qvicqvam.

Catena Secunda.

1. *Muretus I. 1, 6,* Si Pegasi.
2. 3. *Manutius III. 17,* Tu vide, cui. *& 18.* Sedata jam (*apparet enim has duas epistolas scriptas esse ante acceptam à Mureto responsionem.*
4. 5. *Muretus Vol. II. Epist. 4.* Ardeo iracundiâ (*quæ respondet ad Manutii 17.*) & 5. Qvàm penè furvæ, (*quæ respondet ad Manutii 18.*)

Catena Tertia.

1. *Muretus I. 1, 8.* Ego verò te nihil.
2. *Manutius III. 19.* Qvid? tu me putas?
3. *Muretus II. 9.* Qvod igitur scribendi.

Cate-

Catena Qvarta.

1. *Muretus I. 1, 5.* De Torqvato.
2. *Manutius III. 21.* Græcos typos.
3. *Muretus I. 1, 9.* De Propertio.
4. *Manutius III. 20.* Mihi vero, ita vivam.
5. *Muretus II. 7.* Epistolam meam tibi probari

Catena Qvinta.

1. *Muretus II. 10.* Magis magisqve se.
2. *Manutius III. 26.* Laborabam vehementer.
3. *Muretus I. 1. 15.* Valdè recreatus sum.

FINIS.

INDEX EORUM, AD QVOS MISSÆ SUNT EPISTOLÆ

A.

Alexandro Crispo. 355
Alphonso Carafæ, Card. 3
Aloysio Estensi, Card. creato 347
Andreæ Antonio 553
Audreæ Dudithio, Episcopo 406
Andreæ Gostinio 396.
Andreæ Patricio 231. 233. 309
Andreæ Sylvio 372
Andreæ Zebridovio, Episcopo Cracovienſi 203
Antonio Augustino 80. 81. 82. 84. 87
Antonio Ciofano 600. 627.
Antonio Furnario 413. 414. 415. 443. 457. 487. 540. 541. 543. 603. 615. 616. 917
Antonio Merlo 276
Antonio Merulæ 445. 484
Antonio Possevino Soc. Jesu. 50.
Antonio Rolando 333. 575
Anthnio Verantio 200.
Augustino Angelello 496. 518. 519. 628

B.

Bartholomæo Riccio 78
Benedicto Accolto Card. 265. 267. 268
Benedicto Rhamberto 88
Bernhardino Mafæjo, Episcopo creato 31
Botvito Neroitio 516
Braucondio Pphidano 629

C.

Cesari Ferrantio 119
Cesari Orlando 624
Camillo Cajetano 597
Camillo Palaotto 300.421.424.458.556.559.561.580.582.585.587.589.606.607.609.610.611.614.
Carolo Borromæjo Card. 467
Carolo Sigonio 336
Caspari Contareno Card. 489
Christophoro Baroni Lobcowizio 489
Christophoro Madrutio Card. 45
Christophoro Rufo 428
Christophoro Saxo 387
Claudio Strambonio 479.534
Cole Antonio Carracciolo, Marchioni Vici 337
Pro Collegio Canonicorum D. Petri Sereniss. Reginis Austriacis 530

D.

Decio Brancaleoni 410.412
Dionysio Lambino 236.312

F.

Fabio Stellæ 91.93
Federico Gallo 326
Federico Vivaldo 492
Ferdinando Gatulæ 441
Francisco Cicereio 563
Francisco Gonzagæ 48
Francisco Luisino 36
Francisco Mancino 449
Francisco Molino 135

Fran-

Franciſco Morando 244.398.555
Franciſco Plantedio 483.525
Franciſco Richardoto Epiſcopo Atrebaten. 360
Franciſco Robortellio 353
Franciſco Vargæ, Caroli V. Imp. Oratori 60

G.

Gabrieli Catiano 33
Guilielmo Paccio 288
Guilielmo Sirletto, Card. 548.550

H.

Hannibali Caro 124.125.126.128
Hannibali Crucejo 274.592
Henrico & Camillo Cajetanis, fratribus 569.596
Herculi Ciofano 521.522
Hieronymo Capræ 590
Hieronymo Faleto, Herculis Ferrarienſ. Ducis Oratori 63
Hieronymo Furnario 108
Hieronymo Lippomano 52.56.57
Hieronymo Rubeo 531
Hieronymo Seripando, Card. creato 345
Hippolyto Capilupo, Epiſcopo Fanenſi 341
Hippolyto Eſtenſi Cardinali 133
Horatio Cardaneto 386.437.573.599
Horatio Morono 601
Horatio Urſino 317

I.

Jacobo Boncompagno 577
Jacobo Falconio Valentino 486.498
Jacobo Gorſcio 526
Jacobo Grifolo 271
Joh. Antonio Seroni 379

Joh. Antonio Turoneo 323
Joh. Antonio Vulpio 499
Joh. Baptistæ Arcucio 486
Joh. Baptistæ Januario 537
Joh. Baptistæ Olivo 529
Joh. Baptistæ Pastorio 97
Joh. Baptistæ Pignæ 279
Joh. Baptistæ Rasario 331
Joh. Baptistæ Rhamnusio Xvirum Consilii à Secretis 172
Joh. Baptistæ Saracio 349
Joh. Baptistæ Titio 373.431
Joh. Caselio 439.450.460.524
Joh. Cratoni à Crafftheim 509.512.513.594.618
Joh. Francisco Commenduno, Card. creato 427
Joh. Francisco Cremonæ 477
Joh. Genuæ 430
Joh. Morono Card. 545
Joh. Sambuco 259.261.282
Joh. Sario Zamoscio 364. 369.620
Joh. Turritiano 370,375
Joh. Vincentio Pinellæ 209
Julio Bellogrado 344
Julio Justo 399
Julio Pogiano 314

L.

Lævino Torsentio 110. 245.305
Laurentio Gambaræ 247.285
Lazaro Bonamico 287

M.

Magdalenæ & Leonoræ Austr. sor. 510
Marcello Cervino Card. 27

Marco

Marco Antonio Ciofano 522.600
Marco Antonio Lombardino 114
Marco Antonio Mureto 136.137.139.141.143.144.146.147.150.151.153.154.155.157.159.161.162.163.164.165.166.168.170.338.
Marco Antonio Nattæ 177.178.180.181.182.183.185.186.187.189.191.193.194.195.196.417.
Mario Corrado 89.256.403.404.406.432.435.447.480
Mario Nizolio 73.397
Martino Berzivicæo 605
Matthæo Senaregæ 552
Maximo Zabreræ 626
Michaëli Sophiano 277
Michaëli Turriano Cenetensi Episcopo 197
Mucio Calino Episcopo Interamnæ 455

N.

Nattæ 417
Nicasio Casletano 342.382.488
Nicolao Cajetano Cardinali 507
Nicolai Gotio 363
Nicolao Nathanaëlo 248

O.

Octaviano Ferrario 303.320.321.328.567
Octaviano Magio 138
Octavio Sammarco 448

P.

Paulo Contareno 38
Paulo Lupo 494
Paulo Magnulo 389.290.291
Paulo Manutio 780.783.786.791.794.796.799.801.802.804
Paulo Manutio Joh. Gruti Medic. 518

Paulo Sacrato 419.350
Paulo Stempovio 473.475
Paulo Tachono 536
Petro Celso 258
Petro Maffeio 417
Petro Miscovio, Sarmat. Regis Consil. 204.307.366.491
Petro Perpiniano Soc. Jesu 435.461
Pio IV. Pontifici creato 296.463

R.

Rainutio Farnesio Card. creato 1
Romulo Cervino 47.239

S.

Sebastiano Leoni 111.293
Silvestro Aldobrandino 294
Silvio Antoniano 75
Stanislao Vogelvetrio 311
Stephno Saulio 6,12.17

U.

Uberto Folietæ 621
Vido Fabro 24
Vido Gualterio 453
Vido Lolgio 122
Vido Lolgio 122
Vido Pancirolo 213
Vincentio Gialino 242
Vincentio Macario 476
Vincentio Riccio à Spe 500.501.502.503.504.505
Vincentio Stellæ 97.99

Z.

Zerbino Rizio 451
Scripsit hanc rogatus à nobilissimo viro 356

Hanc à Principe rogatus 468
Ex libro de quatuos Rebuspubl. 65
Proëmium libri de magistratibus Romanis 115
Anonymis quibusdam: 100.101.103.104.106.215.217.219. *&c. usq; ad* 230. *it.* 235,238.25.252.253.284.389.

INDEX EORUM, AD QVOS MISSÆ SUNT PRÆFATIONES.

AD *Alexandrum Cæsarinum Card. in Orat. Cic. part. tertiam.* 647
Ad Alphonsum Carafan, Antonii, Marchionis Montisbelli F. in suos commentarios Cic. Epistolarum ad Q. Frat. 675
Ad Aloysium Garzonium in Calep. de lingua Lat. 732
Ad Antonium Ælium, Polæ Episc. in orat Cic. prim. pro Sexto, Comment 687
Ad Antonium Carlonem Allifarum Principem in Sannazarii poëmata 738
Ad Antonium Triultium Card. in Salust. 725
Ad Benedictum Accoltum Card. in Orat. Cic. partem primam 640
Ad Benedictum Rhambertum in Cic. officia 657
Ad Carolum Borromæjum Card. in Cypriani opera 758
Ad Carolum Pisaurium in Epist. Cit. ad Att. 636
Concilii Trident. Præf. 766
Ad Clementem Monilianum Card. in ejus opus disput. Theologicarum 768
Ad Diegum Hurtadum de Mendoza Carol. V. Imper. Orat. in philosoph. Cic. part. primam 660
In lib. Francisci Vargas de autoritate Pontific. 755
Ad Georgium Seliam, Episcop. Vaur. in Eustratii aliorum

rumq; Peripateticorum comment. in lib. Aristot. ad Nicomachum 677
Ad Guilielmum Bellajum Langeum apud Subalpinas gentes proregem in Orat. Cic partem secundam. 644
Ad Hieronymum Faletum Herculis Ferrariensium Ducis oratorem in ipsius poëmata 705
Ad Hippolytum Ejensem Card. in lib. de legibus Rom. 697
Ad Jacobum Boncompagnum in Comment. in orat. pro Archia & in poëmata Hippolt. Capilupii 770.773
Ad Joh. Monlucium Regis Gallorum Orat. in Orat. libr. 651
Ad Joh. Morvillerium, Reg. Gallorum Oratorem, Orat. in IV. Philippicas Demosthenis à se conversas 694
Ad Isabellam Villamarinam Salernitani Principis conjugem, in Scipionis Capitii poëmata 711
Kalendarii Rom. Præf. 702
Ad Marcellum Cervinum, Card. in tom. 2. Phil. Cic. 666
Ad Matthæum Senaregam in Epist. Cic. ad familiares 631
Ad Michaëlem Chislerium, Card. in librum de locutione DEI, nomine Academiæ Venetæ 735
Ad Paulum Rhamnusium in Cæsaris commentarios 718
Ad pium IV. Medicen Pontif. Max. in librum Reginaldi Poli Card. de Concilio. 742
Ad Rainutium Farnesium Card. in suos Commentarios in Epistolas Cic. ad Atticum 670
Ad Torquatum Bembum Petri F. in in Virgilium 713

FINIS.